GRAMMA. LIN

ACRI



1555

THOMAE LINACRI BRITANNI DE EMENDATA STRVctura Latini sermonis libri VI.

cum indicatione locorum
unde exempla ab autore adducta fuerunt.

RECOGNITI A IOACHIMO CAMERARIO PABERGENSI.

Vna cum Indice diligentissimo.

ACCESSIT LIBELLVS EIVSdem *Camerarij de arte Grammatica & figuris dictionum.*

CVM PRIVILEGIO CVIVS EX*emplum Epistolæ prox. subiectum est.*

LIPSIAE
IN OFFICINA VALENTINI
PAPAE.
ANNO
M. D. LI.

IL
SIMO
NO, D
chioni
D



mus) de
quasdam
dicauer
acceptio
Princip
galiter
pore d
tas cele
maxime
one hu
me uer
rie

Sed
fuit at
aliis d
cens
rum

ILLVSTRIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMI-
NO, DOMINO ALBERTO MAR-
chioni Brandenpurgensi &c. Prussiæ &c.
Duci, Ioachimus Camerarius Pa-
bergensis S. D.



VM iam sæpius Illustriss. Princeps, aliquid ad tuam excellentiam (hoc enim uerbo in significatione Illustriss. Principatus tui utendum esse etiam nunc putauimus) de nostra penu Musica transmiserim, & quasdam opellas editionis nostræ Excell. T. dedicauerim, etsi confido uel scio potius, gratum acceptúmq; fuisse Excell. T. studium meum, quo Principe nullus est æquior aut benignior uel erga literas nostras, uel erga me: Tamen hoc tempore dubitabam utrum declarata prius cupiditas celebrandi Excell. T. his laudibus quib. illam maximè delectari norā, aliqua adhuc significatione huius quasi accumulāda esset, an potius aliò me uerterem & quærerem secundū Theocritū: τίς τῶν νῦν τοιόσδε; τίς εὖ εἰπόντα φιλασεῖ;

Sed nescio quomodo ad Tuam Excell. reflexa fuit atq; recurrit omnis cōsideratio nostra, cum alijs de caussis, tum quòd institutum ac factum recens fundationis Academiæ, cuius initia multorum consummata opera uincunt atq; superant,

 miri-

mirificè excitaret animum meum & inſtigaret uoluntatem ad quandam etiam prædicationem meam, qui in literis his quæ humanitatis & bonarum artium nomen habent, à puero uerſatus iam ſeneſcere inciperẽ, μιξοπολιὸς γενόμενος. Accedebat opportunitas editionis libelli huius, quem non quidem tuæ excellentiæ lectioni idoneum, ſed ad uſum tuorum accommodatum eſſe ſentiebam. In quo ad talem modum publicando nauatam diligentiam noſtram ſi alteri quaſi demonſtraſſem & hunc libellum obtuliſſem, euentu dubio hoc factum fuiſſet. T. autem Excel. non modò libenter admittit, ſed ſtudioſè etiam requirit, omnia & adiumenta & ornamenta ſcolaſtici operis ſui, ut illud quaſi bene ædificata uilla omnibus partibus ſuis præclarè inſtructum eſſe uideatur. De quo quidem eo minus laudandi cauſa mihi dicendum eſſe puto, quòd in hoc genere aliorum præconia noſtram famam augere uoluiſſe credi poßint, qui & uehementer amamus hæc ſtudia, & horum doctrinam profitentes nomen etiam decúſq; aliquod geßiſſe cupimus uideri. Sed hæc ſolicitudo, ἀπελθέτω δ' ἡ τοῖς λόγοισιν ἐκποδὼν, ſecundum Euripidem, Et laudentur à nobis ſecuro animo digna uera & ſolida laude, in hac multorum affectatione gloriæ inanißima. Nam quòd nunc aut parum ſplendoris, aut etiam humilitatis aliquid in principibus

Reip.

Reip. habere hoc studium & hæc cura existimatur, id unum est de ijs, quib. manifestò indicatur miseria & infelicitas sæculi nostri, Et quo imprimis gubernationes peruertuntur, quæ quidem quales sint uidemus. Hoc enim constat, omnes magnos principes, & qui domi forisq́; in bello ac pace præcipuam laudem consecuti fuerunt, denique armorum gloria illustres & fortiss. uiros, aut ipsos eruditos atque litteratos fuisse, aut hoc genus amasse, fouisse, auxisse, ornasse. Nam ut sit natura bona & ingenium sapiens, tamen neq; sine cultura quasi palmes fœcundæ uitis, fructus copiosos edere, neq; omnino uirtutis constantiam & ueritatem conseruare potest, absque doctrinæ adiumento & ueluti comitatu atq; custodia. δαέντι δὲ σοφία μείζων ἄδολος τελέθει, inquit Lyricus. Et alibi: ἄγνωμον τὸ μὴ προμαθεῖν, κουφότεραι γὰρ ἀπειράτων φρένες. Ideoq; si animis intueri uolumus Regnorum & ciuitatum administrationes, reperiemus omnibus temporibus felicis status & floris, sapientes principes his præfuisse. Nam ut abducamus cogitationem ad antiquissima, Quis non animaduertit quæ doctrina quódq; doctrinæ studium in Dauide rege Iudeæ fuerit? Qui non solū ipse præclara carmina composuit, quibus celebraretur magnificum nomen Dei, sed Poëtas etiam undiq; bonos collegit & circum se

 habuit.

habuit. Nihil dicam de sapientia huius, nam de eruditione litterarum & doctrina uerba facere instituimus. Hanc esse uel solam uel singularem atq; eximiam Musices, nemini ferè qui ueterum libros legit ignotum est, & nos alio loco copiosè disseruimus. Atq; hæc uera & excellens doctrina certè fuit, quæ sibi finem proposuit Dei ueri præconia, & hanc materiam habuit de qua omnia opera sua elaboraret, Religionem & cultum numinis diuini, & prædicationem beneficiorum, & conciones de uoluntate & consilijs illius. Nam etsi humanæ quoq; doctrinæ, quæ aberrat à ueritate rerum diuinarum & quasi in terris residet, sunt maxima præmia, ut paulò post ostendam, Tamen umbra & fumus illa est si non seruiat honori æterni Dei, qui unicus in cura & respectu ueræ religionis consistit. Sequitur summum hunc regem Salomon. F. quem cognouisse naturas tam uariarum & multarum rerum, ut alia prætercam, sine doctrina incredibile est. Nam quamuis in peculiari illo populo Dei plurima reperiantur gesta & perfecta diuinitus, & superantia captum intelligentiæ nostræ, tamen hæc quæ commemoraui sunt eiusmodi, ut nobis demonstratam uiam & concessam à benigno Deo ad pietatem, uirtutem, successus ingredientibus neque obscura, & exemplo esse poßint. Quid alij huius populi reges plærique? Hieroboæ,

boæ, Achabi, Achaßi, Ioachaßi, nonne se esse indoctos hoc ipso probauerunt, quòd ueré doctos id est Prophetas repulerunt à se & cultum Dei profanarunt. Sed ab his ad aliarum gentium regna transeamus, Vt appareat omnes magnos uel potius summos uiros in terris, præmia uirtutis atque doctrinæ, regna & potentiam ac principatus obtinuisse. Vbi quidem primus omnium sese Cyrus offert, qui rex etiam ueritatis rerum diuinarum non ignarus, & pius fuisse perhibetur. De cuius uirtute, sapientia, humanitate, extant libri Xenophontis, qui etsi non ad fidem historiæ perscripti putantur, tamen uel priorum testimonia, uel saltem famam horum omnium ἀφορμὴν & occasionem fuisse, dubium non est, ut ueri similis susciperetur expositio. Sed si quis credit potuisse tanta illa bona uel existere uel corroborari sine literarum studio & doctrina, is mirificè fallitur. Pergamus ab hoc longo sané interuallo ad Alexandrum, qui tantas res tanta celeritate geßit, ut & cognomentum Magni repererit, & plurimorum manus in describendo narrationes illarum defatigatæ fuerint. Qui tamen rex fortior ne uir an doctior dici mereatur, non facile aliquis constituerit. Quid Ptolomæus Philadelphus? qui de toto orbe terrarum doctos collegit, quid perfecit? Tacebo alia, hoc memorabo, quod in hoc studio ar-

tium bonarum præter finitimas regiones ſubditas ditioni ſuæ florentes Regni AEgyptiaci, τρεῖς μὲν οἱ πολέων ἑκατοντάδες ἐδέδμηντο, τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι, Δοιαὶ δὲ τριάδες, μετὰ δέ σφισιν ἐνδεκάδες τρεῖς, ut Theocritus cecinit. hæc ſunt urbium milia triginta tria, trecentæ triginta nouem. Relinquamus ſanè & hîc interuallum temporis longi, ut ad principem ciuitatis Romanæ ueniamus, cui Auguſti nomen fauor populi & admiratio omnium decreuit atq; impoſuit. De cuius cum ipſius doctrina tum erga doctos benignitate neque opus eſt nota, & longum eſſet referre omnia. Poſt quem, ut alios omittam, principe eiuſdem ciuitatis XVI. M. Antonino in omni uita ſtudijs doctrinæ ac ſapientiæ dedito, uel rebus bellicis uel actionibus ciuilibus qui famam maiorem ac nomen illuſtrius adeptus ſit, non facilè reperias. Quem non puduit, ut & Pompeium accepimus, ad doctorum domos audiendi illos & diſcendi cauſſa uenire. Non attexam his alios aliarum gentium laudatiſſ. principes, qui ſe undique plurimi offerunt. Noſtratis autem Caroli quî poſſum non meminiſſe hoc loco? Quem ut Magnum rerum geſtarum gloria, ita Auguſtum conſenſus populi appellari fecit, & ego aliquando cum Octauiano Auguſto contuli, uix enim inter duos reges tam multa ſimi-

lia

lia atq; paria inuenias. Huius res gestæ, ut nihil aliud dicam, profectò memorabiles sunt, atq; illum non puduit Grammaticæ etiam artis compositionem tentare, transferentem rationem illius de Græcis & Latinis autoribus ad Germanicum sermonem. Nam Maximilianus, qui semper inter magnos & laudatos Principes nominabitur, neq; ipse indoctus fuit, & doctos amauit atq; coluit, & studia litterarum defendit & extulit. Poteram alios nominare plures, & in his Matthiam Pannoniæ regem, cuius doctrinæ studio parta & relicta bona utinam tueri atque conseruare successores potuissent. Sed res satis multis exemplis uidetur esse demonstrata. His autem opponantur, si uidetur, uel barbari & ἄμουσοι, uel tincti litteris illi quidem, sed nõ instituti ad humanitatem & decus, & quasi abortiui quidam fœtus doctrinæ, Nerones, Commodi, Atalarici, Attilæ, Genserici & tota Sarracenica, nunc Turcica rabies, tũ perspicietur quantum boni sit in cultu doctrinæ cognitis calamitatibus barbariæ. Sed hanc totam rem neq; nunc explicandi tempus, & alia fortasse occasione copiosius disputabimus. Quod enim putatur & dicitur à quibusdam his studijs effœminari animos & reddi ad gubernationes quasi socordiores, id falsiss. est. Mitescunt illi quidem & asperitate liberantur, nec sinuntur esse feri, secundum Oui-

dium, atq; hoc nihil est Principe dignius, cui comitas haud scio an max. læticiam parere possit, quod & Adrianum sensisse accepimus, cum irasceretur ijs qui sibi hanc uoluptatem humanitatis, quasi seruantes fastigium principis, inuiderent. Vtinam autem ut hæc studia à nobis ad ciuiles res & actiones & omnium laudem in terris præparare animos dicuntur, ita non esset in confesso alias occupationes quamplurimos à uirtutis & honestatis usurpatione abstrahere: Aleæ inquã, crapulæ, luxus. In quibus iam eminens & sese ostentans audacia & temeritas, magnificentiæ nomine celebratur Quòd si nihil esset fructus præstantis in studijs bonarum artium, hoc certè, uel in his uersari, uel alijs per hæc excultis operam dare, commodi ac boni complecteretur, quòd illo tempore quibus his incumberetur, nihil fieret neque susciperetur, in ista sæculi nostri corruptione, deterius aut nocentius. Sed de hac re, ut aiebam, aliâs fortasse. Ad eruditionem uerò litterarum et doctrinam, qui parum momenti afferre putat diligentem et exquisitam tractationem eorum quæ grammaticæ ars profitetur, litterarum, syllabarum, uerborum, structuræ orationis, & studium puri, diserti, copiosi, elegantis sermonis, is uehementer & perniciosè errat. Nam cum prosiliunt non satis uel nihil etiam omnino instructi ac præparati hac cognitione, ad excer-

excercendas uitæ artes, homines aut iuuenta æta te exultantes, aut audacia præcipites, quid fieri atque accidere soleat, expertum est etiam nostrum seculum, & perspexit sententiam ueteris uersus. Prouenie bant oratores noui, stulti, adolescentuli, atq; utinam non etiam grauius & detrimentosius adhuc sentiat. Cum autem semper iudicassem, Linacrum præ alijs operam nauasse in ea parte grammatices latinæ, quam explican dam sibi sumsisset, & animaduerterem eruditissimos uiros nostræ ætatis cõmendasse hoc scriptũ studijs puerilibus, autor & hortator fui Chalco grapho nostro, ut cũ singulari quadam attentione et uigilantia hunc librum de sua officina emit teret. Is impetrauit ab amico nostro uiro doctissimo M. Caspare Landsidelio, ut suas quasdam obseruationes & annotationes certorum locorum, in quibus longi temporis et singularis industriæ ac aßiduitatis laborem impenderat, communicare cum sua huius editionis elaboratione & impertiri sibi uellet. Ac nos quasi συμβολὴν quandam etiam à nobis contulimus, informatæ in animo cogitationibus nostris grammaticæ rationis, et earum uarietatum, quæ ut in diuersis Græcorum linguis ita latino quoq; in sermone reperiuntur, quæ πάθη dictionum, id est ut ita dicam transfigurationes nominarunt, cum de simplici quadam forma suo quodam modo deflexæ illæ

fuerunt

fuerunt, ut peculiariter ipſis accidiſſe aliquid uideatur: Et quantum per negotiorum neceſſarias occupationes licuit, totum librum recognouimus, & noſtram qualemcunq; animaduerſionem, cum M. Caſparis lucubrationibus coniunximus. Hunc igitur librum ad T. Exc. Illuſtriſſ. Princeps cum hac ſignificatione iudicij de tuo facto noſtri mittendum duximus, in ſpe certa, & ſummiſſam cupiditatem hac in parte noſtram gratam Excel. T. futuram, & librum illi placiturum, & puerilibus ſtudijs in Academia Excel. tuæ aliquid fructus allaturum eſſe. Ac confido clariſsimũ uirum Sabinum quoq; hanc rationem noſtram & edendi hæc & ad T. Excell. peculiariter mittendi probaturum eſſe, cuius ego ſententiæ, quam & T. Excell. magni facere ſcio ac ualde lætor. etſi aliter fieri non potuit (quin ſapientia tua illius prudentiam ac perſpicatiam & celeriter cognoſceret & ſtudioſé complecteretur) huius igitur ſentẽtiæ ego plus tribuo quàm aliorum, ut dici ſolet, ſexcentorum. Te autem non ſolum tuæ iſtæ felices Muſæ Herculem ducem atq; protectorem nactæ ſunt, ſed ubiq; iam uagæ atq; diſpulſæ pené toto in orbe terrarum, εἰς σὲ βλέπουσι. Nunc iſtic ſua antra Parnaſsia ſuos pimpleos cãpos, ſuas undas Aganippidas, ſuos fontes Caballinos, renaſci atq; reuireſcere & ſcaturire, gaudent, ſeq; magnopere conſolantur

tur, non modo quòd non undique tamen sese eijci atq; exterminari uideant, sed etiam quòd tales receptores atq; hospites reperiant, à quibus & benignè admittantur, & omni cultu, ueneratione, honore afficiantur. O miseros qui has uel suis sedibus expellunt, uel præterire patiuntur & negligunt atq; contemnunt. Hic est enim ortus barbariæ, radicis omnium calamitatum in hac uita. Vt enim aëris & cœli temperies & lenitas in caussa est ubertatis frugum, ita ingenia & artes alit honor, & principum fauor atq; benignitas auget. Et contrà deficiunt atq; extinguuntur in neglectione aut etiam auersatione, ὑπό τε, *ut inquit Plutarchus:* φθόνου καὶ σμικρολογίας ἢ φιλονεικίας τῶν κρατούντων. *Sed nimis multa de his fabulor, uerum nauita de uentis. T. Excel. pergat ut cœpit, & hunc proprium ac uerum & gratissimum Deo cultum exhibere, & patriæ consulere, & fulcire ruinas Reip. Hoc illi, si laus & gloria cordi est, qualiscunq; posteritas erit, illustrius nomen & famam præclariorem conciliabit, quàm alijs potentiæ magnitudo & regni moles. Christus T. Excell. conseruet. Lipsiæ. XIIII. Cal. Maij.*

EXEM-

EXEMPLVM
PRIVILEGII REGII.


ERDINANDVS diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Marchio Morauiæ &c. Comes Tirolis &c. Honorabili nostro & sacri Romani imperij fideli, dilecto IOACHIMO CAMERARIO Pabergensi, Gratiam nostram regiam & omne bonum. Cum optima studia pro eo atq; illa merentur, regia benignitate subleuata, ornata auctáq; esse cupiamus: quòd intelligamus & quantum ad uitæ cultum momenti afferant, & qua

nunc

nunc hominum temporúmq; iniquitate premantur: Poſteaquam nobis oſtenſum fuit, qua fide, cura, diligentia, ſtudio, tu Ioachime, in ueterum Græcæ Latinæq; linguæ autorum ſcriptis partim neglectis incuria, proferendis, partim corruptis inſcitia priorum ad exempla antiqua emendandis, & uerſatus ſis, & deinceps uerſaturus eſſe ſpereris, Quo facilius ea, quæ ipſe aut de ueterum monumentis nunc primum retuliſſes, aut prius prolata correxiſſes, qui edere ſuaq; opera publicare uellent, inuenirentur, metu remoto, ne in ipſorum labores alieni occaſionem nacti inuaderent, & quaſi deprædarentur diligentes & aſsiduos negotiatores, implorantibus noſtram opem & ſuccurſionem amicis tuis, non grauatim annuimus, atq; etiam cum intellexiſſemus te ſtudioſè in ueterum autorum artium & humanitatis explicatione uerſari, & non inutiles neq; cognitu

ſpernendas quæſtiones explicare diſ-
putationibus tuis, cumulatè regiam
beneficentiam impertiri tibi ſtatui-
mus, ac Priuilegium conferre, ut cui-
cunque librario, ſiue impreſſori libro
rum, quicquam tu tradidiſſes atque
commiſiſſes in lucem emittendum at-
que elaborandum, ſiue ueterum, ſiue
tua opera & diligentia compoſito-
rum, Græca Latináue lingua ſcripto-
rum, in hoc duntaxat genere ſtudio-
rum, quæ bonarum artium atq; diſci-
plinarum et humanitatis appellantur,
ſiue ut planius dicamus, Grammati-
cæ, Rhetoricæ ac Poëticæ, Horum
igitur nequid alteri, niſi te permitten-
te, intra quinquennium ab eo tempo-
re, quo liber exijſſet, recudere licitum
fasq; eſſet. Quod Priuilegium in præ-
ſentia tibi IOACHIMO CAME
RARIO Pabergenſi, quem opti-
marum artium atq; diſciplinarum cu
pidiſsimum, & quietis atq; ocij aman-
tem, ut cognouimus, Regiæ noſtræ
uolun-

uoluntatis præcipuo fauore comple-
xi ſumus, autoritate tam inuicti Impe
ratoris Romanorum Caroli Quinti,
confirmamus, atq; edicimus, Ne quis
impreſſor contra ſententiam noſtram
intra tempus præſcriptum annorum,
niſi te concedente, ullum abs te emen
datum compoſitumúe librum, quo in
genere ſuprà dictum eſt, nominatim
uero tuas Plautinas emendationes,
Imperatorum Romanorum pamme-
trum, Nomina Græca & Latina par-
tium humani corporis, morborum,
coniunctionum, agriculturæ, per te
congeſta, Item Platonis Epinomi-
dem, ſiue de Aſtrologia, progymnaſ-
mata utriuſque linguæ, Quæſtionum
nuptialium libros duos. Commenta-
rios in Homerum. Commentarios in
Sophoclem. Quęſtiones Homericas.
Libros problematum. Typis deſcribe
re auſit, aut multam ſoluat Florino-
rum quingentorum, qui ad fiſcum
noſtrum numerentur, totidemq;, qui

Chalcographo, qui ſibi damnum datum aliena operis ſui editione, queretur, perſoluantur. Quam multam nunc etiam uiolatoribus edicti noſtri irrogatam uolumus, atque in præſentia irrogamus, Ac mandamus procuratoribus fiſci noſtri, ut commiſſam illam à quocunque ſeuerè exigant, & magiſtratibus ubique locorum, ut illos Chalcographos, qui ſuam partem multaticiæ pecuniæ petere cœperint, omni ratione ad obtinendam illam adiuuent atque defendant, ſciántque niſi fecerint, nos ſiue remiſsionem ſeu negligentiam illorum grauiter moleſtéque laturos eſſe. Cum enim omnia noſtra edicta firma & illabefacta eſſe oportet: tum uero in hoc etiam poſteritatis à nobis famā quædam expetitur, quæ non ſolum maieſtatem regni noſtri, ſed erga bonas artes & ſtudia humanitatis promtitudinem etiam animi noſtri comprobet celebratione ſua. Neqꝫ enim minoris hanc laudem

quàm

quàm Regnorum & potentiæ, exem-plo max. Regum ducimus atq; æsti-mamus. Perſcriptum & datum ſub ſi-gilli noſtri impreſsione, in ciuitate no ſtra Vienna, die XXVI. Menſis No-uembris. Anno Domini M. D. XXXVIII. Regnorum noſtrorum, Romani VIII. Hungariæ XII. Bohe-miæ uero XIII.

Ferdinandus

Bernard. Card. Trid.

Ad mandatum ſacræ Regiæ Maieſt. pro-prium.

Ad. Carolus.

 Philip.

PHILIPPVS MELANCHTHON ADOLESCENTI VILELMO RIFENSTEIN VILELMI FILIO S. D.



LLATVS est huc Linacri uiri doctißimi liber de Syntaxi Latini sermonis, quem cum statim auidè percurrissem, iudicaui magnopere profuturum esse Studiosis ad emendatè, & uerè Latinè loquendum, & ad rectè iudicandum de phrasi, & omnibus figuris Latini sermonis. Etenim non solum uulgaria præcepta tradit, quæ etiamsi pueris necessaria sunt, tamen ad cognoscendam naturam sermonis nullo modo sufficiunt. Sed etiam præter Analogiam collegit exempla dißimilia, in quibus uaria constructio earundem uocum cernitur. Et singulari prudentia significationis diuersitatem, quæ sæpe fallit incautos in dißimili constructione earundem uocum ostendit. Syncategorematum uim mirabili diligentia excußit, quæ quantum momenti habeant in uarianda significatione aliarum uocum, homines acuti facilè perspiciunt. Itaq; mihi quidem nullum uidetur in hoc genere scriptum extare perfectius. Quare egi cum typographis nostris, ut quamprimū excuderent, & paßim in omnibus scolis harum regionum spargerent. Nunc uerò etiam hos qui

præsunt

præsunt scolis duxi adhortandos esse, ut hunc librum adolescentibus proponant & prælegant, sed ita, si prius uulgares regulas breui compendio tradiderint. Ad has postea uelim accedere hunc libellũ, qui quasi exædificatio est doctrinæ de Constructione. Valde enim conducit in hac parte Grammatices diligenter elaborare, propterea quòd neq; natura sermonis cognosci potest, neq; certa loquendi ratio retineri, nisi hac parte perfectè cognita. Porrò quàm sit necessarium in omnibus artibus, in omni uita naturã sermonis nosse, & certam loquendi rationem tenere, non est obscurum. Diu igitur in hoc studio detinendi sunt adolescentes, & diligenter assuefaciendi, ut & regulas reddere poßint, et habeant in promtu exempla autorum, si quid extra analogiam dicitur. Ac peßimè de pueris merentur præceptores, qui aut regulas nullas tradũt, aut certè statim abijciunt, & magnificè promittunt, fore, ut usu loquendi discantur constructiones. Nam illi qui non norunt regulam, etiamsi legunt exempla in autoribus linguæ, tamen loqui non satis audent, quia non habent certam rationem, ad quam dirigant compositionem uerborum. Et hoc impediti metu, rarò loquuntur Latinè. Ita nunquam hoc assequi possunt, ut quæ uelint, facilè explicare queant. Frustra autem labor omnis sumitur in literis, si nunquam hæc

facultas, quæ cogitationes animorum nostrorum & quicquid de magnis rebus didicimus, perspicuè exponere potest, cōtingit. Ipse uidi multos his annis, qui sentiebant se ab hac parte non satis instructos esse, desperantes omnem fructum studiorum, prorsus à literis desciscere. Quare publicè debebant in tales præceptores pœnæ constitui, qui præcepta fastidiunt. Omnino enim danda est opera, ut tamdiu in ipsa arte detineantur adolescentes, donec perfecti Grammatici, donec architecti sermonis, & absoluti artifices euaserint. Fortaßis autē Linacer uidebitur nonnullis delicatis alicubi plus satis curiosus in reb. minutis. Ego uerò hanc in Grammatico subtilitatem requiro, quæ in loco usurpata exercet, & acuit iudicia adolescentium. Sciet enim prudens præceptor, ut aliarum rerum, ita etiam harum quæstionum modum quendam esse oportere. Voluerunt & ante hæc tempora Grammatistæ quidam arguti perhiberi, qui totam artem insulsißimis & nugacißimis cauillationibus oppresserunt, quales sunt Versoris in Donatum, & similium. Sed hi neq; modum adhibebant ullum, neq; utilitatem inde aliquam uenabantur ad iudicandum de exemplis eloquentium autorum, quos ne attingebant quidem: tantum per lusum confundebant artes, Dialecticen in Grammatica tradebant, in Dialectica Grammaticen. Nam Parua logica-

logicalia, quæ sic uocant, nihil sunt aliud nisi uarietates significationis, quas Grammatici ex figuris facilè diiudicant. Horum igitur ineptias procul à scolis arcendas esse censeo. Delectus enim adhibendus est, quæ argutiæ prosint ad iudicandum de sermone, quæ non prosint. Et accedere lectio eloquentium scriptorum debet, quos cum quasi loquentes audimus, facilè præcepta ad eorum exempla conferre, & perspicere totam sermonis naturam possumus. Linacer ubique recitat exempla prudenter electa ex optimis autoribus. Et interdum aliquam subtilem interpretationem addit. neq; hoc facit immodicè aut intempestiuè. Sed eligit eiusmodi τεχνολογίας, quæ iudicium lectoris acuunt. Quare ualde optarim eum in scolis uersari ac legi. Et si quid mihi tribuunt isti, qui præsunt ludis litterarijs, adhortor eós, ut dent operam, ut hic libellus studiosis familiaris fiat. In tenui labor est, at tenuis non gloria perfecti Grammatici est.

Etsi autem inciuile est, de alieno largiri, ego tamen non sum ueritus, tibi mi Vilelme, alienum opus dedicare, quod postquam edidit autor, publici iuris esse cœpit. Ego igitur hoc tibi consilio dedico, ut ad pub. operis lectionem & te inuitarem, & tuo exemplo συμφοιτητὰς tuos accenderem. Audio enim uos iam pulcrè callere prima præcepta Grammatices. Quòd si hunc libellum

bellum ad illa addideritis, præcipua uobis ac dif
ficillima pars Grammatices absoluta erit. Quan
quam autem multa sunt argumenta grauissima,
quæ uos hortari debent ad hæc studia colenda,
in quæ ingressi estis, tamen in primis decet uos
autoritate parentum moueri, quorum sapien=
tissimo consilio ad literas adhibiti estis. Rectè
enim indicant in his studijs litterarũ et uobis pri
uatim maxima uitæ præsidia atque ornamenta
proposita esse, & Remp. sine scientia litterarũ
administrari non posse. Itaq; dabitis operam, ut
honestiss. uoluntati parentum morem geratis, et
sentietis uos non tantum priuatæ utilitatis cau=
sa discere, sed etiam quasi in hanc militiam à Re
publica conscriptos esse. Vt enim belli tempori
bus, defendenda est armis respublica, ita in pace
hac domestica militia retinetur, quæ religiones,
iudicia & uniuersam ciuilem disciplinam conti=
net. Quoties igitur aspicitis libellos uestros, co=
gitabitis non secus ac milites arma uos tractare,
necessaria reipublicæ. Cogitabitis uos in statio=
nem à republica accersitos esse, ad optimas res
in uita retinendas, & uos gratissimum officium
Deo facturos esse, si ad hanc militiã uos diligen
ter præparaueritis. Christum precor, ut studia
uestra, & omnem uitæ cursum fortunet. Bene
uale cum toto sodalitio tuo, Vuitebergæ, Mense
Februario, Anno M. D. XXXI.

Thomæ

THOMAE LINACRI ANGLI,

DE EMENDATA STRVCTVra, siue de octo partibus, liber primus.

ARTES ORATIONIS in lingua Latina publicè ab idoneis autoribus receptæ, sunt octo: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpositio, Aduerbium, Interiectio, Coniunctio. Veteres (ut uidentur) sex erant contenti, qui Participium Verbo, & Interiectionem Aduerbio adnumerarunt. Sed ex his octo, inclinabiles flexilésque sunt quatuor: Nomen, Pronomen, Verbum, & Participium. Immobiles inflexilésq; reliquæ, Præpositio, Aduerbium, Interiectio, Coniunctio. Accidunt inclinabilibus omnibus Numerus & Persona. Nomini autem, Pronomini & Participio, præterea Casus & Genera. Verbo & Participio etiam Tempus. Vni uerbo Modus.

DE NOMINE.

NOmen est pars orationis, quæ casibus inflexa significat aliquid sine ulla temporis, aut certæ personæ adsignificantia. Nominum — *Nomen quid.* *Nominis diuisio.*

uariæ sunt species, aliæ à uocibus, aliæ à rebus sumtæ. A uocibus, principale, ut candidus: & deriuatum, ut candidior. Etiam simplex, ut pes: & compositum, ut bipes. Deriuati generis aliud denominatiuum est, quod uidelicet à Nomine ducitur, ut à lapis, lapillus: aliud uerbale, quòd à Verbo, ut ab amo, amator: aliud Participiale, ut fugitans, appetens: aliud Aduerbiale, ut à cras, crastinus. Sit & Pronominale aliud, ut à noster, nostras, nisi certam adsignificet personam. A rebus sumtæ species sunt, Proprium, appellatiuum, & quod generali appellatione adiectiuum appelles licet.

Denominatiuum. Verbale. Participiale. Aduerbiale. Pronominale.

Proprium. Appellatiuũ. Adiectiuum. Proprium qd Propriorum species.

Proprium est, quod rem non multis communem, sed uni indiuiduo propriam significat, ut Maro, Roma, Tyberis, Caucasus, Britannia. Huius quatuor sunt genera, sic Prisciano distincta: Prænomen, quod uel differentiæ caussa præponitur, uel ueteri ritu: quod Romani postquam Sabinos asciuissent in ciuitatem, eorum nomina suis præposuerunt, inuicémq; Sabini ipsorum. Talia erant Auius & Publius & Marcus, multáq; alia, quæ non ante pueris, quàm uirilem togam sumerent: puellis, quàm nuberent, Tito Probo autore sunt imposita. Nomen, quod suum cuiq; est, ut Paulus, Tullius. Cognomen, quod cognationis est commune, ut Scipio, Gracchus, Fabius. Hoc tamen cum de pluribus dici poßit, abusiue

Nomen. Cognomen.

ſiue dici proprium uideri poteſt. Agnomen, quod ab aliquo euentu eſt impoſitum, ut Africanus, Iſauricus, Germanicus. Diomedi nomen eſt, quod Priſciano cognomen, & contrà. Ait enim: Nomen propriè eſt gentilitium, id eſt, quod originem gentis uel familiæ declarat, ut Portius, Cornelius, Iulius. Cognomen, quod uniuſcuiuſq; proprium eſt, & nominibus gentilitijs ſubiungitur, ut Cato, Scipio, Cæſar. Ego (quod ſciam) apud eruditi ſeculi ſcriptores agnomen non legi, ſed pro eo cognomen, ut Saluſt. [de bel. Iug.] Manſiniſſa rex Numidarum in amicitiam receptus à Pub. Scipione, cui poſtea Africano cognomen ex uirtute fuit, multa et præclara rei militaris facinora fecerat. Et Cic. de ſeneđ. Téq; non cognomentum ſolum Athenis deportaſſe, ſed humanitatem & prudentiam intelligo. Varro de re ruſt. [lib. 2. c. 4.] Nam eo prælio hoſtes ita fudit, ac fugauit, ut eò Nerua prætor, imperator ſit appellatus, & auus cognomen inuenerit, ut diceretur Scropha. Virg. [lib. 1. Aen.] Cui nunc cognomen Iulo. Vbi tamen Seruius cognomen pro agnomine poſitum cenſet. Agnomen.

Appellatiuum eſt, quod rem multis communem ſignificat, ut animal, homo, candor, color. Appellatiuorum uim obtinent & adiectiuorum neutra, ut in illo Saluſtij [de bell. Iug.] Quibus Appellatiuũ. Appellatiuorum nominum uim obtinent & adiectiuorum neutra.

diuitiæ bono & honesto potiores erant. Et Virgilij [Eclog. 3.] Dulce satis humor. Et eiusdem: Triste lupus stabulis.

Item Quid & Quod, ut Terent. Quid illic* rerum gerit? Idem: [And. act. 5. sc. 2.] Quid hîc tibi negocij est? Cic. ad Att. [li. 8. ep. 17.] Ego ad Pub. Lupum & Caium Coponium prætores misi, ut se nobis coniungerent, & militum quod haberent ad nos deducerent. Et quodcunq;, ut idem: [eod. loc.] Vos hortor, ut quodcunq; militum contrahere poteritis, contrahatis.

Nominũ quæ habeant uim.

Nominum uim obtinent, siue appellatiuorũ, siue alterius cuiusquam generis malis, interim et Infiniti uerborum modi, ut, Scire, in illo: [Pers. sat. 1.] Scire tuum nihil est. Interim infiniti sensus. Voco autem Infiniti sensum, infinitũ ipsum cum suo accusatiuo, ut in hoc sermone: [Teren. Eun. act. 3. sc. 2.] Apparet hunc esse seruum domini pauperis miseriq;. pars illa, Hunc esse seruum domini pauperis. Simili modo & in quos Infiniti sensus soluitur, ut in eo Mart. [lib. 11.] Hoc scio, quòd scribit nulla puella tibi: illud, Quod nulla puella scribit tibi. Scire tamen licet tum hæc Infinita uerba, quæ nominum uice funguntur, tum sensus in quos soluuntur, usitatius uel in recto usurpari, ut in iam dicto exemplo: Scire tuum nihil est. uel accusatiuo, ut in hemistichio quod sequitur: Nisi te scire hoc sciat alter.

& in illo Cæsaris: [lib.1. bell.Gal.] Damnatum pœna sequi oportebat, ut igni cremaretur. Rarius in ablatiuo. Salust. [lib. 5. hist.] Audito,* regem in Ciliciam tendere. Plin. [li.8.cap.36.] Testato * quoniam potum in ursinam rabiem agat. Item in Genitiuo. Plin. [li.21.cap.1.] Flores odorésq; de die in diem gignit, magna (ut palàm est) admonitione hominum, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere. Videtur enim illud, celerrimè marcescere quæ &c. in gignendi casu positum pro τῷ τάχιστα αὐαίνεσθαι. Ex appellatiuis collectiuum est, quod singulari numero aliquã multitudinem significat, ut populus, gens, turba: quibus contrariam naturam habent quæ in multitudinis numero rem unicam significãt, ut Athenæ, mœnia, innominato hactenus genere. Adiectiuum nomen in uniuersum id uoco, quod sine altero, cui adhæreat, consistere in oratione non potest. Eius uariæ sunt species, quas strictim hic persequemur. Sunt igitur aliæ affirmatæ affectionis uel negatæ, quæ propriè adiectiua dicuntur, ut albus, par, dodrantalis, centum, Romanus, cæcus, imprudens. Accipiatur enim breuitatis caussa, affectionis uocabulum latius hoc loco. Aliæ quæ de tali affectione quærunt, quæ interrogatiua dicuntur, ut qualis, quantus, quot, cuias. Sunt & quæ cum neutris horum (mea sententia) connu

Collectiuum

Adiectiuum.

Adiectiuorũ species.

Syncategoremata quae.

merari queant, quae Syncategoremata dicas, cuiusmodi sunt partitiua, particularia & uniuersalia.

Adiectiuum nomẽ duplex est.

Adiectiuum propriè dictum, aliud commune est, quod affectionem multis communem significat, nec potest (ut dictum est) per se citra proprium uel appellatiuum in oratione consistere, ut albus, ba, bum. Aliud proprium, quod affectionem uni indiuiduo propriam significat, ut Gradiuus, Marti: Enosigaeus, Neptuno: Quirinus, Romulo. Sunt & quae inter iam dicta genera, id est, appellatiua & adiectiua, mediam obtinent naturam, quae ambigua uocant, ut rex, ciuis, consul, pater, seruus, histrio, & uerbalia in tor & trix finita. Quippe quae modò appellatiua sunt, quoties nimirum uel per se subsistunt, uel alia sustinent, ut in illo Terent. [Eunuc. act. 3. sc. 1.] Regem elegantem narras. Et Ouid. [in epist. Sapp.] Victus meretricis amore. Modò adiectiua, quoties uidelicet alteri innituntur, ut in illo Virg. [lib. 1. Aen.] Hinc populum latè regem belloq; superbum. Idem in Moreto. Excubitorq; diem cantu praedixerat ales. Mar. [lib. 8.] Nec odit Exploratores nubila massa focos. Cic. [lib. 2. de Orat.] Cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis uiderentur. Et Horat. [in arte] Verum ita risores, ita commendare dicaces Conueniet Satyros. Et Lucan. [li. 1.]

Ambigua.

Victrici

Victrici uiscera dextra. Cicero ad Attic. [lib. 5. epist. 21.] Quo autem die Caßij uictrices literæ in senatu recitatæ sunt.

Interrogatiuum est, per quod de re quapiam quærimus. Est autem duplex, aliud substantiæ, per quod de proprio, appellatiuo uel demonstratiuo pronomine quæritur, ut quis, uter, nunquis, ecquis pro num aliquis. Aliud accidentis, per quod de adiectiuo quæritur. Hoc autē multiplex est. Nam aliud de qualitate quærit, ut qualis: aliud de magnitudine, ut quantus: aliud de numero, ut quot: aliud de ordine, ut quotus: aliud de possessore, ut cuius, cuia, cuium: aliud de patria sectáue, ut cuias: aliud de modo rationéue, ut cuiusmodi: aliud de uno multiplicato, ut quotuplus, & aliter quotuplex: aliud distributiuum dici potest, ut quotenus Cicer. ad Att. [lib. 12. epist. 4.] In ripa nescio quotenorum iugerum. quanquam hîc pro quot & infinitè accipitur, ut mox apparebit: aliud de annorum numero quærit, ut quotennis. Hæc uerò, sicut omnia ferè, quibus aliquid interrogamus, siue nomina sint, siue aduerbia, interdum nihil quærunt: sed aut cum suo uerbo, uerbis alijs subijciuntur, & eorum transitum excipiunt fiúntq; infinita, ut [Teren. And. act. 4. sc. 2.] Scio quid conere. Dic quid uelis. Vocentúrq; ideo (si libet) quo ab alijs, de quibus agendum est, discernantur, infinita subiuncta.

Interrogatiuum.

Interrogatiuum duplex.

Quoteni pro quot apud Cicer.

Interrogatiua interdum nihil quærũt.

Infinita subiuncta.

iuncta. Aut nos ad aliquid notum, uel certè in oratione prius positum remittunt, efficiunturq; relatiua, olim Prouocabula dicta. Referuntur autem relatiua hæc ad ea, de quibus, cum interrogatiua sunt, quærunt. Quæ substantiæ relatiua sunt, ad appellatiua, propria, & demonstratiua pronomina, ut homo, uel Socrates, uel iste qui ad nos uenit. Nam quis cum relatiuum fit, s amittit. Quæ accidentis sunt, ad sui generis adiectiua. Quantus ad magnus, paruus, bicubitus, bipedalis: ut, statua magna, quanta erat Rhodi. Quot ad duo, tria, quatuor. Quotus ad primus, secundus, tertius: ut, uenerat tertius, quotus tu. Quoteni ad bini, terni, quaterni. Quottuplus ad duplus, triplus, quadruplus. Quottuplex ad duplex, triplex, quadruplex. Quotennis ad biennis, triennis, quadriennis. Item ad bimus trimus, quadrimus: quibus adnumerari posse uidentur, annotinus & ornotinus, præterea annuus & anniculus. Plin. [lib.15.cap.2.] Vetustas oleo tædium affert, non item &* uino, plurimúmq; ætatis annuo est. Idem de capris: [lib. 8.cap.50.] Concipiunt Nouembri mense, ut Martio pariant turgescentibus uirgultis, aliquando anniculæ, semper bimæ, in trimatu inutiles. Idem: [lib. 13.cap.4.] Ergo plantaria instituunt, anniculásque transferunt, & iterum bimas. Ad cuius, ia, ium, tum pronomina possessiua, meus, tuus, tum nominum

Prouocabula.
Quantus.
Quot.
Quotus.
Quoteni.
Quotuplus.
Quotuplex.
Quotennis.
Annotinus.
Ornotinus.
Annuus.
Anniculus.

nominum genitiui, ut Meliboei, Aegonis. Caper Aegonis, cuia est uitula.

Redditiuum.

Redditiuum est, quod relatiua ipsa uel præcedit, uel sequitur, ut: Talis erat Hermolaus, qualis erat Theodorus. [Teren. Phor. act. 2. sc. 4.] Quot homines, tot sententiæ. Sunt autem numero hæc, talis, tantus, tot, huiusmodi, eiusmodi, istiusmodi. & ad quotus, totidem, ut Plin. in 11. [cap. 37.] Murium iecusculis fibræ, ad numerũ lunæ dierum in mense congruere dicuntur, totidémq; inueniri quotum lumen eius sit. Cæterum redditiua, quoties indicantes quippiam his utimur, demonstratiua sunt: ueluti si quempiam digito demonstrans, dicã: Talis erat Theodorus. aut, nõ tanti æstimo, indicans capillũ. Sæpe etiã admirantes his utimur, in illo [Virg. li. 1. Aen.] Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Possesiuum.

Possessiuum nomen est, quod aliquid significat ueluti possidentis, uel eius ad quod spectat quippiam, ut Euandrius, paternus, herilis.

Materiale.

Materiale est, quod aliquid ueluti ex materia significat, ut faginus, ilignus, abiegnus, colurnus, lapideus, testaceus, aureus.

Locale.

Locale siue adiectiui genus, quod Græci οἰκωμαλικὸν uocant, est, quod aliquid ut ex loco significat, ueluti hortensis, marinus, maritimus, montanus, cœlestis.

Patrium.

Patrium nomen est, quod aliquid ex patria signi-

Patria. significat, ut Eboracensis, Romanus. Est enim patria, ut Nonius Marcel. censet, urbs uel ciuitas parentum. Itaq; Virgilium noue illud protulisse ait: [lib.11.] Qui sanguine nobis Hanc patriam peperere suo. cum de Latio id dicat.

Gentile. Gentile est, quod aliquid ut ex gente uel natione significat, ut Græcus, Latinus, Britannus, Cyprius. Illa enim, Hispaniensis, Siciliensis, Romanensis, Corinthiensis, οἰκειωματικὰ potius quàm gentilia dixeris, cum non tam aliquid his gentibus ortum, quàm in ijs uersatum significent, ut Hispaniensis negociator, & exercitus, licet genere sint Romani.

Numerale. Numerale uarias habet species. Est enim & Cardinale quod numerum absolutè significat, ut unus, duo, tres. & Ordinale, quod numerum in ordine, uel ut aptè Laurẽtius præcipit, quod ultimum eius numeri significat. ut primus, secundus, tertius. Et diuisiuũ siue distributiuum, Græci διαιρετικὸν uocant, quod singulis multorum eundem numerum distribuit, ut singuli, bini, terni, quaterni, ut non immeritò oratoribus in multitudinis numero eorum ferè sit usus. Plinius de ceruis [lib.8.cap.32.] Octonis mensibus ferunt partus. Idem de canibus [lib.8. cap. 40.] Gerunt in uteris sexagenis diebus. Et de equis [libro 8. cap. 42.] Partum in eo genere undenis mensibus ferunt, gignunt duodecimo. Et de ijsdem

Diuisiuum. Distributiuũ.

dem: Viuunt annis quinquagenis. Rarius singularium, ut, Idem in decimoseptimo [capite 23.] Traduces gallica cultura binis utrinque lateribus, si * pars quadrageno distet spacio: quaternis, si uiceno inter se obuij miscentur. Idem uicesimoquinto [cap. 8.] Altera maior folijs laterũ modò inclusa, quia septena * est. Idem 26. [cap. 10.] Septuageno coitu durare ad *libidinem tactu herbæ, cuius nomẽ speciémq; nõ ponit. Sunt & quæ diuersæ rei, quàm appellatiui, quod cum his construitur, numerum indicent, in rius terminata, ut ternarius, quaternarius, quinarius. Lapis centenarius, qui est centum librarum. Homo centenarius, qui est centum annorum. Grex centenarius, qui est centum capitum. Cohors quadringentaria, quæ est CCCC militum. Sunt & quæ unum in se multiplicatum significant, ut duplum, triplum, quadruplum, quæ ad numerum uel pondus propriè referri Prisciano placet. [in lib. de pond. & mens.]

Numeralia in Rius.

Numeralia ad pondus uel numerum.

Partitiuum est, quod uel multa singillatim, uel unum ut ex multis significat. Multa singillatim, ut unusquisque, quisque, uterque, neuter. Vnum ut ex multis, ut alter, alius, cætera, & reliquus.

Partitiuum.

Vniuersale nomen est, quod totam naturam eius, cui additur uerbo subijcit, ut omnis, cunctus, nemo, nullus, nihil. Idem faciunt aliquando

Vniuersale.

&

Infinita nomina quæ ex simplicibus interrogatiuis fiunt.

& infinita ea, quæ ex simplicibus interrogatiuis fiũt, uel geminatis, ut quisquis, qualisqualis, quantusquantus, quotusquotus, uteruter, quotquot: uel adiectione, cunq;, ut quicunq;, qualiscunq;, quantuscunq;, quotcunq;, quotuscunq;. Vocentur autem uniuersalia infinita. Huc quodammodo referantur uniuersus & totus, Quorum totus, ad quantitatem continuam, sicut omnis ad discretam refertur. Vniuersus pro simul totus, uel simul omnis accipitur.

Vniuersalia infinita. Totus. Omnis. Vniuersus.

Particulare.

Particulare nomen est, quod appellatiui, cui additur, partem aliquam, non totam eius naturam uerbo subijcit. Aliter: quod minus certam definitámq; rem exhibet, quàm proprium, ut aliquis, quisquam, quispiam, ullus, quidam. Quorum postremo, rem nobis aliquo modo certam, incertè significamus, ut Terent. [And. act. 1. sc. 3.] Fuit olim quidam senex mercator, nauem is fregit apud Andrum insulam. Idem [act. 1. sc. 1.] Interea mulier quædam ab hinc triennium ex Andro commigrauit. Rursus [act. 1. scen. 3.] Et fingunt inter se quandam nunc fallaciam, ciuem Atticam esse hanc. Reliquis uerò rem tanquam nobis etiam incertam, incertè pronunciamus. Teren. [And. act. 4. sc. 1.] Atq; aliquis dicat, nihil promoueris. Est tamen ubi translatitiè his utare, ut in distributione: Hominum quidam boni sunt, quidam mali: uel, aliqui boni, aliqui

Quidam. Aliquis.

mali

mali. Cicer. [lib. 4. Tusc.] Dicimus grauedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia iam sint, sed quia sæpe. Diuersi ab his generis particularia sunt, nec nomen adhuc sortita, quilibet & quiuis. Significant enim propriè unum è multis. sed indifferenter hunc uel illum: uocentur autem (si libet) particularia infinita. Additur his alteruter, quod unum simili ratione ex duobus significat. Plin. nat. hist. [lib. 18. cap. 29.] Alterutrum fore in caussa, hoc est, plenilunium aut interlunium, non erit dubium. Lucan. [lib. 6.] Placet alea fati Alterutrum mersura caput. Cicero [pro Marcel.] Quod* si in alterutro peccandum sit.

Quilibet. Quiuis. Particularia infinita Alteruter.

Ex his nominis generibus, ea quæ comparationem recipere possunt, positiones, uel absoluta, uel principalia dicuntur, ut candidus, lætus. Comparatiua uerò, quæ excessum absoluti sui, unius pluriúmue respectu significant, soluúntque possunt in absolutum cum aduerbio, magis, ut doctior illo, uel illis, id est, magis doctus, Superlatiua uerò, quæ excessum positionis suæ significant, sempérque respectu plurium quàm duorum. soluuntur hæc in absolutum cum aduerbio, maximè: ut, doctißimus Poëtarum, id est, maxime doctus.

Principale. Absolutum. Comparatiuum. Superlatiua.

DE GENERIBVS.

Dictum est accidere nomini genus, casum, numerum

merum: quorum genus in sex diuiditur, masculinum, fœmininũ, neutrum, commune, epicœnũ, dubium. Horum masculinum est, quod solis maribus debetur, in ijs quæ sexus discrimen recipiunt, ut Theodorus, uir, Poëta. Vbi uerò sexus discrimen abest, quod uel masculini generis adiectiuis, uel proprijs, appellatiuísue masculinis, in publico Latinæ linguæ usu coniungi solet, ut lapis, niger, qui. Fœmininum est, quod solis debetur fœminis, ubi scilicet sexus discrimen adest, ut mulier, Poëtris, Cornelia. In alijs, quod fœminini generis adiectiuis uel proprijs, appellatiuísue fœmininis iungi solet, ut petra, nigra, quæ. In quibus uerò sexus facilè discernitur, si quæ uoces sunt, quæ maribus pariter fœminísq; cõueniant, cõmunis duûm generis meritò sunt, ut bos, sus. At in quibus obscurior discretio est, altero sæpe genere utrunq; sexum confundit usus, appellauítq; huiusmodi uoces promiscui generis: Græci ἐπίκοινον uocant, ut passer, miluius, quæ sub masculino: aquila, mustela, quæ sub fœminino, utrunq; genus comprehendunt. Sunt contrà quæ nulla ratione, sed solo autorum arbitrio, ab alijs masculinè proferuntur, ab alijs fœmininè, ideoq; dubij generis appellantur, ut margo, cortex, dies. Neutrum genus est, quod nec mari nec fœminæ proprium est, quódque in communi loquendi usu, nec marium nec fœminarum

Masculinum.

Fœmininum.

Commune duum.

Epicœnum

Dubium genus.

Neutrum.

rum adiectiuis appellatiuísue, sed sibi proprijs iungi solet, ut saxum, iumentum, nigrum, quod. Commune trium uel communißimum genus est, quod uocibus cuiusq; generis iungi potest, ut uelox, fœlix, potens. Commune trium.

DE CASV.

Casus, si ad uocem spectes & finem declinatarum ab uno Nominatiuo uocum uariatum, in uno numero reperientur plurimum quatuor, ut in secunda & tertia declinationum formis, à nominatiuo Dominus, domini, domino, dominum, domine. A nominatiuo Lebes, lebetis, lebeti, lebetem, lebete. In reliquis plurimum tres, ut à nominatiuo plurali, Poëtæ, Poëtarum, Poëtis, Poëtas. A nominatiuo Manus, manui, manum, manu A nominatiuo Dies, diei, diem, die. Sin ad res, siue personas quas exhibent, longe plures, quod docti ueterum fortasse uidentes, Datiuo octauum, Ablatiuo septimum adiecerunt, sicuti alijs fortasse alios, sed quorum appellationes ad nos non uenerunt. Nos eorum duntaxat sex, quæ publicè recipiuntur, descriptiones quasdam ponemus.

Nominatiuus igitur est, qui rem significat absolutè, citráq; omnem circumstantiam, ac semper uel finitis uerbis à priori iungitur, uel ei, quod eiusmodi uerba præcedit, sub eiusdem personæ ratione innititur. Hic, nisi propter nomi- Nominatiuus Rectus.

natiuum multitudinis, casus nō diceretur, sed re
Obliquus.
ctus, sicut reliqui omnes obliqui. Genitiuus est,
Genitiuus.
qui rem significat ut cuius sit quippiã, potéstq;
in possessiua subinde uerti, ut filius heri, herilis
filius: ensis Euandri, Euandrius ensis. Hic & pa
Interrogandi casus.
trius, & gignendi casus dicitur: priscis etiã in-
terrogandi casus dicebatur. Datiuus, siue dandi
Datiuus.
casus est, qui id significat, cui damnũ, gratifica-
Octauus casus.
tio, mißio, paritatis uel æqualitatis collatio, deni
que acceßio fit. Sub huius uoce aliqui octauum
cõprehenderunt, quem tum incidere uolebant,
cum quod aliâs per accusatiuũ cum præpositio-
ne usurpabant, per hunc casum proferebant, ut
Accusatiuus.
in illo [Virg.5.Aen.] It cœlo clamor. Accusati
uus, qui etiã incusatiuus uel causatiuus dicitur,
est, qui rem significat, tum infinitis uerborum à
priori, tum actiuorũ transitioni accommodatã.
Vocatiuus.
Vocatiuus, qui et salutatorius dicitur, est, qui uo
Salutatorius casus.
cãdis appellandísue personis est accõmodus, ut
Tityre. Iungitúrque uocandi aduerbijs, ut heus
Angele, ô Hermolaë: nunq̃ uerbo, ideoq; abso-
lutè semper consistit, quasi cum aduertentiã effe
cerit, officio defunctus. Itaq; etiam sensus in ser-
Ablatiuus.
mone uicem obtinet. Ablatiuus est, qui aliquid si
gnificat, tanquam in quo, cum quo uel abs quo.
Item per uel propter quod aliquid fiat. Et est
paßiuorum personæ agenti, item pretio, caus-
sæ, & instrumento significãdis accommodatus.
Hic,

Hic, latinus, & sextus, et comparatiuus dicitur. Eundem nominũ itemq; pronominũ casum, alij qui septimũ dixerũt, Quando scilicet, ut Prisci. [lib. 5.] refert, sine Præpositione legitur.

Latinus casus.

Sextus casus.

Comparatiuus casus.

DE NVMERO.

Numeri duo sunt: singularis, qui unum duntaxat significat, ut pater. Huius uim habet & quæ pro nominibus sumuntur, uerba infiniti modi, ut scire, uelle: & sensus quidam, ut quod legis, uel legas, ut scribas. Et quæ ὁρικῶς, uel τεχνικῶς accipiuntur, ut Tullius: in illo, Tullius est cognomen. & Pergama: in illo, Pergama est plurale. Multitudinis numerus est, qui multa significat, ut patres. Huius uim meritò obtinent duo uel plura propria, uel appellatiua, copulatiua coniunctione connexa, ut Socrates & Plato, ignis & aër, quo minus mihi figuratæ uiderentur huiusmodi constructiones, Socrates & Plato docent, nisi constructionem in uocibus naturaliter spectandam scirem. Sed de hac re alibi fortasse plura.

Singularis.

Nominum uice quæ ponũtur.

Pluralis.

Pluralis numeri quæ uim obtinent.

DE PRONOMINE.

PRONOMEN est pars orationis, quæ inflexa casibus, indiuiduam maximè essentiam significat sine ulla quidem temporis, sed nunquam sine definitæ personæ differentia. ALITER, Pronomen est pars orationis, quæ

Pronomen quid.

casibus inflexa, certius aliquid quàm proprium nomen significat, idq; ueluti demonstratum, relatum, uel possessum, cum aliqua semper personæ differentia. Species pronominis sunt quatuor, demonstratiua, relatiua, possessiua, & gentilis uel patria.

Species pronominis.

Demonstratiua.

Demonstratiua pronomina sunt, quæ aliquid ueluti indicatum significant. Sunt autem numero octo, Ego, tu, hic, iste, ille, is & ipse & unum in obliquis, sui. Ex ijs, ego, loquentem tantum indicat personam. Tu, ad quam sermo dirigitur. Reliquorum tria, hic, iste, ille, tertiam omnino personam demonstrant, non tamen eandem: sed hic, præsentem ei qui loquitur. Iste, præsentem ei ad quem fit sermo. Similes loci differentias demonstrant localia ab ijs declinata: Hic, isthic, hinc, isthinc, huc, isthuc. Terent. [Andr. act. 2. scen. 1.] Tu si hic sis, aliter sentias. Virg. [Aen. 9.] Per caput hoc iuro. Cic. in Anto. [Phil. 2.] Remoue paulisper istos gladios. Quinque uerò cum uno composito, idem, in relatiua transeũt, quando scilicet aliquid, quod in oratione præcessit, repetunt. Vnum etiam ipse, quod alioqui discretionem quandam ab alijs personis adnotat, trium personarum significationem repræsentat. Primæ, ut in illo Virg. [lib. 2. Aen.] Quæque ipse miserrima uidi. Secundæ, ut in illo Ouidius [in ep. Penel]. Nihil mihi rescribas, attamen

Ipse triũ personarum pronomen.

ipse ueni. Tertiæ, ut in illo Terent. [And. act. 3. sc. 2.] Ipsius se fallit haud ego. Hoc Græci [Apoll. apud Prisc. lib. 17.] epitagmaticon uocant: Donatus subiectiuum, quod reliquis omnibus pronominibus subijci potest, superq; nominibus, tum proprijs, tum apellatiuis, ut iam patebit. Et pronominibus quidem: ut, [Virg. eclog. 2.] Ipse ego cana legam tenera lanugine mala. Cicero in Tuscul. [lib. 1.] Tibijpsi pro te erit maxima corona caussa dicenda. Idem: [lib. 2.] Sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distinctè neq; distributè neq; eleganter neque ornatè scribere, lectionem sine ulla delectatione negligo. Terent. [And. act. 2. sc. 2.] Atq; isthuc ipsum nihil pericli est. Virg. [eclog. 1.] Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta uocabant. Cic. in Tusc. [lib. 1.] At idipsum odiosum est, sine sensu esse. Idem: [lib. 2. diui.] Ex tuo ipsius animo coniecturam feceris. Idem: [lib. 1. Tusc.] Cum uerò perspicuum sit, nihil posse in eo esse, qui ipse non sit, quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat nec sentiat? Proprijs autem & appellatiuis, ut Idem: [lib. 2. Tuscul.] Sed uideamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatē ipsam morte quærebat. Omnibus personis iungi potest & compositum, idem. Primæ, ut Cicero. [pro Arch.] Atq; idem contendo cum ad naturam eximiam &c. Secundæ, ut Terent. [Andr.

Epitagmaticon.

Idem omnibus personis iungi potest.

act.3.scen.2.] Tu tamen idem has nuptias perge facere, ita ut facis. Tertiæ, ut Virgil. [Eclog.3.] Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

Reciprocum. Restat ex demonstratiuis unum, nempe, sui, reciprocum à quibusdam dictum, quòd transitũ à tertia persona, in ipsam rursus reflectit, qua ratione tertiæ etiam personæ meritò est, quòd solius eius transitum remittit. Eadem ratione et obliquos duntaxat recipit, utiq; quòd non nisi in transitu personæ legitur. Sunt [ut Prisc.lib.12.] qui relatiuum putent, sed errore, cum sensum à priore non desideret.

Possessiua. Possessiua pronomina sunt, quæ aliquid ceu possidentis significant. Sunt autem quinq; : meus, tuus, suus, noster, uester.

Pronomina gentilia. Gentilia uel patria pronomina sunt, quæ non solum nationem uel patriam, sed etiam partes sectamúe significant, ut nostras & uestras : quæ ideo inter pronomina sunt posita, quòd certæ personæ differentiam secum afferunt.

DE GENERE.

Genera pronominum sunt quatuor: Masculinum, fœmininum, neutrum et commune duûm. Masculinum est, quod uel marem demonstrat, ut ego, quum uir loquitur : uel masculinis iungi solet, ut meus. Fœmininum uerò, quod fœminam demonstrat, ut ego, quum fœmina loquitur : uel cum fœmininis iungi solet, ut mea. Neutrum est,

quod

quod neutrum aliquod demonstrat, & nominibus neutris iungi solet, ut illud. Commune duûm, ut nostras, uestras.

DE PERSONA.

Persona duplex est, altera sermonis, altera constructionis. de hac alibi agemus, illa triplex est. Prima, quæ rem tantum ut loquentem demonstrat, ut ego. Itaque nihil miri, si, quæ uerba ad ea pertinent, quæ omnino loquela careant, prima destituuntur: huiusmodi sunt quorundam actiuorum paßiua, ut aratur, arantur. Indicio est, quòd talium rerum, cum per prosopopœian finguntur loqui, non dubitant autores etiam uerbis, quæ ijs propriè debentur, primas personas tribuere.

Persona duplex.

Prima persona.

Secunda persona est, quæ rem significat, ad quam sermo dirigitur, ut tu. Qua ratione efficitur, ut tum omnis uocatiuus secundæ sit personæ, cum quicquid uocamus, id omnino alloquamur: non tamen contrà, quicquid alloquimur, id continuò uocemus. Quæ res fortasse Triphonem [apud Prisc. lib. 17.] fefellit, qui pronomen, tu, tantum esse uocatiui casus putabat. Tum ad quæ sermo dirigi non potest, ea prorsus uocatiuis careant. Eiusmodi nomina sunt interrogatiua, relatiua, infinita, partitiua, & particularia. Nam uniuersalium quibusdam, præsertim eorum, quæ sic propriè dicuntur, nescio cur uocatiuus desit,

Secunda persona.

Tripho.

Vocatiuũ qui busdam et uniuersalibus & particularibus tum nominibus tum pronominibus nõ deesse uideri.

fortasse etiam nec particularium quibusdam desit, ut in illo Virgil. [lib. 4. Aeneid.] Exoriare aliquis nostris ex oßibus ultor. Pronomina uerò eiusmodi sunt, ego, & quæ tertiæ personæ sunt primitiua. In illo enim Cic. [pro Flacc.] O nox illa quæ tenebras attulisti, non tam demonstratio aliqua, quæ propria sit pronominibus, quàm nobilitatis siue eminentiæ indicatio quædam significatur. Simile quid uidetur in illo Tibulli: [li. 2. eleg. 3.] Idem* si fas est, mos precor ille redi.

Tertia persona.

Tertia persona est, quæ aliquid significat, ut de quo sermo habetur. Sub hac comprehenduntur omnia nomina, etiam pronomina, & participia, præter ego & tu, & uocatiuos. Quod à Græcis postpositiuus articulus dicitur: à Latinis, alijs prouocabulum, alijs pronomen infinitum, alijs relatiuum nomen (est enim substantiæ relatiuum) nempe, qui, quæ, quod. Ideo inter pronomina à Latinis grammaticis est coniectũ, quòd fortasse idcirco inter nomina ponendum non censuerunt, quòd & quorundam pronominum declinationem imitetur, & Græci articulo pro eo utantur, nec eius unius caussa numerum partium augendum existimarent. Distat tamen à pronomine, quòd nullam in se certam personæ differentiam includit, quod proprium, ut Aristarcho placet, pronominis est: sed omnibus coniungi promiscuè potest. unde & Infinitum pronomen

Qui, quæ, quod.

Aristrachus.

nomen à ueteribus appellatum est, ad infiniti uerbi similitudinem: quod item cum nullam personam habeat, omnibus iungi personis sine discrimine potest. Cæterum cum multis nominibus apud ueteres appelletur, nos interim prouocabulum qui, uel relatiuum qui, distinguentes uidelicet ab alijs, tum substantiæ relatiuis, qualia sunt pronomina, tũ accidentis, qualia sunt qualis & quantus, claritatis caussa uocabimus.

Infinitũ pronomen cur dicatur.

DE VERBO.

VERBVM est pars orationis, quæ modis & temporibus inflexa, esse aliquid, agereúe, aut pati significat. ALITER, Verbum est pars orationis cum tempore & modis significatiua. Verborum, quod ad significationem spectat, tria sunt genera, Actiuum, Paßiuum, & Neutrũ. Vocis ratione duo, principale, ut edo: declinatum, ut esurio. Terminationis ratione tria maximè, in o, in r, & in m. Significationis pariter & terminationis respectu, quinq;, nempe Actiuum, Paßiuum, Neutrum, Commune, & Deponens. Constructionis ratione duo, absolutum, ut frigeo: transitiuum, ut uro.

Verbum quid

Verbi diuisio uaria.

Actiuum est quod o finitum, ab agente in aliud ceu patiens transfundit actionem, transpositisque patiente in nominatiuum, & agente in

Actiuum quid

Actiuorũ tres ſpecies.

ablatiuum cum à, uel ab, præpoſitione, eundem ſenſum, non repugnante publico dicendi uſu, paßiua uoce reddere poteſt. Habétque tres ſiue gradus, ſiue ſpecies, generaúe dicere mauis. Alia enim paßiuam interpretationem in omni perſona & numero recipiunt, ueluti ea quorum actio in rem præditam loquela ſiue rationalem recipitur: uel (ut Priſcianus [libro 8.] interpretatur) quæ fateri poteſt id quod in ſe fit, ut doces, uel docet me, doceor à te, uel ab illo. Alia in tertia duntaxat utriuſque numeri, ut ea quorum actio in id tantum proprié tranſit, quod loqui non poteſt: doctißimus Theodorus [libro 4.] ὁλοενεργητικὰ uocat. Sicuti aro agrum & agros, aratur ager, arantur agri. Nauigo Tyrrhenum æquor, & Tyrrhenum æquor nauigatur à me. Poto flumen, & poto flumina: potatur flumen, & potantur flumina. Cicero [libro 1. officiorum] Quo in genere etiam in Republica multa peccantur. Lucanus [libro 7.] Plus cinerum Hæmoniæ ſulcis telluris aratur. Ouidius [libro 5. Triſ. elegia 2.] Quod piſcibus unda natatur. Hæc tamen in Proſopopœia primas & ſecundas perſonas accipere poſſunt. Alia in tertia duntaxat ſingulari talem interpretationem admittunt, ut ea quorum actio in aliquid cognatæ tantum ſignificationis tranſit, quo modo tertia perſona quorundam, quæ aliâs neutra abſoluta

ſunt,

ſunt, paßiuam interpretationem recipit, ut curritur ſtadium: quanquam nihil prohibet, quo minus hoc quoque ſi opus ſit, pluratiuè proferantur. Tametſi Diomedes repugnat, ſed nulla nixus ratione. Cur enim non, curruntur ſtadia, ſicut curritur ſtadium, dicas? Aliter, & breuius. Actiuorum triplex eſt ratio. Alia, quæ in treis perſonas tranſit, ut amo, doceo, me, te, illum. Alia, quæ in tertiam duntaxat, ſed utriuſque numeri, ut aro campum, & campos. Tertia, quæ in aliquid cognatæ ſignificationis tranſit, modò in quid tranſeat, explicetur: ut, curro ſtadium, uiuo uitam duram, Hactenúſque Actiuum eſt.

Paßiuum eſt, quodr finitum, tranſpoſitis perſonis interpretari retrò actiua uoce poßis, ſic: Docemur à præceptore, Præceptor docet nos. Paßiuorum ſicuti actiuorum triplex eſt ordo. Vnus eorum quæ à primo actiuorum genere ducuntur, quæ omnes perſonas & numeros recipiunt, ut doceor. Ad quem ordinem illa quoque ſignificationis ſaltem gratia referantur, Vapulo, ueneo, fio, liceo, quæ neutralia paßiua Priſcianus [libro 8.] uocat, Græci ἀυτοπαθητικὰ. Alius eorum quæ à ſecundo, quæ tertias utriuſque numeri perſonas habent, ut aratur, arantur, quæ etiam per Proſopopœiam (ut dictum eſt) primas & ſecundas recipere poſſunt.

Paßiuū quid.

Paßiuorū triplex ratio.

Neutralia paßiua.

Tertius eorum quæ à tertio, quæ tertiam ferè singularem recipiunt, ut statur, curritur, dormitur. Impersonalia ideo dicta, quòd sine patientibus personis à fronte expreßis ferè legantur.

Cõmune uerbum quid.

Commune est, quod or finitum, actiuorum, paßiuorúmq; significationem complectitur, ut: ueneror, moror.

Neutrũ quid.

Neutrum est, quod o uel m finitum, nihil ut in patientis personam transfundit. Itaq; nec reciprocam interpretationem paßiuam recipit, nisi sicuti paulo antè dictum est. Sunt autem neutrorum uariæ species, substantiæ una, nempe sum, es, est. Altera eorum, quæ Græci ἀυτοουδέτερα *dicunt, Latini absoluta, uel absolutiua, sic utiq; appellantes, quòd per se sensum absoluant. Veteres (ut Diomedes refert) supina uocarunt. Talia sunt duplicia. Alia, quibus actio ipso uerbo completa significatur, ut curro, ambulo, pluit: Qua ratione, quæcunque uerba ad quæstiones factas per, ago, uel facio, redduntur, cuiuscunque aliâs sint generis, huiusmodi uerborum naturæ sunt. Quod sic uidelicet sola uerbi actione, satisfactum quæstioni uidetur: ut, Quid agis, uel facis? Amo, scribo, loquor, disco. Alia, quibus paßio in ipso uerbo completa significatur, quæ* ἰδιοπαθῆ *Græci uocant, ut, palleo, rubeo. Talia sunt & pleraque eorum, quæ ueteres*

Absoluta, absolutiua siue supina.

teres Inchoatiua uocarunt. Laurentius Valla, [libro 1. capite 24.] Continuatiua, ut, Pallesco, nigresco.

Inchoatiua uerba.
Continuatiua uerba.

Deponens est, quod or finitum, uel actiui significationem obtinet, ut tueor, contemplor, loquor: uel neutri, ut philosophor, labor. Absolutum uerbum quid sit, iam dictum est.

Deponens quid.

Transitiuum id dicimus, quod in aliquem casum fertur, diuersum ab eo qui ipsum præcesßit, ut lego, egeo, placeo, careo.

Transitiuum uerbum quid.

Verbo accidunt quatuor, Tempus, Modus, (quem statum et qualitatem aliqui appellarunt) Persona, Numerus.

Quæ uerbo accidant.

DE TEMPORE.

Tempus esto, quod certam actionis qualitatem secundum prius & posterius demonstrat. Diuiditur Grammatico in treis partes: præsens, præteritum, & futurum. Actionis nomine hoc loco & pasßionem & neutram affectionem intelligi postulo. Præsens tempus, quod & instans Grammaticis dicitur, est, quo actio nunc geri significatur, ut scribo. Præteritum est, quod præterisse actionem significat. Huius triplex est ratio: Nam aliud imperfectum dicitur, quo prius quidem aliquid agi significatur, non tamen absolutam perfectamúe actionem esse. Aliter, quo continuatio præteriti alicuius, non perfe-

Tempus quid
Tempus triplex.
Præsens tempus.
Præteritum tempus.
Triplex præteritum.
Imperfectum.

ctio significatur, ut Virgilius: [lib.1.Aeneid.] Hîc templum Iunoni ingens Sydonia Dido Condebat. Erat enim adhuc in opere. Et Plinius in præfatione: Et ea quæ mirando non satiamur, pendente titulo inscripsisse, ut Apelles faciebat, aut Polycletus, tanquam inchoata semper arte & imperfecta. Aliud perfectum, quod præteritam absolutámq; significat actionem, quod idem Plinius paulo infra uerbis illis ostendit: Tria non amplius (ut opinor) absoluté traduntur inscripta, Ille fecit. Hoc in paßiuis, communibus & deponentibus duplex est, itaq; etiam duplici circuitione explicatum. Alterum, quo proximé præteritũ aliquid significatur, ut pransus sum. Alterum, quo ulterius præteritum, ut pransus fui: non enim si modo pransus sis, pransus fui, commodé dixeris. Aliud plusquamperfectum, quod præterisse actionem, sed respectu præteriti imperfecti, perfectiué significat. Futurum est, quod rem in futurum gerendam significat: ut: [Virgil.1.Aeneid.] Nascetur pulcra Troianus origine Cæsar. Hoc promißiuum modum uocarunt aliqui, quòd aliquando non tam plané futurum aliquid denunciat, quàm aliquid promittit, seu uelle quid facere ostendit: ut Virgilius: [Ecloga 10.] Ibo & Chalcidico quæ sunt mihi condita uersu Carmina pastoris Siculi modulabor auena. Et Ouidius: [Epist. Sapph.] Ibimus ô nym-

Perfectum.

Ille fecit.

Duplex perfecti uox in paßiuis.

Plusquamperfectum quid.

Futurum.

Promißiuus modus.

ô nymphæ, monſtratáque ſaxa petemus. Huius aliud genus facit Pomponius, nempe quod Exactum uocat, ut uidero, abiero. Quanquam Donatus talia ſubiunctiua pro indicatiuis poſita putat, ut in illis: [Terent. And. act. 2. ſcen. 3.] Dictum & factũ inuenerit aliquam cauſſam, quam ob rem eijciat oppido. Et alibi: [Adelph. act. 1. ſcen. 2.] At ſi pergis, abiero ego. Inuenerit pro inueniet, & abiero pro abibo. Hoc genus Græci non habent, ſed utuntur pro eo participio præteriti cum futuro uerbi, ſum, γεγραφὼς ἔσομαι ἐγνωκὼς ἔσομαι. Ariſtot. Topic. [libro 2.] δείξαντες ὅτι παντὶ ὑπάρχει, καὶ ὅτι τινὶ ὑπάρχει δεδειχότες ἐσόμεθα. quod Latinè ut ſaltem huc quadret, ſic interpretere: Qui aliquid omni ineſſe monſtrauit, etiam alicui ineſſe monſtrauerit. Demoſthenes: [Olinth. 3.] θεάσεσθε ὃν τρόπον ὑμεῖς ἐστρατηγηκότες πάντα ἔσεσθε ὑπὲρ Φιλίππου. Videtúrque ex præterito & futuro mixtum, ut interpretatio indicat, ſed & diuerſorum modorum commune. Indicatiui, ut Virg. [lib. 10. Aen.] Suggere tela manu*, non ullum dextera fruſtra, Torſerit in Rutulos. Terent. [And. act. 2. ſcen. 3.] Sed ſi te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris. Et interrogatiuè, ut Virg. in 9. Vnus homo, & ueſtris ô ciues undiq; ſeptus Aggeribus, tantas ſtrages impunè per urbe: Ediderit? iuuenum

Pomponius futurũ exactum

Exactum futurum quomodo Græci explicent.

Exactum futurum diuerſorum modorũ commune.

primos

primos tot miserit Orco? Subiunctiui. ut Ouid. [lib. 1. de art.] Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor. Cæcil. Plin. ad Vrsum: [lib. 6. Epist. 4.] Ero enim securior dum legam, statímque timebo cum legero. Significat enim planè, ὅτε ἀνεγνωκὼς ἔσομαι. De optatiuo non succurrit exemplum, eóque minus, quòd nec simplicis in hoc modo futuri facilè inuenias. Id euenit propter Isodynamon potentialis cum promissiuo modo, siue futuro tempore, quorum utroque significatur uoluntas, uel debitum, ut in modis latius apparebit. Grocinus, ut in omni literarum genere, ita in hoc quoq; curiosus, aliter tempora diuidere solebat. Nam præsens, præteritum & futurum, singula duplicia fecit, hoc modo: Præsens imperfectum, ut scribo: præsens perfectum, παρακείμενον græce dictum, ut scripsi: hactenus cum Stoicis sentiens, ut ex Pris. [li. 8. de cogna. temp.] accipimus. Deinde futurum imperfectũ, ut scribam. Futurum exactum siue absolutum, ut scripsero. Rursus præteritum imperfectum, ut scribebam. Perfectum, ut scripseram.

Grocinus.

Grocini temporum diuisio

DE MODO.

Modus.

Modus latinè, sicuti Græcè τρόπος, latius patere uidetur, quàm id quod Græci ἔγκλισιν uocant. Itaq; nec mirum est ueteres, qui sub uerbi ap-

bi appellatione, quicquid agere, patiúe significat, intelligebãt, etiam participialia, uerborum modis adnumerasse, atque ea, gerundi modum, ut alium fatendi, alium imperandi appellasse. Nos cum Græcis uerbi uocabulo arctius contracto, etiam modum ad ἔγκλισιν contrahimus, quam ipsi sic definiunt, ut sit uoluntas, uel affectio animi per uocem significata. Vbi rectius adsignificata uel consignificata (mea quidem sententia) dixeris. Hunc Græci Latiniq; in quinq;, ad summum sex diuiserunt. Indicatiuum, qui aliâs & finiendi, & interrogandi, & fatendi, & pronunciatiuus dicitur. Imperatiuum siue imperandi, Hypotheticon, quem cum imperatiuo coniungunt. Optatiuum siue optandi. Subiunctiuum siue subiungendi. Et infinitum, quem etiam alij uerbum infinitum, Gellius indefinitum uocat. Stoici nomen potius uerbi putarunt, quòd nec solui (ut uidetur) in aliud, sicut reliqui modi poßit, nec uolũtatis ullius aut affectionis sit adsignificatiuus: Cæteros omnes Syncategoremata & Symbamata dicunt. Nobis alium his adijcere uisum est, in quo est latini sermonis non solum lepos, sed etiam compendium, cum quod aliâs per debeo, uel poßum, est interpretandum, una uoce dixisse liceat, ut mox ostendemus. Est igitur indicatiuus, qui rem ut indicatam narratamúe significat: ut, [Virg. Eclog. 1.] Nos patriam

Gerundi modus. Fatendi modus. Modorum diuisio. Hypotheticõ modum quem uocent. Nomen uerbi Syncategoremata. Symbamata. Indicatiuus quid.

fugimus

fugimus. Hunc & per interrogationem, & dubitationem sæpißime usurpamus, ut [Persius satyr.1.] Quis leget hæc? [Terent. Eunuc. act.5. scen.6.] An in astu uenit? Hic modus omnia recipit tempora, discretis etiam uocibus, ut in ipsorum temporum exemplis palàm fecimus. Imperatiuus est, qui rem ut imperatam iussamúe significat. Huic ex personis prima nō datur, quòd nimirum cum imperatio sine secunda consistere non poßit, nemo sibi ut loquenti commodè imperet. Tertia tamen datur, qua in absentem imperari aliquid significetur: Nusquam tamen sine secundæ consortio, ad quam uidelicet imperatio fiat. Interdum per tertiam permißio tantum significatur. Vnde permißiuus modus dicitur. Ex temporibus uerò (mea quidem sententia) futurum hic modus non habet, quòd ad gerendum aliquid, opinione saltem imperantis, semper sit imperatio. Itaque etiam futuri temporis aduerbijs coniungi omnibus suis temporibus potest, ut scribe nunc, uel cras: nunquam præteritis, non enim dicas, scribe, aut scripseris heri. Sed nec Græci, propria saltem uoce, futurum in hoc modo habent. Fuitq; hæc uetus opinio, ut Apollonius ipse fatetur, qui tametsi aliter sentit, mihi tamen ratione ulla non persuadet. Reliquorum temporum (id quod constat) præsens & præteritum recipit. Et præsens quidem duplici uoce & sua

Imperatiuus quid.

Permißiuus.

Futurum imperatiuis deesse.

& sua, præteritum unà & cum subiunctiuis communi. Præsens, ut Virg. [lib. 1. Georg.] Nudus ara. Item [lib. 2. Georg.] Primus humum fodito, primus deuecta cremato. Item [Eod. loco] Laudato ingentia rura, Exiguum colito. Hor. [in arte] Non satis est pulcra esse poëmata, dulcia sunto, Et quocunq; uolent, animum auditoris agunto. Cur enim has uoces, quæ in to, tor, tote, exeunt, futura esse, uelint Grammatici, ipsi uiderint. Ego certè non uideo, qui eas coniunctas cum alteris uideam, quas fatentur præsentis esse. ut Propertius [lib. 2. ad Demo.] Aut si es dura, nega: sin es non dura, uenito. Virgil. [Eclog. 9.] Tityre dum redeo (breuis est uia) pasce capellas, Et potum pastas age Tityre, & inter agendum Occursare capro (cornu ferit ille) caueto. Sed nec Porphyrio, qui iam positos uersus enarrans, Sunto, inquit, & agunto, sint & agant significant. Nec Seruius (ut uidetur) qui super illud Virgilij [lib. 4. Aen.] Nullus amor populis, nec fœdera sunto, Sunto, pro sint interpretatur, & eam formam à tertia plurali præsentis indicatiui deduci ait, O litera metri caussa adiecta. Idem Diomed. [lib. 1.] facit, & Mandatiuum à nonnullis uocatum ait. Præteriti exemplum sit illud Cic. ad Att. [lib. 5. ep. 8.] Sed amabo te nihil incommodo ualetudinis tuæ feceris. Et Martialis [lib. 14.] Dic quotus es,

Mandatiuus modus.

quanti cupias cœnare, nec ullum Addideris uerbum, cœna parata tibi est. Idem [lib. 7.] Viue uelut rapto, fugitiuáq; gaudia carpe, Perdiderit nullum uita reuersa diem. Et paßiua illa, quæ fatetur Priscianus præteriti esse, licet actiua neget, Dictum sit, determinatum sit. Et Quintil. Institution. [libro 1. capite 1.] De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit. [cap. 2.] Idem etiam de * præsentibus annis præceptum sit, ne quod cuique discendum est, sero discere incipiat. Et permißiué, ut Virgil. [lib. 10. Aen.] Si sine pace tua, atque inuito numine Troës Italiam petiere, luant peccata, nec * illos Iuueris auxilio. Quibus tamen omnibus præteriti formis, si quis penitus inspiciat, perfectio absolutióque potius, quàm actio ulla præterita significatur, ne quis non gerendum aliquid imperari putet.

Plusquamperfectum imperatiui.

Ego uerò & plusquamperfectum saltem permißiué, apud nos quoque non minus quàm apud Græcos, legere uideor: ut in illo Virgil. in 4. Verum anceps pugnæ fuerat fortuna, fuisset, Quem metui moritura? Hypotheticos, qui aliter Authypotactos dicitur, est cum nos unà cum alijs ad aliquid subeundum summittimus. Hic primam personam multitudinis duntaxat recipit: ut, Eamus, * & in media arma ruamus. Hunc non nulla ratione Latini cũ Imperatiuo coniungũt,

Hypotheticos. Authypotactos.

&

& quòd ut gerendum ſemper aliquid ſignificat, & quòd ſine ſecunda perſona adhibita non conſiſtit. Tempora uidetur habere poſſe eadem, quæ imperatiuus.

Optandi modus.

Quæ optandi modo à Grammaticis tribuuntur uoces, rem ueluti optatam ſignificant, nec refert factáne ſit, an fiat, an facienda ſit (quod poſteriores ueterum fefellit) incerta tamen eſſe ei qui optat, omnino uidetur. Itaque Græcis nullo tempore deficitur. Sed nec Romanis ante Donatum, ut Priſcianus in 8. refert. Is enim primus leuiſſima ratione inductus, præſens & præteritum ſuſtulit, quorum tamen uſus frequentiſſimus eſt. Cuius Priſcianus cum non eſſet ignarus, mirum eſt contra tum Græcos, tum Latinorum ueteres, unum Donatum ſequi uoluiſſe, nec exemplo ſaltem, quod ipſemet [lib. 18.] ex Lucano protulit, admoneri potuiſſe: [lib. 1.] Dij uota* ſecundent, Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis Finxerit iſta Tages. In quo, quis præſentis exempla non uidet? Quis uerò ueterum lectioni aſſuetus, ut Priſcianus fuit, ferè omnium huiuſmodi temporum uſum non ubiq; aduertat? Præſentis ſine ſigno: ut Terent. Dij* illum perdant. Et [And. act. 4. ſcen. 5.] Dij te eradicent. Et cum ſigno, ut: [Eunuch. act. 4. ſcen. 3.] Vtinam ſic ſint, qui mihi male uolunt. Cicero ad Attic. [lib. 3. epiſt. 15.] Atq; utinam ipſe Varro incum-

Donatus primus omnium Grammaticorum in optandi modo præſens & præteritum ſuſtulit.

incumbat in caussam. Imperfecti: ut Terentius, [Eunuch. act. 1. scen. 2.] Vtinam istuc uerbum ex animo* diceres. Perfecti, ut: [Andria act. 3. scen. 1.] Vtinam hic surdus, aut hæc muta facta sit. Plusquamperfecti, ut [Ouid. in epist. Pen.] O utinam tunc cum Lacedæmona classe petebat Obrutus insanis esset adulter aquis. Virgil. [lib. 2. Aeneid.] Fecisséntque utinam. De futuro sua præsertim & propria uoce magis est incertum, quanquam Priscianus [lib. 18.] in illo Virg. [lib. 6.] Hac Troiana tenus fuerit fortuna sequuta. uerbum, fuerit, tam Præteriti quàm futuri ait esse posse. Quare illud Hypsipyles ad Iasonem: Credula res amor est, utinam temeraria dicar Criminibus falsis insimulasse uirum. Et Cic. ad Attic. [lib. 8. epist. 2.] Est mihi præcipua caussa manendi, de qua utinam aliquando tecum loquar. cum similibus ad præsens potentiale, quod sæpe (ut antea dictum est) futuro est isodynamon, reijciendum: quæ res multis fortasse imposuit, qui idcirco putarunt eiusmodi uoces esse futuri. Potentialem uocamus, quem Græci per ἄν coniunctionem & uerbum duplicis modi, aliâs indicatiui, aliâs optatiui explicant, quo minus illis modum unum statuere licuit. Nobis, quibus id non obstat (quippe qui optatiui uoce tantum utimur) ratio unum modum statuendi non desit, & alioqui sic faciamus oportet, nisi confun-

Potentialis modus.

confundere diuersißimas affectiones uolumus, quales sunt huius de quo nunc agimus, & optatiui. Siquidem in altero indicatio est potentiæ, debitíue, Aliquando uoluntatis. In altero tantum significatur optatio. Rursus ille per interrogationem sæpe usurpatur, sicut etiam optatiuè aliquãdo, ut paulò antè diximus. Hîc per interrogationem accipi non potest: Nec est (ut arbitror) quod aliquem torqueat, quo minus hîc duos esse modos concedat, propterea quòd una sit utriusq; uox, non magis quàm ubi optatiuum & subiunctiuum duos facit, quorum non minus, ut clarè liquet, una est uox. Hæc uerò nostra sententia cui placebit, potest, si uolet, hunc, quem nouamus modum, potentialem appellare. Cui diuersa sententia erit, siue optatiuum esse contendat (nam subiunctiuum esse, ut Priscianus [lib. 18.] non rectè censet, nulla ratio efficit) siue uoces quinq; temporum, quæ publicè subiunctiuo tribuuntur, triplici significato donet, optandi, potentiæ, subiunctiui (hoc autem est indicandi, cæterum sub altero uerbo subiecti, ut post dicetur) dummodo significationis ipsius & usus admonitus, Latinius loqui incipiat, me certè non offendet. Cæterum quo melius hunc quem uolumus, quasi de facie agnoscat, exempla per singula tempora ponemus. De præsenti huius rationis: Cicero de prætu. urb. Si quis noui quid in-

Exempla modi potentialis per singula tempora.

stituerit, is non omnia, quæ antè acta sunt, rata esse patiatur, id est, non debet pati rata esse, ut Priscianus *ipse* [*lib.* 8. & 18.] *interpretatur.* Plin. *de* Aesopo *histrione, & filio eius:* [*lib.* 10. *cap.* 51.] Non *sit tamen* (*ut uerum fatear*) *facile inter duos iudicium turpitudinis.* Virg. [*lib.* 1. Georg.] Quicquid *eris, nam te nec sperent tartara regẽ,* Nec *tibi regnandi ueniat tam dira cupido.* Vbi, *sperent, possunt sperare: &, ueniat, potest uenire, significant.* Iuuen. [*sat.* 1.] Expectes *eadem à summo minimóq; poëta.* pro *potes expectare.* Quintil. [Decla. 15.] Non *expectes, ut statim gratias agat, qui sanatur inuitus.* pro *debes expectare.* Columel. [*libro* 3. *capite* 8.] Non *enim dubium est* Marsici*, Surrentiníq; & Albani, atq; Cecubi *agri uites omnium, quas terra sustinet in nobilitate uini* Principes *esse, fœcunditas ab ijs fortaßis desideretur.* Huius *perpetuò modi est & quod in illa figura legitur.* Terent. [Heauton. *act.* 1. *scen.* 2.] Nihil *est quod uereare* Clinia, Cicer.* *ad* Q. *frat.* Nihil *est quod uerear de eius eruditione.* Idem: Quod *labores nihil est.* pro *debes laborare.* Horat. [*libro* 2. *epist.* 1.] Non *est quòd multa loquamur.* Et *per interrogationem.* Virgil. [*libro* 2. Georg.] An *memorem portus?* Lucrinóque *addita claustra?* Idem [*libro* 2. Aen.] Quis *cladem illius noctis, quis funera fando* Explicet, *aut*

posßit

poßit lacrimis æquare dolores? Vbi simul inter pretatio huius temporis est. Horat. [in arte] Spectatum admißi risum teneatis amici. Liuius: [libro 1.] Quis enim rem tam ueterem pro certo affirmet? Et sub infinita particula. Cicer. Attico [libro 9. epist. 21.] Ex eius nuncio Macijq; literis meditabor, quomodo cum illo loquar. Quintilian. [libro 1. capite 10.] Ego dubito, an id proprium* potius appellem. De imperfecto, ut Terent. [And. act. 1. scen. 1.] Diceret, quid feci? quid commerui, aut quid peccaui pater? pro poterat dicere. Idem [Eunuch. act. 4. scen. 7.] Fundam tibi nunc nimis uellem dari, ut illos procul hinc cæderes ex occulto, facerent fugam. pro deberent, aut uellent facere. Virgil. [libro 1. Aeneid.] Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces. pro deberet uertere. Et per interrogationem. Idem [Eclog. 1.] Quid facerem? neque seruitio me exire licebat. De præterito perfecto. Horat. [libro 2. Od. 13.] Illum & patris* crediderim sui Fregisse ceruicem. Terent. in Andria [act. 1. scen. 2.] Vbiuis facilius passus sim, quàm in hac re me deludier. pro possum credidisse, & possum passus esse. Idem in Hecyra [act. 3. scen. 4. Denique hercle aufugerim potius quàm redeam, si eò mihi redeundum scirem.* Virgil. [libro 2. Georg.]

Non ego te mensis & dijs accepta secundis Transierim Rhodia & tumidis Bumaste racemis. pro possum, uel debeo transisse. Terent. [Heauton. actus 2. scena 3.] Vbi paululum* si quid te fugerit, ego perierim. pro debeo periisse. Horatius [libro 1. Satyr. 10.] Non tamen hoc tribuens, dederim quoq; cætera. Quintil. [in proœ.] Qualis adhuc fortasse nemo fuerit. pro debet fuisse. Qua periphrasi usus est Plin. [libro 9. capite 41.] ubi dicit: Pœnitentia hoc primum debet inuenisse. pro inuenerit. Talia sunt: Non improbè sperauerim, concesserim, propè dixerim, & similia. Et per interrogationem Iuuenal. [Sat. 2.] Quis tulerit Grachos de seditione querentes? Et infinitè. Valer. Maxim. [libro 4. cap. 6.] Itaq; Corneliam, nescio utrum feliciorem dixerim, quòd talem uirum habuerit, an miseriorem, quod amiserit. Plusquamperfectum. Virg. [lib. 4. AEneid.] Faces in castra tulissem, Implessémq; foros flammis, natúmque patrémq; Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem. pro, uolueram, uel debueram ferre, implere, extinguere, dare. Cic. de præt. urb. Voconia lex te uidelicet delectabat. Imitatus esses illum ipsum Voconium, qui hæreditatē lege sua ademit nulli, id est, debueras imitari, Qua periphrasi usus est Iuuenalis [Sat. 3.] Agmine facto Debuerant tenues olim migrare* Quiri-

Quirites. Exempla huius temporis in potentiæ significatione, rara inuenio, fortasse quòd periphrasis eius magis usurpetur. Cic. ad Att. [lib. 8. epist. 9.] Sed cum hæc scribebam V. Calen. Pompeius iam Brundusium potuerat uenisse. Videtur tamen eiusmodi esse illud Ciceronis ad Aul. Cecin. [lib. 6. epist. 6. fam.] Dicerem quæ antea futura dixissem, ni uererer, ne ex euentu fingere uiderer. Videtur enim pro potuissem dicere, accipiendum esse illud dixissem. Per interrogationem, exemplum autoris modò non succurrit. Sed tale omnino inueniatur, quale sit: An te non salutato discessissem? Aut quò te inuito me contulissem? In hoc modo singularis quædam natura duorũ temporum obseruatur. Præteriti imperfecti & præteriti plusquamperfecti, quorum prius duorum temporum aduerbijs, præsentis & futuri rectè coniungitur: Nunc scriberem. Cras, uel perendie scriberem. Posterius trium, præteriti, præsentis, & futuri. Heri, uel olim scripsissem. Hodie, uel nunc scripsissem. Cras, uel posthac scripsissem. Futurum huius rationis maximè uidetur in incerto ob societatem quandam & cum futuro exacto, et cum præterito eiusdem modi, cum quo ut in uoce (præterquam in prima persona) ita in significatione ferè recurrit. In illo enim Virgilij [lib. 2. Georg.] Tamen hæc quoq; si quis Inserat, aut

Præteriti imperfecti & plusquamperfecti in potentiali modo proprietas.

ſcrobibus mandet mutata ſubactis, Exuerint ſiluestrem animum. uidetur uel præteriti quædam ſimul & futuri ſubeſſe ſignificatio, quæ futuri eſt exacti, quaſi ἐκδεδικότα ἔσονται, uel potentialis præteriti huius de quo agimus modi, quaſi ἐκδύσαιεν ἄν, ut Priſcian. [lib.18.] Græcè interpretatur, hoc eſt, exuiſſe debent.

Subiunctiuus quid.

Subiunctiuus eſt, qui alteri ſemper uerbo, & plerunq; coniunctioni, uel relatiuo, qui, uel infinitæ particulæ eſt ſubiunctus, ac ſignificatum indicatiui maximé repræſentat. Huius futurum paßiuum geminam periphraſim recipit: Alteram ex Participio cum futuro ſubiunctiui uerbi ſum, ut amatus fuero: Alteram cùm futuro indicatiui eiuſdem, ut amatus ero. Cicer. ad Terent. [ep.10.] Cum eo ſi locuta eris, intelliges. Idem [epiſtola 11.] Cum profectus erit, faciam te certiorem. Ouidius [in epiſt. Phillid.] Cum fuerit lectus Scyron, toruúſque Procuſtes.

Infinitus modus quid.

Infinitus modus eſt, qui agere, aut pati ſignificat, ſed citra omnem numeri aut perſonæ differentiam, qua ſcilicet ratione infinitus eſt appellatus. Huius cum quinq; ſunt tempora, Latina lingua duabus uocibus actiuis, quatuor eorum refert: una præſens & præteritum imperfectum, ut amare: altera præteritum perfectum & pluſquamperfectum, ut amauiſſe. Futurum unicum reperitur, fore. Reliqua tum actiua, tum paßiua, circuitione ſup=

ne supplet, ut amaturum esse, amandũ esse, quæ periphrases per genera & numeros pro ratione eorum quibus adhærent, uariantur in omnibus uerbis, ut amaturum uel amaturam esse, amandum uel amandam esse. Etiam per nominatiuum casum, amaturus uel amandus esse, præter tertium paßiuorum genus, in quo hæc neutra tantum uoce proferuntur, cuius generis est, amatum iri, cum similibus, quæ futuris paßiuorum sunt isodynama, potius quàm uera futura: non tamen eorum actiua amatum ire, & similia tantundem ualent, quantum actiuum futurum amaturum esse.

Amatum iri.

Soluuntur in hunc ferè reliqui modi. Indicatiuus, ut scribis, aio uel iudico te scribere. Imperatiuus, ut salue, iubeo te saluere. Optatiuus, ut utinam ualeas, opto te ualere. Potẽtialis, ut impleuissem, potueram, debueram uel uolueram implere.

Solutio reliquorum modorum in infinitum.

Aliter & compendio de modis. Modi, si uocum discrimen spectes, quatuor tantum sunt. Primus, qui in prima persona singulari actiuæ uocis, per o, bam, i, ram, bo uel am finitur. Secundus, qui & in secunda singulari præsentis temporis actiuæ uocis per a, e, uel i, uel solas, uel etiam syllaba to adiecta desinit, ut ama uel amato: doce, doceto: lege, legito: audi, audito. Tertius, qui in prima singulari actiuæ uocis, em uel am, rem, rim, sem, ro, finales uoces recipit. Quartus, qui per re, uel se, in actiua uoce termina-

Modorum in uerbis alia diuisio.

terminatur, ut amare, amauisse. Cuiusq; horum uarius est usus. Primi, ad res indicandas narrandásue, uocatúrq; Indicatiuus, finitiuus, uel pronunciatiuus, ut: [Virgil. lib. 1. Aeneid.] Arma uirúmq; cano. Idem modus & per interrogationem usurpatur, ut: [Virg. eod. lib.] Sed uos qui tandem, quibus aut uenistis ab oris? Secundi, ad res imperandas, uocatúrq; Imperatiuus, cuius suprà posuimus exempla. Idem in tertia maximè persona aliquando permitti rem significat, & Permißiuus appellatur, ut [Iuue. sat. 3.] Viuat Arturius isthic. Tertius aliâs reb. optandis conuenit, qua ratione Optatiuus dicitur, ut [Virg. eclog. 2.] O tantum libeat mecũ tibi sordida rura, Atq; humiles habitare casas. Aliâs posse, uel debere fieri aliquid ostendit, ut suprà uarijs exemplis docuimus. Aliâs uelle aliquid, ut apparet ex illo Virg. in Georg. [lib. 1.] An deus immensi uenias maris. Respondet enim ad illud, Vrbes ne inuisere Cæsar, Terrarúmque uelis curam. Estq; hactenus hic modus innominatus. Nos primi potentialem uocauimus. Aliâs significationem indicatiui, sed altero uerbo subiuncti exhibet, sicq; subiunctiuus rectè dicitur. Priuatim hic tertius in prima multitudinis persona submittere se quenquam cum alijs ad aliquid gerendum significat, ut: eamus. Vocatúrq; hic Græco nomine Hypotheticos uel Authypotactos. In tertia

Indicatiuus. Imperatiuus. Permißiuus modus. Optatiuus. Potentialis. Subiunctiuus modus. Hypotheticos uel authypotactos.

tia uerò præsentis & præteritorum perfecti & plusquamperfecti, permißiuè accipitur, ut antè monstratum est, sicut in tertia præsentis & præteriti etiam imperatiuè, ut in illo Martial. [lib. 7.] Perdiderit nullum uita reuersa diem. Quartus actionem significat citra omne personæ, aut numeri discrimen, ponitúrq; uice nominis nonnunquam, ut suprà est traditum. Paßiuis quoque modorum uocibus significationes ad portionem applicentur. Infinitus.

DE PERSONA.

Persona in uerbo prima est, quæ de loquente dicitur, ut Lego. Secunda, quæ ei ad quem fit sermo, accommodatur, ut Legis. Tertia, quæ ei de quo loquens agit, conuenit, ut Legit. Persona.

DE NVMERO.

Numerus uerbi duplex est: Singularis, qui de nominibus & pronominibus singularibus dicitur. Multitudinis qui de pluralibus. Numerus.

DE PARTICIPIO.

PARTICIPIVM EST pars orationis quæ partem capit à nomine, partem à uerbo, partem ab utroque. Capit enim à nomine genera & casus: à uerbo significationem & Participium quid.

tempus:

tempus: ab utroque numerum & personam. Significatio siue genus participiorum est triplex. Actiuum, ut amans. Paßiuum, ut amandus. Neutrum, ut sedens, profectus. Tempora participiorum sunt tria, præsens, præteritum, & futurum. Actiuæ significationis tempora sunt tria, præsens in ns, ut amans: futurum in rus, ut amaturus: & in deponentibus actiuis præteritum in tus, uel in sus, ut locutus, orsus. Paßiuæ significationis sunt itidem tria, præsens & futurum una uoce in dus, ut amandus: præteritum in tus, uel in sus, uel in xus, ut amatus, læsus, flexus. Neutrorum uerò tria, præsens, ut sedens: futurum, ut sessurus: & in neutris deponentibus etiam præteritum, ut profectus. Huius formæ ab actiuis, uel neutris etiam non deponentibus notantur quædam, Ausus, gauisus, fisus, solitus, præterea cœnatus & pertæsus, quorum uerba ueteres Transgreßiua uocarunt, posteriores Neutro paßiua. Talia sunt & licitum, libitum, placitum & complacitum.

Triplex participiorum genus.

Tempora participiorũ.

Transgreßiua.

Neutro paßiua.

De præsenti paßiuo, quoniam id Grammatici uidentur adhuc non admittere, ueniam dabit lector, si paulò pluribus agam, quo res controuersa, sit nec ne Latinis eiusmodi participiũ, semel decidatur. In quo mihi Laurentij [lib.1.ca.29.] autoritas (uiri de lingua Romana nõ minus propè dixerim meriti, quàm olim de imperio Romano

Præsens paßiuorum participium.

Laurentij Vallæ laus.

no Camillus) non paruo adiumento erit: qui participium hoc genus, primum cunctanter, mox planè admittit, Cæterum cum alio genere omnino à participijs diuerso confundens. Quod mihi docendum cum sit, haud scio unde melius quàm ex ipsius uerbis in primo elegantiarum libro incipiam. Ea sic se ad uerbum habent: Nescio, inquit, an dicendum sit gerundium esse participium præsentis temporis, more Græcorum: cuius rei hoc argumentum est, quod idem est in legendo, & in ipso legere, quod Græci melius ἐν τῷ ἀναγινώσκειν. Et in legendis libris, uidelicet qui leguntur (nam sic corrigo locum corruptum, cũ aliter nihil probet de præsentis significatione, siue rei administratione.) In his uerbis, quis non uidet, quòd primum quasi dubitans dixit, nempe gerundium esse participium præsentis temporis, eius rei postea argumentum afferre, pergénsq; mox ex nominatiuo & uocatiuo eius participij inuentis, quod cunctanter dixerat, sine cunctatione confirmat? & obiter quid sibi uelit per rei administrationem, ostendit his uerbis: Nolunt autem Grammatici gerundium habere rectum casum, sed quatuor tantum obliquos. Fortasse & casu recto non caret, ut apud Lucretium [libro 3.] atque Virgilium [lib. 9. Aen.] Voluenda dies en attulit ultrò. Voluenda, non tempus futurum intelligit, sed rei

rei administrationem, dies uidelicet quæ uoluitur, non quæ uoluenda est, uel uoluetur. Vnde indicatur gerundium esse participium præsentis temporis. Iusiurandum enim potest uideri eiusdem casus, etiam uocatiui. Hactenus Lauren. In his cum indicari dicat gerundium esse participium præsentis temporis, constat planè eum hoc tempus esse confirmare. Et alioqui non omnes (arbitror) casus, & genera, & numeros gerundi tribuisset, nisi id participium esse credidisset. Ita Laurentium quidem præsens passiuum Participium statuere, & cum gerundi confundere, ex his liquet. Nos ea primum distingui, & separata inter se genera esse doceamus. Deinde id quod Laurentius per omnia genera & casus inclinat, Participium esse, mox etiam præsentis temporis ostendere tentemus. Iam primum constat paßiuum participium, siue id præsentis sit, siue futuri, nusquam significare actiuè posse. At participialia, siue ut Laurentius nouè uocat gerundia, tum actiuè accipi, tum paßiuè posse, ipse etiam fatetur, ut cuius hæc sint uerba: Cum substantiuis sociata sunt, paßiuè accipiuntur: disiuncta uerò, actiuè, nonnunquam paßiuè. Addit etiam, quibus rem confirmet, de ijs quæ in do & dum finiuntur, exempla. Atqui paßiuum participium siue præsentis sit temporis, siue futuri, actiuè prorsus accipi non potest.

Ita gerundium quod uocat, & participium pro eodem ſumi prorſus non poſſunt. Præterea hæc, quæ actiuè & paßiuè accipi poſſe ait, cum ubi actiuè ſignificant, nec certum numerum perſonamúe habeant, & conſtructionem ſuorum uerborum ſeruent, ubi paßiuè, & abſolutè ponantur, nec cum proprijs appellatiuisúe intranſitiuè iungantur, quis ea non plurimum differre ab ijs, quibus omnia ſunt contraria, dixerit? Eiuſmodi porrò ſunt hæc, quæ nos præſentis participia cenſemus: quippe quæ certum numerum, perſonam, & ſignificatum ſemper habeant, & nunquam ſine proprijs appellatiuisúe adiunctis legantur. Accedit, quòd ſignificatio præſentis participij paßiui, & participialis, ſiue gerundi paßiui (quo minus eadem putentur) omnino diuerſa eſſe uidetur. In illo enim, [Virgilius libro 3. Georg.] Vritque uidendo fœmina, ſiue intelligatur generalis aliquis ablatiuus agentis perſonæ, ut uir, uel aliquis: ſiue addatur, tametſi uſu addi non ſolet, ſignificatur tamen, dum fœmina uidetur à uiro, uel ab aliquo, urit illum, quod ſæpe uſu uenit. At in illo, Videndo uiro urit, ſignificatur, dum uir uidetur, urit illum, quod uſu uenire non experitur. Quid quòd ueteres id demum participiale, ſiue gerundi appellarunt, quo Græcorum infinitum cum articulo interpretabantur, idq; per omne uerborum genus,

ut τοῦ ζῆν ἕνεκα, uiuendi cauſſa: ἐν τῷ ὁρᾶν, καὶ ἐν τῷ ὁρᾶσθαι, in uidendo, & uidendo: μεταξὺ τοῦ γινώσκειν, inter cognoſcendum. Cum participium potius per gentile ſuum participium exponatur: τύπτων, uerberans: τύψων, uerberaturus: τυφθείς, uerberatus: τυπτόμενος, uapulans uel uerberandus, eo modo quo, Voluenda dies, & Iuſiurandum, licet parum in uſu ſub hoc caſu ſit: τυφθησόμενος, uerberandus ſiue uapulaturus: ſicut προσαγορευθησόμενος, ſalutandus. In talibus, eo ad ſalutandum fratrem, ad ſalutandam ſororem, ad ſalutandos affines. Nec eſt quod cuiquam gerundi, & participium paßiuum idcirco idem eſſe credantur, quod eundem ſenſum per utrunque genus interpretari licet: ut, legendo noſtra, & legendis noſtris: Inter accipiendum de commodis ſuis rationes, inter accipiendas rationes. Sic enim actiuum quoque participium præſentis cum gerũdi ſit idem, cum ſit idem ſenſus dicentis, Legendo noſtra proficies, & legens noſtra proficies. Et quanta quæſo ſit abſurditas eiuſdem poſitionis, quatuor caſus ſingularis formæ ſine numero & perſona eſſe, & uerborum ſuorum conſtructionem ſeruare, & ab omni uerborum genere deduci poſſe, reliquos tum ſingulares, tum plurales, tantum à paßiuis? In ſumma, gerundi ſiue participiale per o finitum, cum omnium Grammaticorum

corum consensu, communem habeat ultimam syllabam, participium esse non potest, cuius casus per o finitos eorundem Grammaticorum consensus longam eam habere contenderit, nemine in hunc diem aliter præcipiente, obseruanteúe. Nemo enim (arbitror) in illis, De accusatore constituendo, in agro colendo, do syllabam communem esse affirmauerit. Et quod gerundi quidem diuersum omnino sit ab eo, quod Laurentius præsentis participium uocat, his puto rationibus quisq; sibi persuaserit: Nunc quod ille præsentis participium alicubi uocat, eiusmodi participium uerè esse ostendere tentemus. Primum igitur participium id esse, inde maximè intelligatur, quod in ablatiuo consequentiæ sæpe legitur, ut in illo Cicer. [libro 1. Officiorum.] Orationem latinam legendis nostris efficies profectò pleniorem. Conuenit autem inter Grammaticos omnes, tum Græcos, tum Latinos, eũ ablatiuum consistere sine participio non posse. At in talibus nullum aliud reperiri participium potest. Legi autem eiusmodi ablatiuos in consequentia, declarat tum redditum illis statim uerbum cum nominatiuo diuersæ rei, ut in omnibus id genus ablatiuus fit, tum ipsa interpretatio omnium talium ablatiuorum propè communis per dum uel cum, ut in multis talibus licet perspicere: Legendis ueteribus proficis,

dum leguntur ueteres. Et *participium quidem eſſe hinc puto liqueat. Aequè præſentis eſſe temporis comprobat eadem interpretatio, ut quæ per uerbum præſentis temporis fiat, non futuri:* Defringendo ramo, *dum defringitur.* Sicut *interpretatio futuri per uerbum futuri, non præſentis.* Virgilio *cras enarrando, tu diſcedis, id eſt, cum cras legetur.* Quod *ſi alicubi in imperfectum præteritum reſoluitur, ut* Defringendo *heri, uel olim ramo, feciſti iniuriam, pro dum defringebatur, confirmat magis noſtram ſententiam, cum participiũ præſentis tam Græcis quàm* Latinis *etiam imperfecti ſignificationem unà comprehendat.* Iam *utrunq;, & participium & præſentis temporis eſſe indubitato probat duplex interpretatio, & huius quod præſens uocamus,* Græcè *per præſens paßiuum, &* Græci *præſentis paßiui per hoc Latinè.* Nam *& illa etiam* Laurentij *exempla,* Defringendo *ramo fit iniuria domino fundi. & orationem latinam legendis noſtris efficies pleniorem, ſic* Græcè *ad uerbum uertuntur,* ῥηγνυμένου κλάδου, *&* ἡμετέρων ἀναγινωσκομένων. Alia *uariam recipiunt* Græcè *ad uerbum interpretationem, ſicut occupatio iuris dicendi,* ἀσχολία δίκης λεγομένης *ſiue* δικαζομένης, *&* τοῦ λέγεσθαι *ſiue* δικάζεσθαι δίκην, *ſicut etiam* Latinè, *dicendi iuris, dicendi ius.* Rurſus *inter accipiendas ratio*

nes,

nes, μεταξὺ τοῦ λαμβάνεσθαι τοὺς λόγους, & μεταξὺ τοῦ λαμβάνειν τοὺς λόγους, sed & μεταξὺ λαμβάνων τοὺς λόγους. Itidem in committendo prælio ἐν τῇ μάχῃ συντιθεμένῃ, & τοῦ συντίθεσθαι τὴν μάχην, & τοῦ συντιθέναι τὴν μάχην. Et præsens Græcum Latinè sic, φίλου τυπτομένου ἐλυπούμην, Amico uerberando dolebam. Quod Priscianus [lib.18.] confirmat, cum illud Homeri, [Iliad.1.] οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο σοὶ κοίλαις παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει, Ita Latinè uertit: Nullus me uiuo, & super terram uiuendo. Præterea participium esse præsentis temporis in paßiua significatione cōfirmat Donatus super illud Terentij. [And.act.5.sce.4.] Vix sum apud me, ita animus commotus est metu, spe, gaudio, mirando hoc tam* subito & repentino bono. Vbi ait, mirando, participium esse, & pro dum miror accipi, quæ planè præsentis est interpretatio, cuius generis paßim sunt exempla. Terent. [Heaut. act.1.sc.1.] Nisi eos qui in opere* faciundo facile sumtum exercent suum. Plin. ad Pom. Falco. [lib.1. epist.23.] Abstinui causis agendis. Cicero ad Q. frat. [lib.2. Epist.3.] Sed res multis querelis de Rep. interponendis nulla transacta est. Idem ad Appium Pulch. [li.3. epi.13. fa.] Quis enim ad me nō perscripsit, te non solum autoritate orationis, &c.

sed etiam opera, consilio, domum ueniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum fecisse? Idem. [in orat.] Quid tam difficile quàm in plurimorum controuersijs dijudicandis ab omnibus diligi? Idem, [li. 1. de orat.] Exercenda est memoria ediscendis ad uerbum quamplurimis & nostris scriptis & alienis. In *nominatiuo raro legitur, quod eò fortasse euenit, quod cum efficere aliquando ambiguitatem posset, præsénsne esset, an futurum per actiuum loqui autores maluere.* Quod *Virgilius in illo [lib. 1. Aen.]* Olim *uoluentibus annis, fecisse uidetur.* Nam Hom. περιπλομένων ἐνιαυτῶν *dixit.* Ve*rum illud, uoluenda dies nominatiuum esse dißimulari non potest, & præsentis esse temporis facile declarat tum interpretatio ipsa ut prædictum est, tum uerbum, attulit, sequens, quod futurum id dici non patitur.* De *præsentis paßiuorum participio, quæ pro nostra facerent sententia, hæc habuimus.*

DE PARTICIPIALI VERBO.

NVNC *de illo genere agamus, quod ueteres inter uerbi modos (ut prædiximus) numerarunt, participiale uerbum, uel gerundi modum, uel supinum appellantes.* Nam *gerun-*

dium,

dium, uel gerundiuum, nulla uideo Analogia nominatum esse. Nos potius participijs adnumerandum, quàm uerbo censemus, cum conditiones, unde maximè participium sortitum nomen est, huic quoq; generi pleræq; competant. Capit enim ut participium, à nomine genus & casum: à uerbo agendi, uel patiendi, uel neutrius cuiusdam notæ significationem. Cæterum cum temporum discrimen discretis uocibus non recipiant, nec certos numeros & personam sicut participia, quo minus iusta esse participia possunt, uocentur recepto nomine Participialia quidem, quod similia participijs sunt: sicut Prouerbialia dicimus, quæ similia sunt prouerbijs. Participialia uero uerba, ut discernantur à participialibus nominibus, de quibus mox. Horum terminationes sunt di, ut amandi: do, ut amando: dum, ut amandum: um, ut amatum: u, ut amatu. Participialia nomina uocant participia ipsa, quoties à propria significatione, qua rem uerbi cum tempore, casu, & constructione significant, sunt mutata. Fiunt autem ex præsentibus actiuæ uocis participialia nomina, alia communis generis, quoties scilicet pro uerbalibus in tor, uel trix, usurpantur, & genitiuis iunguntur, ut Fugitans litium, Appetens alieni. Cuius generis alibi multa in constructione genitiui sunt posita: quibus etiam adnumerentur ut com-

Participialia nomina.

In ns.

Continens. Diligens.

communis generis, continens pro continuus, diligens pro eo qui sedulam dat operam, euidens pro manifestus, indulgẽs pro eo cui indulgetur. Alia neutri, ut accidens, contingens, antecedens, consequens, decens, conueniens, præsens, continens pro firmamento rationis. Alia masculina, ut oriens, occidens, profluens pro flumine, & confluens, ubi duo flumina coëunt. Alia fœminina ut continens pro terra, quæ non est insula: animans, consonans, prægnans, si modò hoc à uerbo uenit: & serpens, quod modò in fœmineo genere legitur, ut Plinius [lib. 8. cap. 14.] Nota est in Punicis bellis ad flumen Bragadam à Regulo imperatore balistis tormentísque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens cxx. pedũ longitudinis. Modò in Masculino, ut Virgilius [lib. 2. Aeneid.] Serpens amplexus uterq; Implicat.

In tus, sus, uel xus.

Ex præteritis autem paßiuis, cum in uoce paßiua significat actionem, ut ea quæ Laurentius [libro 1. cap. 26.] recenset, circumspectus, consideratus, disertus, cautus, tutus, ignotus, argutus, falsus, contemtus, tacitus, profusus, fluxus, scitus, quæ omnia nisi sic significent, participia manent.

In rus.

Ex futuris in rus fit participiale nomen, quoties (ut Laurentio placet) nõ tempus innuit, sed qualitatem, atq; animi uoluntatem, ut in illo Senecæ: [lib. 7. na. quæst.] Nullam autem mentionem fecit cometarum, non prætermissurus si

quid

quid explorati apud illos habuiſſet.* Et Quinti*lianus,* [*libro* 11. *capite* 2.] *Neque omnino huius rei meminit uſquam Poeta ipſe, profectò non taciturus de tanta ſua gloria.* Et Cæcilij Plinij. [*libro* 6. *Epiſt.* 32.] *Puellæ noſtræ confero quinquaginta milia numûm, plus collaturus, niſi à uerecundia tua, ſola mediocritate munuſculi impetrari poſſe confiderem, ne recuſares.* Cui ſimile eſt illud Quintil. *in* x. [*capite* 1.] de Terentio Varrone: *Plures hic libros & doctißimos compoſuit, peritißimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum, noſtrarúmque, plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ.* A qua Laurentij interpretatione, quatenus ſcilicet uoluntatem animi ſignificari his dicit, non ualde abhorret noſtra, qui illa ſicut aoriſton Græcum, cum ἄν potentiali particula, per debens, uolens, uel potens, quæ omnino cum futuro ſocietatem quandam habent, potius interpretanda cenſeam. Non taciturus, non debens, uel non uolens tacere. Non prætermiſſurus, non debens prætermittere. Collaturus, potens conferre, aut debens conferre. Et Martialis. [*libro* 5.] *Antoni Phario nil obiecture Photino,* id eſt, non potens obijcere. Et Quintil. [*libro* 1. *capite* 14.] *Detinet atque obruit ingenia melius alijs uacatura,* pro potentia, uel debentia uacare. Non eſt ab hoc loco alienum illud monuiſſe: hæc, quæ ſo-

ἄν potentialis particula apud Græcos

cietatem quandam habere cum futuris dixi, generalius aliquid quàm uerè futura significare. Quod ex eo intelligi licet, quòd qui dicit: Omnes post occasum Solis huc uenturos excludam: eos duntaxat qui uenient, significat, non qui uolunt, debent, aut possunt uenire. Confirmare uidetur hanc interpretationem nostram ille Martialis uersus, [libro 6.] Victurus genium debet habere liber, ubi & participiale pro interpretatione, & interpretatio pro participiali poni posse uidetur: uicturus, pro debens uiuere, & debet habere, pro habiturus est. Ex futuro in dus fit participiale nomen, quoties mea sententia, & simili modo est interpretandum, & Græcè per ea quæ in τεος finiuntur, est uertendum, ut si illud Senecæ in paßiuam uocem sic mutes: Nullam fecit cometarum mentionem, non prætermittendam si quid explorati apud illos comperisset, ita id interpretandum censeam, non debentem prætermitti. Et Græcè ad uerbum οὐ παραλειπτέαν. Sic apud autores alia multa paßim, Latinè Græceq; interpretanda legas. Terent. [Eu. act. 2. scen. 1.] Eijciunda hercle est hæc animi mollicies, id est, eijci debet. Et Iuuenalis [Sat. 2.] Res memoranda nouis annalibus, debens memorari, uel quæ debeat memorari. Et Virgil. lib. 2. Georg.] Quid memorandum æque, Baccheia dona tulere, æque debens memorari, uel quod

æque

*æque debeat memorari, & Græcè ad uerbum ἐκριπτέα ἐστὶν αὕτη ἡ μαλακότης. Et πράγμα διὰ μνήμης ἀχητέον. Et τὶ οὕτω μνημονευ= τέον προέχοντα τοῦ βάκχου δῶρα. Priſciano quoque hanc interpretationem confirmante, cuius uerba ex octauo, ubi de modis agit, hæc ſunt: Amandus, da, dum, ὁ φιλιτέος, ἡ φιλη= τέα, τὸ φιλητέον, id eſt, qui, uel quæ, uel quod debet amari. Ac ne quis gerundi hæc putet, idem in x, nomina eſſe teſtatur, ubi docet multa tum nomina eſſe, tum participia. Eius uerba ſunt, di= cendus, ὁ λεχθησόμενος καὶ ὁ λεκτέος, legendus, ὁ ἀναγνωσόμενος καὶ ὁ ἀναγνω= στέος, amandus, ὁ φιληθησόμενος καὶ ὁ φι= λητέος. Nec aliter Latinè licet interpretari Græcum nomen in εος, quàm per hoc participia le, ut Luciani illud, [dial. 5. deo.] καταπεμπτέ= ος * δὲ ὁ γανυμήδης πάλιν εἰς τὴν ἴδην, Demittendus autem rurſus eſt Ganymedes in Idam. Nec fallere quenquam debet, quod parti= cipiale hoc, eodem nonnunquam in loco & par= ticipiale eſſe poteſt, & participium, ut in illo: [Iuuenalis Satyra 4.] Ecce iterum Criſpinus adeſt, mihi ſæpe uocandus Ad partes, licet enim interpreteris, uel qui ſæpe à me uocari debet ad partes, propter uaria uitia, uel qui ſæpe à me uocabitur. Huius participialium generis di= xerim & quod in caſibus tantum nominatiuo* Participiale in dum.

& accu=

& accusatiuo, genere duntaxat neutro per dum finitur. Quod scilicet simili id modo & Græcè per εος uertitur, & Latinè per debet, cum infinito paßiuo, præterquam in deponentibus & paucißimis neutris, interpreteris licet, ut mox apparebit, Eò differt ab illis, quòd cum ea tantum paßiuè usurpentur, & adiectiuorum constructionem ubique seruent, ut in supra positis exemplis liquet, hoc tum actiuè accipi, tum paßiuè potest. Et paßiuè quidem ab omni alio casu est absolutum, præterquàm datiuo, qui omnibus huius terminationis participialibus est communis, ut Cæsar. [libro 1. bell. gal.] Quibus rebus quam maturrimè occurrendum putauit. Terent. [Phorm. act. 2. scen. 1.] Herus si redierit, molendum* mihi esse. pro moli debere, & occurri debere. Et Iuuenal. [Satyr. 9.] Viuendum est rectè tum propter plurima, tum de ijs præcipue caußis, id est, uiui debet rectè. Actiuè etiam uerbi sui casum recipit, porrò actiuè hoc loco latius accipi postulo, ut se ad neutra & deponentia extendat. ut, recordandum est beneficij, parcendum est supplicibus, pro parci debet supplicibus. Plinius [lib. 2. cap. 15.] Vtendum* Græcis erit uocabulis. Recipit autem & accusatiuum, priscis quidem sæpißimè, ut Varro de re rustic. [libro 1. capite 21.] Canes potius cum dignitate acres & paucos habendum. Idem: [libro 2. capite 4.]

Participiale in dum recipit & accusatiuum, priscis sæpißimè, cæteris rarius.

pite 4.] Singulis ubi pariant, faciendum haras quadratas. Idem: [lib. 2. cap. 9.] In fœtura dandum potius hordeaceos panes quàm triticeos. Lucr. [lib. 3.] Externas quoniam pœnas in morte timendum. Cæteris rarius. Virgil. [libro 11.] Pacem Troiano ab rege petendum. Cicero Att. [libro 14. epist. 11.] Iterandum eadem ista mihi. Cæsar de bell. gal. [lib. 1.] Sequanis, qui intra fines suos Ariouistum recepissent, quorum oppida omnia in potestate eius essent, omnes cruciatus esse* perferendum. Cor. Cel. [libro 7. capite 7.] Imponendum est, quæ sunt puri mouendo. Quibus exemplis significatur debere haberi, debere fieri, debere dari, debere timeri, debere peti, debere perferri, debere imponi. Declarat quod dicimus, quòd sæpe hanc interpretationem pro eiusmodi participialibus positam ab autoribus reperias, ut Cor. Cel. [li. 4. c. 24.] Paulatim ergo debebit omißis his legibus eô transire, ut arbitrio suo uiuat. poterat enim dici, paulatim eô transeundum est. Excepimus paulo ante ab hac interpretatione deponentia & quædam neutra, ut quæ propterea quòd paßiuum de se infinitum non creant, commode per debet, & paßiuum infinitum interpretari nequeas, per oportet, & actiuum infinitum (sicut Grammatici faciunt) queas, idq; Græcorum exemplo, qui suum δετικόν, quod huic de quo agimus

Participialia in dum cōmode per oportet & actiuū infinitum interpretari.

agimus, respondet, per δεῖ uel χρή, explicant. Vescendum esset homini fructibus, oporteret hominem uesci fructibus. Vtendum erit Græcis uocabulis, oportebit uti Græcis. Recordandum est beneficij, oportet recordari beneficij. Item, Carendum est culpa, oportet carere culpa. Non est gaudendum alterius incommodis, non oportet gaudere alterius incommodis. Sic & illa, quæ accusatiuos adsciuere, actiuè soluere licet. Habendum est canes acres, oportet habere canes acres. Quod si cui postremum hoc participialium genus, participiale potius uerbum siue gerundi modum, siue supinum nominari placet, sicut Seruius, petendum, in illo, Pacem Troiano ab Rege petendum, nominat, huic ego non admodum refragor, dummodo intelligat ab alijs, quæ eodem nomine à me suprà sunt nuncupata, omnino esse diuersum: cum illa pro infinito Græco cum articulo (ut suprà dictum est) ubiq; usurpentur, hoc pro aduerbio, quod Græci θετικὸν uocant, ut, Vadendum pro βαδιστέον, Nauigandum pro πλευστέον, Vescendum pro σιτητέον, Petendum pro αἰτητέον.

* *
*

DE PRAEPOSITIONE.

PRAEPOSITIO est pars orationis, quæ certam eorum, quibus additur, habitudinem, ut loci, termini, ordinis, caussæ, uel actionis determinat, feréque quibus coniungi solet, ijs præponitur, ut, Aduenio ad urbem, redeo ab urbe. ALITER, Præpositio est pars orationis, quæ præposita alijs partibus significationem earum aut complet, aut mutat, aut minuit. Complet, ut intercipio, demiror. Mutat, ut aufero. Minuit, ut subrideo. Sunt quæ extra compositionem usu sint receptæ numero plus minus quinquaginta: Ad, apud, ante, aduersus uel aduersum, cis, citra, circum, circa, circiter, contra, erga, extra, intra, inter, infra, iuxta, ob, penes, per, pone, post, prope, propter, præter, secundum, supra, secus, trans, ultra, uersus, A, ab, abs, absque, cum, coram, de, é, ex, pro, præ, palam, sine, tenus. In, sub, super, subter, & clam, & procul, ut quibusdam placet. Harum pleræque uarié confunduntur, de quibus, quæ mihi succurrent, nunc subijciam.

Præpositio quid.

Præpositiones quod numero.

AD, motum ad aliquid significat, ut [Ter. And. act. 5. sc. 4.] ad te ibam. Item iuxta, uel prope, ut Curtius, Erat ad ripam fluminis ingens arbor.

Ad quot modis accipiatur.

arbor. Liu. Habes hortos ad Tiberim. Idem. [li. 7. dec. 3.] Ad Senam castra alterius cõsulis erãt. Idem. [lib. 2. dec. 3.] Ad Capuam castra locant. Apud, ut Cic. [lib. 2. in Ver.] Decem fiscos ad senatorem quendam relictos. Idem. [1. in Catil.] Ad Marcum Leccam* te habitare uelle dixisti. Virg. [lib. 1. Aen.] Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis. Liu. [li. 3. dec. 1.] Dum hæc ad Veios geruntur. Contra, ut Cice. [lib. 3. epi. 3. fam.] Ne ad ea meditere, imparatum te offendam. Et Propter, ut Propertius [lib. 4.] Panditur ad nullas ianua nigra preces. Aliquando utilitatem quandam, uel contra, uel aduersus, ut in talibus, Ad parotidas, ad tormina. Item in comparatione, ut, nihil ad tuum equitatum. Terent. [Eu. act. 2. sc. 3.] Sed nihil ad nostram hãc. Circiter. Cic. ad Quint. fratrem. [lib. 2. epist. 1] Sané frequentes fuimus omnino ad ducentos. Cæsar. [libro 1. bell. gall.] Ex ijs qui arma ferre possent, ad milia nonaginta duo. Summa omnium fuerunt ad milia CCCLXVIII. Pro circa. Cicer. ad Attic. [lib. 4. epist. 26.] Tu quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quæ tempora te expectem, facias me certiorem, uelim. Hircius de bel. Aphri. Cum iam ad solis occasum esset. Item Varro de re rust. [lib. 1. cap. 39.] Nam ea* refert in agro, ad quam partem cœli quisque locus spectet, sicut ad quod tempus quæque

res faci-

res facilimé crescat. In quo exemplo, priore loco pro uersus, posteriore pro circa accipitur. Aliter uerò in talibus, ut Cæsar [libro 1. bello Gallico.] Is dies erat ad quintum Cal. Aprilis, Lucio Pisone, Aulo Gabino Coss. Idem: Si quid uellent, ad Idus Aprilis reuerterentur. Videtur enim significari ipse quintus dies ante Calen. & ipse dies Iduum. Innuere uidetur hæc præpositio & breuitatem quandam, ut in eo quod dicimus, Ad tempus, ut Quint. [decl. 9.] Fingere nimirum ad tempus uidebor. Varr. Qui cum ad tempus latitasset, tandem sub sponda iacens inuentus. Accipitur & pro ante. Suet. [in Cal.] Ad pedes stare, passus est. Et quasi pro, in, ut ad diem uenit, ubi defectus articuli ambiguitatem facit: significat enim ipso die, uel statuto die. Pro post, ut Cic. ad Att. [lib. 12. epist. 27.] Aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc ueniam, an ad decem annos. Item ad eundem. [lib. 2. epist. 17.] Solebat me pungere, ne Sampsicerani merita in patriam ad annos sexcentos maiora uiderentur quàm nostra. Aliquando accessionem, uel ultra significat, ut in illis, ad hæc, ad hoc, quæ pro coniunctionibus multi accipiunt. Præterea iungitur actioni. Cicer. [pro L. Manil.] Hic autem locus ad agendum amplissimus. Sunt & alia significata, sed quæ facilius ex ipsis intelligentur exemplis, quàm interpre-

tatione per alia uerba, qualia ſunt in illis: Canit ad lyram. Studet ad lucernam. Pinxit ad exemplar. [Plin.lib.31.de Prothog.] Et illo Horat. [lib.1.epiſt.2.] Ad ſtrepitum citharæ ceſſantum ducere curam. Et Ouid. [in epiſt. Cana.] Mortua crede mihi, tamen ad tua uerba reuixi.

Apud. APVD, quæ hoc præcipuè ab Ad differt, quòd poſt uerba motus non adhibetur, & tum ad locum, tum ad perſonam refertur. Et ad locum, ut Terent. [And.act.2.ſc.1.] Apud forum modò è Dauo audiui. Ad perſonam, Cic. ad Att. [lib.5.epiſt.7.] Ego cum triduo cum Pompeio & apud Pompeium fuiſſem. Item pro, à, ut Cic. [lib. 2. offic.] Apud maiores noſtros factitata. Idem [lib.5.Tuſc.] Huius ſententiæ grauitas à Platonis autoritate repetatur, apud quem ſæpe hæc oratio uſurpata eſt.

Aduerſus. Aduerſum. ADVERSVS uel Aduerſum, & pro erga ponitur. Teren. [And.act.1.ſc.1.] Et id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam. Et pro contra. Idem in Phorm. [act.3.ſcen.2.] Ego te complures aduerſus ingenium meum menſes tuli, policitantem & nihil ferentem. Et pro contra, uel è regione. Plin. [lib.3.cap.5.] Et Lerina aduerſum Antipolim.

Cis. Citra. CIS, cui aduerſatur uls, quæ iam exoleuit. Et citra, cui opponitur ultra, inuicem ex ſe intelliguntur. Cis tamen ferè montium & flumi-

num

num nominibus iungitur. ut Liuius: [lib. 10. dec. 4.] Cis montes castra Ligurum. Item cis Tiberim & cis Alpes dicimus. Citra, tum iisdem quibus, cis, iungitur, idemq; ualet. Cæsar: [lib. 1. bel. Gal.] Qui sunt citra Rhenum. Tum pro sine accipitur. Quintil. [lib. 1. cap. 15.] Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta. Pro intra quoq;, sed ut ad rem refertur, non locum. Seneca: Edi citra cruditatem, bibi citra ebrietatem.

CIRCITER, & ad tempus refertur, ut Cic. ad Atti. [lib. 5. epi. 18.] In quibus scriptum esset te in Epirum iturum circiter Calendas sextiles. Plaut. in Mostel. [act. 3. sc. 1.] Redito huc circiter meridiem. Et ad numerũ, ut Curti. [lib. 3.] Multi eo bello capti, circiter duo milia desiderati. Circiter.

EXTRA præpositioni intra opponitur, alteráq; ex altera intelligitur. Nam & foris esse aliquid significat. Horat. Iliacos intra muros pugnatur * & extra. Et pro præter legitur. Terent. in Phor. [act. 1. sc. 2.] Extra unam ancillulam * Plin. [lib. 21. cap. 3.] De coronis extra supra dictos scripsit Theophrastus apud Græcos. Extra.

INTRA, præter id quod aduersatur extra ut in Horat. exemplo, etiam quasi citra aliquid, uel non ultra, uel non exiens significat, ut Cice. ad Sulpit. [lib. 4. epist. 4.] ueluti citat Gellius: Intra.

[lib. 12. cap. 3.] Sed tamen cum effugi eius occasionem, qui fortasse arbitraretur me hanc rem imperitè non putare, si perpetuò tacerem, modicè hoc faciam, aut etiam intra modum. Hora. [in arte] Tutus & intra Spem ueniæ cautus. Celsus in quarto: [cap. 6.] Sed interdum omne malum intra dolorem est, isq; modò tardè, modò celeriter soluitur, Interdum usq; ad perniciem procedit. Idem in tertio: [cap. 18.] Ex phreneticis alij hilares, alij tristes sunt, alij facilius continentur, & intra uerba desipiunt, alij consurgunt, & uiolenter quædam manu faciunt.

Inter. INTER, & pro in medio legitur: ut inter os & offam. Et pro inuicem ad, uel in. Virgil. [lib. 11.] Conuersiq; oculos inter se atq; ora ferebant. Et pro, in societate, uel cœtu, uel in numero: ut inter uicinos, inter æquales, inter reges. Et pro, in tempore: ut, inter quietem, inter pugnandum, inter cœnam. Cicer. [Phi. 2.] Si hoc tibi inter cœnam & in illis immanibus poculis tuis accidisset. Idem Trebatio: [lib. 7. epi. 23] Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram.

OB. OB, & propter significat. Virg. [lib. 1. Aen.] Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis. Et ante, ut Plaut. in Mostel. Glaucoma * ob oculos obijciemus. Cice. pro Rabirio : Mors ob oculos sæpe uersata est.

Penes

PENES, autore Festo, personam, & domi- Penes.
nium, ac potestatem significat. Apud uero, per- Apud.
sonam cum loco. Ouid. [lib. 1. fast.] Me penes est unum uasti custodia mundi. Horat. [in arte] Quem penes arbitrium est, & uis & norma loquendi. Etiam paulò aliter, ut: Fides esto penes autores. Aliquando ad locum refertur, ut in Rhetor. ad Herennium [lib. 4.] Ita petulans est,* atq; acer, ut ne ad solarium quidem (ut mihi uidetur) sed penes scenam & in eiusmodi exercitatus sit locis.

PER, transitum per aliquid significat, ut Per.
Terent. [Eun. act. 3. scen. 5.] Per impluuium fucum factum mulieri. Refertúrq; ad locum, & tempus, per noctem, per tramites. Aliquando periphrasis est, solius, quasi sine alio significet. Cicer. [lib. 14. epist. 5. fam.] Reliqua per nos agemus. Mart. [lib. 14.] Hoc per me didici dicere, Cæsar aue. Cato in re rust. [cap. 95.] Conterito in mortario per se* utrunq;. Aliquando caussam, uel impedimentum insinuat, ut Teren. [And. act. 4. scen. 2.] Si fieri potest, ut ne pater per me stetisse credat, id est, mea caussa, uel me impediente. Cicer. libro 10. epist. [epist. 1.] Et postquàm de meo cursu Reipublicæ sum uoce reuocatus, nunquam per Mar. Antonium quietus fui. Item lib. 1. epist. [epist. 4.] Senatus haberi ante Calen. Febru. per legem Pupiam, id

quod scis, non potest. Aliter quoq; sumitur, ut cum in iureiurando obtestandóque adhibetur. Ouid. [epist. Sapp.] Pérq; nouem iuro numina nostra deas. Virg. [lib. 9.] Per caput hoc iuro. Terent. [And. act. 1. scen. 5.] Quod ego te per hanc dexterã oro obtestórq;*. Aliquando pro Sub quodammodo accipitur, ut Liuius [libro 5. dec. 3.] Per speciem uenandi urbe egreßi. Idem [li. 4. dec. 3.] Cum appropinquaret ianuæ rex, ut per caussam aliquam in angustijs sustineret à tergo agmen. Et pro, in, paulò tamẽ aliter quàm supra. Suet. in Cæsare. Nam uisus erat per quietem matri stuprum intulisse. Plaut. in Menech. [act. 1. scen. 2.] Non potuisti per tempus magis aduenire, quàm nunc aduenis. Cuius contrarium uidetur significare, post tempus. Cic. pro Quintio: Ego pro te* hoc consulo post tempus, & in aliena re. Quoniam tu in tua re, cum tempus erat consulere es oblitus. Item pro ad, uel in, ut Suet. [in Aug.] At negante quodam per contumeliam facilè hoc ulli fœminæ fore.

Propter. PROPTER, & caussæ effectrici inseruit, ut Virg. [lib. 4.] Te propter Libycæ gentes Nomadúmq; tyranni Odere infensi Tyrij, te propter eundem. Et, prope uel iuxta significat. Idem [Eclog. 8.] Propter aquæ riuum uiridi procumbit in ulua. Idem [lib. 9.] Athesim seu propter amœnum. Terent. [Adel. act. 2. sc. 1.]

propter

Propter hunc aßiste. Cicer. in Rhet. [libro 2.] Fluuius Eurotas qui propter Lacedæmonem fluit. Idem in Pisonem: Mihi hic uir clarißimus qui propter te sedet.

PRAETER, aliâs exceptionem dicit, ut Horat. [in arte] Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo Musa loqui, præter laudem nullius auaris. Aliâs, cōtra, significat, ut præter spem, præter opinionem, præter ætatem. Terentius, [And. act. 5. sc. 3.] Adeo impotenti esse animo, ut præter ciuium morem atq; legem & sui uoluntatem patris, tamen hanc habere studeat cum summo probro. Aliâs, supra uel ultra. Plinius, [lib. 10. cap. ult.] Præter hominem, somniare equos, canes, boues, pecora, capras, palàm est. Terent. [And. act. 1. scen. 1.] Et quia erat præter cæteras egregia forma ac liberali. Aliâs ante, ut Cicer. in Verrinis [libro 5.] Præter oculos soli ferebant. Præter.

POST, & ad rem refertur. Virg. [Eclog. 3.] Tu post carecta latebas. Et ad tempus, qua ratione illa dicta sunt, postea & post illa, id est, post ea tempora & illa tempora. Etiam illa, post hominum memoriã. Cic. in Verrem. [li. 5.] Quod nemo unq̃ post hominum memoriã fecit. Idem pro Milone: Vnius post homines natos fortißimi uiri, id est, post id quod homines poßunt meminisse, & postquam homines sunt nati. Post.

Secundum. SECVNDVM, & pro iuxta uel post, legitur, ut Ser. Sulp. [lib.4.epist.12.] Duo uulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem: Aliâs pro post. Cic. [lib. 2.offic.] Proximè autem & secundum deos, homines hominibus maximè utiles esse possunt. Idem ad Att. [lib. 12. ep. 1.] Secundum te, nihil est mihi amicius solitudine. Idem ad eundem: [lib. 3. ep. 12.] Spem ostendis secundũ comitia. Aliâs loco pro, ut: [Cic. pro Rosc.] secundum te litem do. Idem ad eundem. [lib. 4. epist. 2.] * Serranus quoq; horum loco sententiã rogatus multa secundũ caussam nostrã disputauit. Aliâs pro, in, ut [Cic. lib. 2. diui.] secundum quietem. Pro per, uel iuxta. Idem [lib 8. epist. 19. Att.] Scribis tibi in animo esse obseruare Cæsarem, & si secundum mare ad me ire cœpisset, confestim in Samnium ad me uenturum. Et pro, super, ut Salust. in Iugurt. Secundum ea uti deliberetis, ut è Repub. &c. Aliâs imitationem quandam dicit, ut: secundum Pythagoram uiuo. Etiam Græco more pro κατὰ ponitur, ut: secundum Platonem. Quintil. [libro 12. cap. 1. Ego tamen secundum consuetudinem sæpe dixi dicámq; perfectum Oratorem esse Ciceronem. quod genus aliqui per iuxta proferunt: Iuxta Platonem, Iuxta Aristotelem.

Supra. SVPRA, pro ἐπάνω, uel ut opponitur Infra.

fra. Virg. [*lib.5.* Aen.] *Olli cæruleus supra caput astitit imber.* Et pro, *ultra.* Idem [*libro 2.* Georg.] *Rara sit, an supra morem sit densa, requiras.* Sic & *uiginti supra centum dicimus.*

Rursus, A, & *motum à loco significat.* Virgil. [*lib. 2.* Aen.] *Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat A Tenedo.* Et ad agentem *caussam refertur, ut uictus à* Scipione. Et pro *post accipitur.* Plin. *Virus equi à coitu statim collectum.* Et *pro de, ut* Terent. [Adel. *act.*4. *scen.*2.] *A uilla mercenarium uidi.* Sic Paulus ab *hasta* Pompeia *uel à nouo castro, dicimus, potius quàm de hasta* Pompeia *uel de nouo castro.* Quanquam *sic quoq; loqui aliquos inuenias nec indoctos.* Et *uice pro,* Cicero [*in* Brut.] Vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentámq; *dementiam, à senatu & à bonorum caussa steterit constantius.* Item pro ἕνεκα, *siue, quantum ad, uidetur interdum accipi.* Idem ad Att. [*lib.7.epist.14.*] *Sumus flagitiose imparati cum à militibus, tum à pecunia, quam quidem omnem non modò priuatam quæ in urbe est, sed etiam publicam quæ in ærario est, illi relinquimus.* Idem ad Attic. [*lib.1.epist.1.*] *Qui sic inopes & ab amicis et ab existimatiõe sunt.* Colum. [*lib.* 6. *cap.* 2.] *Diem deinde, quo domituram auspiceris, bonum* * *à tempestatibus & religionibus matutinum eligito.* Idem *de bobus:* [*lib.6.*

cap.1.] Apenninus durißimos, omnémq; difficultatem tolerantes, nec ab aspectu decoros. pro quantum ad milites, pecuniam, tempestates, aspectum. Et aliter, ut in tali sermone. Cæsar [lib.2.bell.Gal.] Opportuno atq; occulto loco à milibus passuum circiter duobus, Romanorum aduentum expectabant, pro interuallo duûm milium passuum. Idem [lib.6.] Positis castris à milibus passuum quindecim, auxilia Germanorum expectare contendunt. Et, uersus. Plinius 33.[cap.8.] de coticulis: Quod à sole fuit, in ijs melius, quàm quod à terra. pro uersus solem & uersus terram. Et separationem, ut [Virgilius eclog.7.] Defendo à frigore myrtos, abhorreo à bello. Aliter quoq; in illo Cæsaris [lib.6.bell. Gal.] cum similibus. Amplitudo cornuum & figura & species multum à nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiosé conquisita, ab labris argento circuncludũt, pro eo quod est, à parte labrorum. Idem [eod.li.] Ab Decumana porta* erumpere conantur. Et ministerium aliquod per circuitionem explet, ut à manu, à studijs, à commentarijs, à libellis, à rationibus, pro ministro uel seruo, qui præest studijs, commentarijs, libellis, rationibus. Suet. [in Claud.] Super hos Polybium à studijs, Narcissum ab epistolis, & Palantam à rationibus, quos decreto quoq; senatus, non præmijs modò ingentibus, sed & præ-

torijs,

torijs, quæstorijsq; ornamentis ornari libenter passus est. Synonyma huic sunt, Ab & Abs, usu tamen omnino inter se differunt, ut Prisc. in primi Virgiliani carminis examine præcipit. Ait enim, à & abs, uocali sequente non adhiberi. Ab uero non modò uocalibus sequentibus, sed etiam consonantibus quibusdam, quæ uidelicet non male sonent, si, ab, præcedat. Plaut. [Asin. act.5.scen.2.] Da puere ab summo. Idem [Cist. act.4.sc.1.] Num nam hinc ab nobis domo est? Cæsar in commentarijs [lib.3. bell. Gall.] Hoc consilio probato ab ducibus. Idem [lib.4.] Ne id quidē Cæsar ab se impetrari posse. Cic. quoq; Ab tuo & [lib.15. ep.3. Att.] ab Cordilio ait. Abs uero præcedere, q, ut abs quiuis homine: & t, ut abs te. Absq; uerò pro, sine, accipitur. Terent. [Phor. act.1. scen.4.] Namq; absq; eo esset, rectè. Ab, abs. Absq;.

CVM, comitatum significat, ut Virg. [lib. 3. Aen.] Feror exul in altum Cum socijs natóq; penatibus & magnis dijs. Alibi circumstantiam instrumenti, qua ratione semper tacetur. Cum.

DE, significat materiam siue περὶ (necesse est enim Græcis interdum uti) ut Cæsar scripsit de Grammatica. Et, à uel ex, ut Teren. [Eunuc. act.2.sc.2.] Liceret discere id de me. Idem And. [act.3.sc.2.] Clamat de uia. Virg. [li.3. Geor.] Templum de marmore ponam. Cicer. ad Attic. DE.

Emi* domum de Crasso. Plaut. in Pœnul. [act. 1. sc. 2.] De te quidē didici hæc omnia. Cic. ad Att. [lib. 1. ep. 9.] Postea Messala* de Pompeio quæsiuit. Et, propter. Teren. [Eu. act. 2. sc. 2.] Quātum* nos amas de fidicina hac. Et [Adel. act. 2. sc. 2.] Lætus est de amica. Cic. in Acad. [lib. 1.] Et nisi de uia fessus esset, continuò ad uos uenturum fuisse. Idem [li 1. off.] Vt primo Punico bello Regulus captus, cum de captiuis commutandis Romam missus esset. Plaut. Trucul. [act. 2. sc. 8.] Nam mihi de uento miserè condoluit caput. Et secundum uel pro. Virg. [lib. 1. Aen.] Namq; humeris de more habilem suspenderat arcum. Item Cic. ad Att. [lib. 5. ep. 8.] Id ego ita fieri uolui, de Caij Duronij sententia, quem & amicißimum Miloni perspexeram. &c. Idem [libro 7. epist. 5. Attic.] Quid sentis igitur inquis? Nihil* nisi de sententia tua. Et per, ut Quint. [lib. 9. cap. 3.] ex Cicer. pro Murena: Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas. Horat. [lib. 1. epist. 2.] Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones. Cic. ad Q. fratrem [lib. 2. epist. 12.] Properando etiam citius quàm si de nocte uigilassent, perueniant quò uelint. Aliter quoq; accipitur & quasi pro quantum ad, uel quod ad, ut Cic. ad Terentiam [epi. 1.] De familia quomodo placuisse amicis scribis faciemus, id est, quod ad familiā attinet. Teren.

[And.

[And. act. 5. sc. 4.] De uxore ita ut possedi nihil mutat Chremes. Et pro post. ut Cæsar: [lib. 1. bel. ciui.] Cum de tertia uigilia Petreius & Afranius castra mouissent. Idem: [lib. 7. bel. Gal.] De media nocte missus equitatus. Idem: Reliquos de media nocte proficisci iubet.

E, & Ex, ad materiam referuntur. Virgil. [lib. 3. Georg.] In foribus pugnam ex auro solidoq; elephanto Gangaridum faciam. Et post, uel ab, significant. Idem: [lib. 1. Aen.] Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis. Et secundum uel pro, quomodo dicimus ex dignitate, ex usu, é repub. ex sententia, ex pacto. Terent. [Heaut. act. 1. sc. 2.] Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex huius uiuere? Idem Eunucho [sce. ult.] Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu nemo est. Cic. Acad. [lib. 3.] Conscendens nauem sapiens, num comprehensum animo habet atq; perceptum, se ex sententia nauigaturum? Idem Att.] lib. 5. epist. 8.] Statues ut ex fide, fama, req; mea uidebitur. Et culpam uel uitium insinuat. Cic. E renibus * laborat, Terẽ. [And. act. 1. sc. 5.] Laborat é dolore. Et à, uel in, ut Cæsar. [lib. 1. bel. Gal.] Ex uinculis caussam dicere. Et Cic. [lib. 3. offi.] Ex tempore officium quæritur. Et á, uel per, ut Teren. [And. act. 1. sce. 3.] Grauida é Pamphilo est. Et propter, ut Cæcil. Plin. [lib. 1. epist. E. Ex.

4. in

4.] In Narniensi uerò balneum etiam ex episto-lis meis.

Pro. PRO, & caussam significat, ut Teren. [Eu. act.5.sce.4.] Ego te pro istis dictis &c. scelus ulciscar. Et ante. Salust. [con.Cat.] Quod nisi Catilina pro curia signum dare maturasset. Suet. [in Ner.] Religato pro foribus cane. Et quasi pro ratione uel modo, ut Oui. [lib.3. Meta. [Grauius Saturnia iusto, Nec pro materia fertur doluisse. Virg. [lib. 5.] Pro se quisq; uiri. Cæsar Commen. [lib.1. bell. Gal.] Pro multitudine autem hominum & pro gloria belli atq; fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur. Idem: [lib.5.] Pro tempore & re consiliũ caperet. Sallust. Iugurth. Quod singuli pro opibus quisq; quàm plurimas uxores, denas alij, alij plures habeant. Virg. [Eclo.7.] Nunc te marmoreum pro tempore fecimus. Et, in, ut pro tribunali. Item quasi in defensionem uel auxiliũ significat. Virg. [lib. 8.] Stabant pro templo. Item: [lib.9.] Pro turribus astant. Ouid. Trist. [lib.1. eleg.2.] Mulciber in Troiã pro Troia stabat Apollo. Terent.* Pro isto haud stares. Sic dicimus, Cic. pro Milone, Rabiro, uel Ligario. Modò ueluti loco alicuius uel iure significat, ut Teren. [And. act.1. sce.1.] Pamphilũ pro uxore habere hanc peregrinam. Idem: [act.4. sce.] Hoc tibi pro seruitio debeo. Sili. [lib:2.] Cerno

Cerno equidem, nec pro nihil est mihi fœdera rumpi. Sic sæpe dicitur, pro nihilo habeo, pro nihilo duco. Terent. [Hecyr.prol.] Nunc hæc planè est pro noua. Plin. [lib.16.cap.24.] Iunipero spina pro folio est. Sallust. [coniu. Catil.] Audacia pro muro habetur, id est, loco folij & muri. Cauendum tamen ne rei ueræ in hoc significato hanc præpositionem præponamus, ut si filius sis, dicat aliquis, habeo te pro filio.

PRAE, Significat ante, Liuius in 1. Prope Tyberim fluuium, qua præ se armentum agens nando traiecerat. Sic dicitur, præ me fero, præ te fers, pro eo quod est ante me, ante te. Et propter uel ob, ut præ nequitia Apulei, præ luxuria cuncta profuderat. Terent. [Eunuch.act.1. sc.2.] Misera præ amore exclusisti* hunc foras. Idem [And. act. 5.sc.1.] Vide quàm iniquus sis præ studio, dum id efficias quod cupis &c. Modò quasi in cõparatione. Liuius de bell. Maced. [libro 4.] Sed quia ista præ ijs, quæ à te tuisq; quotidie alia super alia facinora eduntur. Idem [lib.1. dec.1.] Paruam Albam præ ea quæ conderetur fore. Sic iungitur cum, quam, ut Plaut. in Aul. [act.3.sc.5.] Sed hoc etiã pulcrum est, præ quam ubi sumtus petunt. Cum ut, Terent. [Eunu.act.2.sc.3.] Ludũ iocúmq; dices fuisse illum alterũ, præ ut huius rabies quæ dabit. quanquã hæc ad constructionẽ potius. Reliquæ sunt

de ijs, de quibus agere institueram, quatuor: In, sub, super & subter. De quibus, quoniam constructionem cum significato mutant, praeterea duabus alijs, quarum constructio uariat, alio loco agemus.

DE ADVERBIO.

Aduerbium quid.

ADVERBIVM est pars orationis, quae ut proprij, uel appellatiui adiectiuum, sic ipsa uerbi maximè, aliquando etiam adiectiui significationem uel determinat, ut rectè facio, ualde grauis: uel destruit, ut nō scribit, non grauis: hoc etiam cum appellatiuis iungitur, ut non homo. Sunt autem aduerbiorū genera multa. Nam & localia duplicia. Interrogandi, ut ubi, unde, quo, qua, quorsum, & quae ad ea redduntur. Ad ubi, hîc, isthic, illic, ibi, intus, foris, ubiq;, utrobique, paßim, usquā, nusquam, neutiquā. Item supra, infra, subtus. extra, intra, cum in aduerbia migrant. Ad unde, hinc, abhinc, pro ab hoc loco, istinc, illinc, inde, eminus, cominus, alicunde, undeūde, undequaq;, undecūq;, indidē, superne, inferne. Ad quò, huc, isthuc, illuc, eò, illò, aliquò quoquò, quocunq;, intro, foras, usq;, quod absolutionē spacij tū in loco, tum in tempore significat, ut: usq; ad Cordubā, usq; ad noctē. Ad quorsum, horsum, isthorsum, illorsum, prorsum, rursum,

Localia.
Vbi.
Vnde.
Quò.
Quorsum.

ſum quoquouerſus, quaquauerſus, peſſum, ſurſum, deorſum. Ad quâ, hâc, iſthâc, illâc, quaqua, quacunq;. Qua.
Ad quò & unde, ſimul, ultro, citro.

Et temporis rurſus duplicia, & interrogandi, ut quando, quandiu, quamdudum, quampridem, quouſque, quoties, & quæ his redduntur. Temporis.
Ad quando, heri, hodie, cras, pridie, poſtridie, perendie, nudius tertius, nudius quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, et deinceps. Diu, noctu, interdiu, nunc, iam, nuper, aliquando, aliâs, olim, pridem, dudum, quod tum ad breuitatem tempo ris refertur: ut Terent. [And. act. 3. ſc. 4.] Narro huic quæ tu dudum narraſti mihi. Tum longitudinem. Plaut. Quamdudum è foro adueniſti domum? Non ita dudum. quod Priſciani [li. 15.] etymologiæ conſentit, qui dudũ quaſi diu dum, dici putat. Tum pro tunc, cui etiam addatur eius redditiuum, quum. Interim, interea, ſero, tempori, ſerius, temporius. Ouid. [lib. 4. Met.] Temporius cœlo, modò ſerius incidis undis. Prius & poſterius. Statim, continuò, protinus, illico, antehac, poſthac, commodum. Apul. [lib. 1. aſ. au.] Commodum limen euaſerant & fores ad priſtinum ſtatum integræ reſurgunt. Primum, cum alijs, cum primum, quamprimum, ut primum, eueſtigio, extemplo, actutum, repente, derepente, ſubito, ocyus. Quando. Dudum. Commodum.

Quandiu. Ad quamdiu, tantisper, paulisper, aliquantisper, parumper, semper, usq; pro aßiduè. Ouid. [in ep. Pen.] Vsq; metu micuere sinus. Terent. [And. act. 2. sc. 1.] Vt animus in spe atq; in timore usq; ante hac attentus fuit. Aeternum, ætatẽ, diu, iamdudum, iampridẽ, cum scilicet præsenti iungitur ut in constructione dicetur: præterea, iamolim.

Quoties. Ad quoties, sæpe, raro, subinde, identidem, plerunq;, quotidie, quotannis, indies, nunquam, toties.

Numeralia. Et quæ numeralia dicunt: Semel, bis, ter, quater, quinquies, sexies, & sic deinceps millies, pluries, infinities. Si modò legantur apud idoneos ueterum.

Quousq;. In diem. In horam. Ad quousq;, adhuc, etiã, pro adhuc, hactenus, in diem, in horam. Quorum alterum, quaſi ipsius tantũ diei ratione habita significat. Alterum, quasi unius tantũ horæ. Quint. [Decl. 13.] Non ut feræ uolucres, præsentis modò cibi memores in diem uiuũt. Salust. Panem in diem* mercari. Cic. Philip. [5.] Hæc* quæ in horam uiuunt, nõ modò de bonis ciuium, sed ne de utilitate quidem sua cogitauerunt. Ponitur, in diem, aliquando & pro in spatium unius tantum diei. Ouid. Metam. [lib. 2.] Currus petit ille paternos, Inq; diem alipedum ius & moderamen equorum.

In dies. In horas. Item in dies, in horas, quæ per singulos dies & per singulas horas significant: sed ferè cum incremento aliquo. Itaq; ferè comparatiuis, uel uerbis incrementum signi-

ficantibus iuncta leguntur. Cic.* Cum id malum serperet in dies magis. Liui. [lib.1.] Crescente in dies multitudine. Virg. [Eclo.10.] Gallo cuius amor tantum mihi crescit in horas, Quantum uere nouo uiridis se subijcit alnus. Aliquando tamen cū alijs. Cæcil.Plin. [lib.3.epi.17.] Expectantem in horas. Videntur etiam hæc posteriora quasi pro die & hora accipi. Plin. decimo: [cap.72.] Condit in thesauros maxillarum cibum sphingiorum & satyrorum genus, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit. Et quod formicis in annum solenne est, his in dies uel in horas. Huius generis sunt æternum, semper, ætatem. Nec ignoro ex his multa etiam ad quandiu, responderi posse.

Proxima his sunt, quæ ordinis dicuntur, ut inde, deinde, dehinc, deinceps, nouissime, postremo, inprmis, primum, iamprimum, inuicem, & uicissim pro secundo loco, deniq;, demum, tandem, ad summum, in summa, omnino: ut Cæsar de bello Gall. [lib.1.] Sibi autem mirum uideri quid in sua Gallia, quam bello uicisset, aut Cæsari aut omnino populo Ro. negocij esset. Tria tamen illa, Deniq;, demum, tandem, etiam sermonis absolutionem cum celeritate nōnunquam indicant. Virg. [Eclo.2.] Nil nostri miserere, morime deniq; cogis. Plin. Natur. hist. [lib.10.ca.24.] Ea demum sola auium non nisi uolando Ordinis.

 pascitur

pascitur. Cicero. [1. in Cat.] Quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra? Fungitur horum uice interdum, breuitérq;. Plin, de Luscinijs: [lib. 10. cap. 29.] Breuitérq; omnia tam paruulis in faucibus quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. Sunt & quæ diuisiua uel diuidendi uocentur, ut bifariã, trifariã, multifariã, aliquotfariã. Et interrogatiua siue interrogandi, à iam dictis diuersa, Cur quare, quin, pro cur non, quid ita, quianam, pro cur, quamobrẽ, quẽadmodũ, quomodo, ecquid, quod Donato significat aliquãtulum ne. Et quo pro ad quem usum uel quam utilitatem. Horatius: [lib. 1. epist. 5.] Quo mihi fortuna si non permittitur* uti? Et unde, ut Iuuenal. [Sat. 14.] Vnde tibi frontem libertatémq; parentis. Præterea quantum & quàm, pro quantum. Scire licet omnia interrogandi aduerbia, cuiuscunq; sint generis, non minus quàm interrogatiua nomina, infinitè usurpari posse: ut uideo cur uenias. Sunt in aduerbijs & alterius generis infinita tum particularia tum uniuersalia, ut quamlibet, quantumcunq;, quantumlibet, quantumuis & quamuis pro quantumuis. Sunt & uocandi aduerbia, ut heus. Et respondendi, ut hem. Et negandi, ut, non, haud, nequaquam, ne pro non. Terentius: [And. act. 5. sce. 3.] Hoc modo te obsecro, ut ne credas à me allegatum hunc senem.

nisi

Breuiterq;.
Diuidendi.
Vocandi.
Respondendi.
Negandi.
Ne, pro non

nisi potius totum illud, ut ne, ἵνα μὴ significat.

Parum pro nō, uel non satis. Salust. [con. Cat.] Nobis ea res pro magnitudine parum cōperta. Affirmatiuè respondendi, Etiam sic, ita, quidni. Concedentis uel de opinione cedentis, ut Quid isthuc. Terent. [And. act. 3. sc. 3.] Quid isthuc, si ita animum induxti tuum? Seruio præterea concedentis sunt, licet & esto.

Parum pro non.

Affirmatiuè respondendi.

Concedentis.

Affirmationis uel confirmationis, ut certè, profectò, sane, plane, prorsus, adeo, nempe, utique, nimirum, scilicet. Cic. ad Att. [lib. 4. epist. 6.] Si taceo oppressus & captus, quo dolore esse debeo? Quo sum scilicet. Videlicet, ilicet. Et næ diphthongo scriptum, ut Ter. [And. act. 4. sc. 4.] Næ ista istum haud nouit. Cic. in Philip. [2.] Næ tu si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses. Et, quidem, aliquando, ut Cic. [De ami.] Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut si quisquam est, ille sapiens fuit, pro certè magis credo. Et, equidem, quod ideo inter hæc potius conieci, quàm inter coniunctiones, quòd sensus non coniungit. Persius [Sat. 1.] Per me equidem sint omnia protinus alba.

Confirmationis.

Næ cū diphthongo scriptū p certè.

Equidem pro certe.

Iurandi, ut hercle, mehercules, pol, edepol, castor, ecastor, diusfidius, mediusfidius.

Iurandi.

Hortandi, ut Eia, age, agite, agedum, ehodum, sodes, sultis, amabo, amabote.

Hortandi.

Prohibendi. Optandi. Prohibendi, ut ne. Optandi, ut utinam, si, o si, si si, ut, o. Differunt hæc à uerbis optandi, quòd hæc notæ uelutiq; nomina sint optandi: Verba rem aliquam definitam, cum optandi affectu significant. Simile quiddam intelligatur in, homine & uno, hoc nanq; nomen est numeri, homo etiam substantiam significat, cui inclusa sit unitas. Simile notatur discrimen inter, ego & scribo: & inter, age & scribe: & doctißimus ac ualde.

Exclusionis. Exclusionis siue solitudinis, tantum, solum, tantummodo, solummodo, duntaxat, modo, demum. Congregandi Congregandi, ut simul, una, pariter, uniuersim, coniunctim. Cæsar [lib. 6. bell. Gall.] Huius omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur. Cum quibus aliquid confine habent, uniuersaliter, generaliter, in uniuersum, in totum, generatim. Negatæ solitudinis. Et quæ negatæ solitudinis, siue ea congregandi uocare uelis, non solum, non tantum, non modo, nedum. Separandi. Separandi, ut seorsum, segregatim, priuatim, egregiè, speciatim, nominatim, ut Cicero ad Ser. [libro 12. epist. 29. fa.] Duo quidem * nominatim rogo, primum ut si quid satis datum erit, amplius eo nomine non peti cures. Diuersitatis. Sunt & diuersitatis, ut aliter, secus. Eligendi. Eligendi, ut potius, potißimum, imo, & satius. Qualitatis. Qualitatis, ut doctè, pulcrè, fortiter, sapienter. Quantitatis. Quantitatis, ut parum, minimè, maximè, ad summum, summũ, longißimè, omnino.

Colu=

Columella [lib.5. cap.9.] Ea extet minimè tribus pedibus. Cicero pro Milone: Vnus aut ad summum duo inuenti sunt, qui Milonis caussam non probarent. Idem ad Atticum [lib.12.epist. 4.] Scies igitur fortasse cras, summum perendie. Plinius [lib.2.cap.penult.] Pars nostra terrarum, de qua memoro, ambiente, * (ut dictum est) Oceano uelut innatans, longißimè ab ortu & occasu * patet. Cæsar de bello Gall. [lib.1.] Erat omnino in Gallia ulteriore legio una. pro ad summum. Præterea si modò aduerbia sint, ac non potius nomina ad Græcorum imitationem per eclipsim dicta, modicum, paululum, minimum, plurimum. Sunt & qui, ut plurimum usurpent, sicut Græci ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, quod plurimum ueteres dixerunt.

Omnino, pro ad summum.

Comparandi, ut magis, minus, maximè, minimè: aliter quoq; comparationis siue collationis sunt, tam & quàm, tantum, siue intantum, & quantum. Item cum pro, tam & quàm, sumuntur, æque & ac, sed propriè in quantitate. Suet. Cæsari * nihil æque ac iudicis acerbitas profuit. Intentendi, ut ualde, perquam, longè, prorsus penitus, omnino, magnopere, impensè, impendiò, apprimè, & aliquando bene, male, peius, peßime, admodum, adeo pro ualde, & imprimis pro ualde. Remittendi, ut sensim, paulatim, pedetentim, uix, ægre. Et quæ rei non planè peractæ

Comparandi. Aeque ac. Intendendi.

Remittendi. Rei non peractæ.

actæ appelles, ut pene, fere, temere, pro ferè propemodum, & tantum non, ut Suet. in Tiberio: Tantum non aduersis tempestatibus Rhodũ enauigauit. Et quod idem significat, modò non, ut Terentius in Phor. [act. 1. sc. 2.] Senem per epistolam * pellexit, modò non montes auri polli cens. Demonstrandi, ut en, ecce. Et aliter demonstrandi, ut sic. ueluti cum dicimus, sic percute, sic pronuncia. Explanandi siue declarandi, Græci διασαφήσεως uocant, ut id est, hoc est, & siue aliquando. Cicer. ad Attic. [lib. 9. epist. 4.] Tum reliqua uidebimus, id est, quò & quà, & quando. Idem ad eundem: Qui dum urbem, id est, patriam amamus, dúmq; rem conuenturam putamus, ita nos geßimus ut planè interclusi captiq; simus. Quintil. [lib. 1. cap. 7.] Vt Aristarchus & ætate nostra Palæmon, qui uocabulum siue appellationem nomini subiecerunt. Dubitandi, ut forsan, forsitan, fortaßis, fortasse, forsit, fors. Virg. [lib. 2.] Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent Effugia. Horat. [lib. 1. sat. 6.] Dißimile hoc illi est, quia non ut forsit * honorem Iure mihi inuideat quiuis &c. Vsurpantur hæc ubi incertum est, factáne res sit, nec ne, ut Horat. [in arte] Et fortasse cupressum Scis simulare. Terent. [And. act. 1. sc. 1.] Bona fortasse.

Tantum non.
Modo non.
Demonstrandi.
Explanandi.
Siue, pro, id est.
Dubitandi.

Euentus.

Eue̅tus, ut forte, fortuito, casu, forte fortuna.

Vtimur

Vtimur his, ubi factum quid indicatur, sed for- tuito. Virg. [Eclog.7.] Forte sub arguta conse derat ilice Daphnis. Teren. [Eunuch. act.1.sc. 2.] Forte fortuna affuit hic meus amicus. Perso nalia, ut mecum, tecum, secum, nobiscum, uobis- cum. Sic dicta, quòd certas personas includant: si modò hæc aduerbia sunt, & non potius con- structio præpositionis cum pronomine, quod relatio declarat, ut: Tecum qui mihi. Sed for- tasse fefellit Grammaticos, quòd præpositio cum casu sæpe est ἰσοδύναμον aduerbio. Persona- lia (ut quibusdam placet) sunt meatim, tuatim, suatim, nostratim, uestratim, id est, more meo, tuo, suo, nostro, uestro. Horũ nõ admodum dissi mile est humanitus. Plin. [li.10.ca.63.] Vrsi au tem, ut dictum est, humanitus strati, id est, mo- re humano, cum reliqua eius formæ significent potius id quod ea quæ Græcè in θεν desinunt, ut radicitus, funditùs, diuinitus, antiquitus. pro à radice, fundo, deo, antiquo. Similitudinis sunt, sic, ita, itidem, sicut, sicuti, & ut, quæ omnia in qualitate quæpiam conferunt, sicuti quomodo & quemadmodum in ratione & modo. Huc per tinent & quasi, ceu, tanquã, uelut, ueluti, & uti. Sed hæc imaginẽ potius exhibere Laurentio pla cet: ut uerò, atq; uti, generalia esse. Est etiã qđ Græci ἀποστατικὸν uocant, ut pro ὥστε, sicut in tali sermone: Sic studijs incumbit, ut sanitatis sit immemor.

Personalia.

Humanitus pro eo quod est humano more.

Similitudinis.

Apostaticon.

DE INTERIECTIONE.

Interiectio quid.

INTERIECTIO est uox, quæ sub rudi inconditáq; uoce affectum animi demonstrat. Hanc ideo separatam ab Aduerbio Priscianus ait, quòd uidetur in sese affectam uerbi habere, & plenam motus animi significationem, etiam si uerbum non addatur, demonstrare: quod certé aduerbia non faciunt, ut quæ consistere sine uerbo præter admodum pauca non possunt. Habet autem uarias species, sed maximé à Grammaticis confusas. Exultantis uel læticiæ, ut Euax, uah, o. Plaut. [Menech. act. 1. sc. 2.] Euax iurgio * uxorem tandem abegi. Terent. Heauton. [act. 2. sc. 4.] Vah ergo mea Antiphila. Idem, [And. act. 1. sc. 1.] O factum bene. Dolentis uel lugentis, ut heu, hoi, hei, o, ah. Virg. Heu quæ me, * inquit, tellus, quæ me æquora possunt Seruare. Idem [libro 2. Aen.] Hei mihi qualis erat quantum mutatus ab illo Hectore. Teren. Eunu. [act. 4. sc. 2.] I intrò. hoi hei. Virg. [lib. 10.] O dolor atq; decus magnum. Idem Eclog. [1.] Ah silice in nuda connixa reliquit. Timentis, ut hei, atat. Terent. And. [act. 1. sc. 1.] Hei uereor ne quid Andria apportet mali. Admirantis, ut papæ. Terent. [Eunuch. act. 2. sc. 3.] Papæ noua figura oris. Vitantis, ut Apage, apagesis.

Interiectionũ species. Exultantis. Dolentis. Timentis. Admirantis. Vitantis.

Terent.

Teren. [Eunuch.act.4.sc.6.] Apagesis egon' formidolosus? Laudantis, ut euge. Mart. [li.2.] Effecte gnauiter, cito, nequiter euge beate. Vocantis sub incondita uoce, ut eho, oh, io. Teren. [Adel.act.5.sc.6.] Oh qui uocare. Ouid. [lib. 3.Metam.] Ecquis (io) siluæ crudelius, inquit, amauit. Silentium iniungentis, ut Au, Si. Teren. [Eunuc.act.4. sc.3.] Au obsecro mea Pythias. Idem [act. 4.scen.4.] Au ne comparandus hic quidem ad illum est. Deridentis uel ironiæ, ut hui. Terent. [And.act.3.scen.1.] Hui tam cito. Idem [Eunuch.act.5.scen.9.] Hui tu mihi illam laudas. Ex improuiso aliquid deprehendentis, ut atat. Terent. [And. act. 1. scen.1.] Atat hoc illud est, hinc illæ lacrymæ. Idem [Eunuch.act. 4.scen.5.] Atat data hercle mihi sunt uerba. Ridentis, ut Hahahe. Terent. Eunuch. Hahahe *defessa iam misera sum te ridendo. Exclamantis, ut O, proh, proh nefas. Lucan. [li.3.] Proh si remeasset in urbem. Terent. [Eunuch.act.4. scen. 4.] Iuppiter magne ô scelestum atq; audacem hominem. Seneca [li.1.na.quæst.]

O paupertas felix quæ tanto titulo locum fecit.

Laudantis.

Vocantis.

Silentium iniungentis.

Quidam St. scribendum censent pro silentij nota.

Ridentis.

Exclamantis

DE

DE CONIVN-CTIONE.

CONIVNCTIO est pars oratiōis, quæ clausulas in sermone aptè coniungit. Aliter: Coniunctio est pars orationis, quæ clausularum inter se connexum declarans, plurimum ad orationis claritatem confert. Aliter: Quæ tantum habitudinem clausularum inter se in sermone definit. Et cōiunctionis quidem officium hoc est: Cum aduerbia sicubi sensus iungunt, dictiones etiam respiciant, ut quæ similitudinis uocantur. Coniunctionis multæ sunt species, uel ut ueteres locuti sunt potestates. Copulatiuæ, quibus ea nectimus quæ coniuncta significare uolumus. Aliter: quæ copulant tam uerba quàm sensum, quales sunt: Et, que, atq;, ac, quoq;, etiam, præterea, alioqui, item, itemq;, cum & tum. Sed ubi sequitur, tum. nā ubi præcedit, aduerbia sunt temporis. Præterea, tum multiplicatum, ut tum uesperi, tum mane. Quinetiam, sed &, supérq;, insuper, ad hoc, ad hæc, ut quibusdam placet. Salust. [bell. iug.] Ad hoc pleraq; tempora in uenando agere, leonem atq; alias feras primus aut inprimis ferire. Idem: Ad hæc* accedebat munificentia animi, ingenij solentia. Hoc amplius, & his amplius, pro præterea. Quintilianus Institution. [lib. 1. cap. 10.] Hoc amplius, intro & intus,

Coniunctio.

Copulatiuæ.

tus, loci aduerbia: eo tamen intus, & intro sum, solœcismi sunt. Idem [lib. 9. cap. 3.] His amplius apud eundẽ. [Virg. 4. Geor.] Nam quis te iuuenum confidentissime. Adeo pro etiam. Cic. pro Plan: Insector, posco, atque adeo flagito. Simul, pro et, uel etiam. Huc referantur & horum contraria, nec, neq;, neu, néue. Cic. Len. [lib. 1. ep. 9.] Peto à te, ne id à me néue in hoc reo néue in alijs quæras. Sunt autem quæ his copulantur, aliquando sensus energia, siue re uera, siue, ut loquũtur, actu, ut Virgilius legit, & idem scribit. Aliquando potestate tantũ, ut ego lego & tu. Si quis enim plenã constructionẽ faciet, duo sensus etiam reipsa apparebunt, ut ego lego & tu legis. Ex his quatuor, nempe, et, q;, nec, neq;, cũ geminantur, suspensiuæ priore loco apté dici possunt, quòd aliam eiusdẽ potestatis expectari faciant, uel affirmatiuam, Et fugit & pugnat: uel negatiuam, Iuue. [Sat. 6.] Et latere parcas nec quantum iussit anheles. Sunt ex his quæ explanationem quandam præcedentium inferant, sicuti διασαφήσεως aduerbia, ut Virg. [lib. 1. æne.] Manat alta mente repostum Iudicium Paridis spretæq; iniuria formæ, quasi nempe iniuria spretæ formæ, uel, id est iniuria spretæ formæ. Grammatici Epexegesin uocant.

Adeo pro. etiam.

Simul, pro & uel etiam.

Suspensiuæ.

Epexegesis.

Discretiuæ, quibus ea quæ discreta intelligi uolumus, connectimus, ut: sed, sed enim, at, ast, atqui

Discretiuæ.

atqui, quidem, autē, uero, porro, quin pro sed, cæterum, uerum, uerumenim, uerumenimuero. Quod cum si, uel nisi, ut Iuuen. [Sat.2.] Quod si uexantur leges & iura. pro uerum si uel at si Teren. in Phor. act. 1. sce. 3.] Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem ut par fuit. Ex his nonnullæ copulatiuæ leguntur. Itaq; etiam Prisciano [lib.16.] & Græcis inter copulatiuas numerantur, sicuti quidem, autem, uero. Mihi se paratas esse magis placuit, & discretiuas appellari, quòd tali officio maximé fungãtur: ut, Achilles quidem fortis fuit, Vlysses uero astutus.

Disiunctiuæ. Disiunctiuæ, quibus ea iungimus, quorũ alterũ, non utrunque affirmamus. Quales sunt, aut, uel, ue, siue, seu. Hæc quoq; cum geminantur, suspensiuæ priori loco dici possunt: ut, uel scribit uel dictat.

Rationis redditiuæ. Rationis redditiuæ sunt, quas Priscianus proprié caussales uocat, quibus id quod subijcitur, rationem esse eius quod præcessit, significamus: ut, nam, nanque, enim, etenim, quod pro quia, quo pro quia præcipue post non, propterea quod quippe, utpote, siquidem, ut ꝑ utpote.

Vt pro ut pote.

Cõtinuatiuæ. Continuatiuæ, sunt, quæ (ut recte definit doctißimus Theodorus) [li.4.] consequentiam aliquam sine subsistentia significantes, sensus cõiungũt imperfectos: ut, si dies est, lux est. Aliter quæ consequentiam omnino, essentiam sub condi

tione

tione, siue ex hypothesi significant. Aliter: quæ essentiam non nisi ex pacto significant. Sunt autem hæ, si, sin, ni & aliquando quum & siue, cum si & ue (ex quibus componi uidetur) significationem habet.

Subcontinuatiuæ sunt, quæ consequentiam rerum cum subsistentia significant: ut quoniã febricitas, cales. Eiusmodi sunt quoniam, quia, quando, quatenus. Quint. Instit. [li. 9. c. 3.] Quatenus huc incidimus, paulò plus scolis demus. Postquam, & cum pro postquam, antequam, priusquam, quamdiu, quoad, & quod utrumq; horum significat, donec & donicum. Cato [re Rust. ca. 161.] Sed usq; licebit uellas, donicũ in semen uideris ire. Possunt autem multa ex his cum postponuntur, pro rationis redditiuis accipi: ut salutem debeo tibi, quoniam tu me seruasti. Nec excidit posteriora horum inter aduerbia temporis posuisse me. Sed sunt & coniunctiones, tenuißimo planè ab aduerbijs discrimine. Atq; haud scio an Latinis hoc unico quod scilicet coniunctiones cum sunt, uerbum suum in subiunctiuo inferunt. Græcis facilis est discretio, ut qui ἂν δυνητικῷ adiecto, coniunctiones eas faciant: ὅταν, ἐπειδ᾽ ἂν, πρὶν ἂν, ἕως ἂν, μέχρις ἂν dicentes. Subcontinuatiuæ.

Definitiua, quæ præcedentis uerbi significationem determinat, ut quod Plin. ad Seruia. [li. 6. ep. 26.] Gaudeo et gratulor q͂d' Fusco Salinatori Definitiuæ.

tori filiã tuam destinasti. Cic. in Sal. Credo quòd nõ omnes tui similes incolumes in urbẽ uenißẽt.

Perfectiuæ

Qui pro Vt, Vt ꝑ Ne nõ.

Perfectiuæ uel absolutiuæ, quas alicui fini perfectioniq; præponimus, sunt hæ: ut, uti, & quo pro ut, qui pro ut, ne, & ut pro ne non. Terent. Sed uim patris * ut queas ferre. Et, ut ne, pro ut non. Cic. pro Milo. Opera datur, ut iudicia ne fiant. Et Prisciano interprete, quatenus. Hor. [li. 1. sat. 1.] Iubeas miserum esse libenter. Quatenus id facit. Acroni pro quandiu eò loci ponitur.

Dubitatiuæ.

Dubitatiuæ sunt, quas ibi adhibemus, ubi de duobus dubitamus, ut ne, an, anne, num, nunquid, utrum, necne. Quædam ex his & in solutionibus problematũ Græco more adhibentur cum uel de duobus ambigimus, utrum optemus, uel non pro certo affirmamus quod attulimus, sed ad legentis iudicium referimus, ut ex interpretibus Donatus in Hecy. [act. 5. sc. 1.] Sed re primã me, ne ægrè quicquã ex me audiat. Vtrũ, inquit, ægrè pro malè, an ægrè pro inuita.

Collectiuæ.

Collectiuæ uel illatiuæ, quas etiam rationales uocat Priscianus, sunt, quib. consequi aliqd ea q̃ ꝓposita sunt, significamus: ut ergo, ideo, igitur, itaq;, idcirco, quare, quamobrẽ, quocirca, proinde, ideoq;, ideo. Et qđ, pro post quod uel quare, ut Ter. [And. act. 1. sc. 5.] Quod te per hanc dexterã oro. Item, propterea, & ea re. Cic. [li. 14. ep. 3. fa.] Ea re statim ad te Aristocritũ misi.

Quod ꝑ post quod uel quare.

Ad=

Aduersatiuæ.

Epilecticæ.

Aduersatiuæ, quibus non obstare, nec impedimento esse quod dicimus, significamus: ut etsi, quanquam, quamuis, licet, tametsi. Et redditiuæ earundem, tamen, attamen, sed tamen. Quas Græci ἐπιλεκτικὰς uocant, quásque tum adhibemus, cum ex duobus propositis alterum præferre nos significamus, ut, Quàm, & cū pro quàm accipiuntur, ac & atq;. Terentius [And. act. 4. scen. 6.] Quæ sese inhonesté optauit parare hîc diuitias potius, quàm in patria honesté pauper uiuere.

Elattoticæ.

Quæ Elattoticæ Græcè uocantur, id quod minus est concedi dignum, indicant: ut saltem, et cum pro saltem accipiuntur, at, certé, uel: ut, Ne uel latum digitum cessit.

Expletiuæ.

Sunt & quas expletiuas ueteres dixere, tales scilicet tum demum meritò censendæ, cum additæ uel detractæ nihilo plus aut minus efficiunt: ut enim, in atenim, & sedenim, & enimuero: & cum inchoat clausulam. Cicero ad Quint. frat. [lib. 1. Epist. 1.] Atenim inter hos ipsos existunt graues controuersiæ. Virgilius [lib. 1. Aeneid.] Sedenim Troiano à sanguine duci Audierat. Teren. [And. act. 1. sc. 3.] Enimuero Daue nihil est loci segnitiæ, neque socordiæ. Idem Adelph. [act. 5. sce. 1.] Enim non sinam. Et nam aliquando. Virg. [lib. 4. Georg.] Nam quis te iuuenum confidentissime nostras Iussit adire domos.

THOMAE LINACRI ANGLI, DE EMENDATA STRVCTVRA, LIBER II. SIVE DE PARTIVM ENALLAGE.



T DE OCTO quidem orationis partibus earumq; speciebus, quatenus nimirum ad constructionis rationem potissimũ attinet, hactenus dictum esto. Superest, quoniam eædem ab autoribus uariè confunduntur, & aliæ pro alijs usurpantur (Græci generaliter Enallagen, priuatim Antimerian uocant) ut de hac quoque aliquid dicamus. Prius tamen admonitis qui legent, ne quicquid hîc ab autoribus usurpatum asseretur, licere sibi utcunque putent, si modò ueteribus, quos sibi imitandos proponunt, similes esse in dicendo student. Quis enim id speret, qui quod illi quauis necessitate, interdum uerò humano lapsu, dum aliò fortasse fuere intenti, uel etiam incuria, semel aut iterum, in summa rarissimè admiserunt, promiscuè & familiariter utitur? Imò uero sit dissimilimus necesse est. Declarant id facilè qui talia maximè affectant, ut docti alioqui, sed iudicio corruptissimo, ne dicam infelici, quos tamen ab alijs intelligi, quàm à me nominari malo.

Sed illuc

Sed illuc reuertor. Sicuti quod passim legis, securus reponas: ita quod rarum aut infrequens est, non nisi quatenus usurpatum ab alijs est, sequendum censeo, ita enim perpetuò rarum manserit. Hoc mihi pro multis locis, quorum est commune, dicendum fuit, nec scio an alibi opportunius. Fit ergo Antimeria, siue partium Enallage, quatuor modis. Nam aut declinabilis pars ponitur pro non declinabili, aut non declinabilis pro declinabili, aut declinabilis pro declinabili, aut non declinabilis pro non declinabili. Antimeria fit quatuor modis.

PRIMVM GENVS.

IN primo genere nomen præpositionis loco ponitur, ut secundum pro κατὰ. Quintilianus [lib.12.cap.1.] Secundum consuetudinem. Et loco aduerbij, adiectiuum quidem, ut recens pro recenter. Virg. [lib.3.Georg.] Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris. Talia sunt, toruum clamat, sublime uolat, magnum stridens, pro recenter, toruè sublimiter, ualde. Præterea nonnulli datiui in o, ut certò, sedulò, optatò, auspicatò, pseudulò, falsò, uerò: pro certè, sedulè, optatè, auspicatè, pseudulè, falsè, uerè. Postremum autem horum id est, uerò, ut Donatus refert, [in Eunuch. act.5.sce.2.] modò pro aduerbio confirmandi, siue, ut idem uult, consentiendi: ut,

Nomen pro præpositione

Adiectiuum pro aduerbio

Verò.

di:ut, Ego uerò maneo. Cicero: [lib.4. Epi.6.] Ego uerò Serui uellem ut scribis, in meo grauissimo casu affuisses, ubi quid si pro ἔγωγε Græco accipi dicas? Accipitur Donato [in Ter. Eun. act.2. scen.5.] & pro particula quæ Ironiam iuuet: ut, [Virgil. lib.4. Aeneid.] Egregiam uerò laudem & spolia ampla refertis, Túque puérq; tuus. Modò pro coniunctione, ut cum, Quidem ea præcedit. Præterea ut expletiua uel ornatiua est, ut Terent. [Eunuch. act.5. scen.4.] Id uerò est quod ego puto mihi palmarium me reperisse. Vbi ait Donatus, nisi ornatiuum esset, nihil significaret. Idem & pro interiectione stomachantis accipi ait, in illo Eunuchi: [act.5. sc.3.] Moue uerò ocyus te mea nutrix.

Appellatiuũ pro aduerbio. Appellatiuum uerò pro aduerbio: ut, [Virgil. lib. 1. Aeneid.] nec uox hominem sonat, pro eo quod est humaniter. Et, [Iuuenalis Satyr.2.] bacchanalia uiuunt, pro bacchanaliter. Quanquam hoc genus per illos ablatiuos, more, uel ritu, uel etiam eiusmodi uerba, qualia sunt: Exhibet, repræsentat, præfert, interpretari licet, sic: Sonat ritu, uel more hominis, uel repræsentat, uel præfert hominem: quemadmodum Virgilius locutus uidetur in decimo: Frons hominem præfert. Item, quid pro quorsum, uel ad quid. Virg. [lib.2. Georg.] Quid tibi odorato referam sudantia ligno, Balsamáq; & baccas semper frondentis

Quid p̃ quorsum uel ad q̃d.

dentis acanthi? Quid nemora Aethiopum molli canentia lana? Idem, [lib.2. Georg.] Quid maiora sequar? Et nullus pro non. Cicer. [libro 11. Epist. penul. Att.] Philotimus non modò nullus uenit, sed ne per literas quidem, aut per nuncium certiorem fecit me, quid egerit. Idem, [libro 3. Offic.] Quærit ex proximo uicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quòd eos nullus uideret. Et Terentius*, Et si nullus dixeris. Et nomen pro interiectione, ut, malum, in illo Terentij, [Eunuch. act. 4. scen. 7.] Quid malum alij? Et nomen siue pronomen pro coniunctione, ut, idem, pro etiam, autore Laurentio: [lib.2. capite 5.] Cicero: [lib.1. off.] Est huic coniuncta beneficentia, quam eandem uel benignitatem, uel liberalitatem appellare licet. Quintilian. [lib.5. cap.11.] Si caussam ueneficij dicat adultera, non Marci Catonis damnata iudicio uidetur, qui nullam adulteram, non eandem esse ueneficam dixit. Colum. [lib.2. c.2.] Nullum enim temere uidemus locum, qui modò pigrum contineat humorem, non eundem uel nigri uel cinerei coloris.

Nullus pro non.

Nomen pro interiectiõe.

Pronomẽ pro coniunctiõe.

Idem.

Et pronomen uel prouocabulum pro aduerbio, ut, hîc, cum in loco: &, hoc, eò, illò, quò, cum ad locum significant, &, quà, siue per locũ significet, siue pro partim accipiatur, ut Cicer. ad Q. fratrem: [lib.3. Epist.1.] Ita omnia conuestiuit hedera quà basim uillæ, quà intercolumnia

Pronomẽ pro aduerbio.

mnia ambulationis. Plin. ad Mac. [lib.3.epi.5.] Medium tempus distentum impeditúmque, quà officijs maximis, qua amicitia principum egisse. Quod, quoq; pro cur uel quamobrem in illa dicendi figura, cum similibus, qualis est Virgil. in Bucc. [Eclog.3.] Si ad uitulam spectes, nihil est quòd pocula laudes. Cicer. Terent. [Epist.12.] In uiam quòd te des hoc tempore nihil est. Idem: [pro Ros. Am.] Credo ego uos mirari quid sit quòd &c. ego potißimum surrexerim. Plautus, Aulul. Iam ad te reuertor,* Nam est quòd te uisam. Et pronomen uel prouocabulum pro coniunctione, ut, quò, pro quia: & eò, pro propterea. Terent. [Eunuch. act 1. sce.2.] Non pol quò quenquam plus amem aut plus diligam, eò feci. Cæsar Comment. [lib.1. bel. Gall.] His Cæsar ita respondit, eò sibi minus dubitationis dari, quòd eas res quas legati Heluetij commemorassent, memoria teneret. Et, quòd, pro quia. Cicer. Att. [libro 1. Epist.2.] Quòd scribis de* Hermathena per mihi gratum est ornamentum Academiæ proprium meæ. Quòd & Hermes commune omnium, & Minerua singulare est insigne eius gymnasij. Secundo enim loco, quod pro quia legitur. Idem: [libro 3. Epist. 3. Attic.] Vtinam illum diem uideam cum tibi agam gratias, quòd me uiuere coëgisti. Et pro, sed, uerum uel at, quo modo ferè cum, si uel nisi, iungitur. Terent. in Phor-

Prouocabulũ uel pronomen pro coniunctione.

Quod ꝑ quia & aliter multis modis accipitur.

in Phormione, [act.1. scen.3.] Quòd si tibi res sit cum eo lenone qui cum mihi est. Idem: Quòd ni fuissem incogitans. Virgil. [libro 1. Georg.] Quòd nisi aßiduis terram insectabere rastris. Et pro, quare, uel itaque. Terentius, [Andr. act. 1. scen. 5.] Quòd ego per hanc te dexteram oro. Nec me præterit Donatum per eclipsim præpositionis, post, huiusmodi loca interpretari. Accipitur etiam & pro quadam tantummodo continuatione siue connexione, quoties, utinam, adiunctum habet. Cicer. Terent. [Epistola 4.] cum ad uos scribo aut uestra* lego, conficior lacrymis, sic ut ferre non poßim, quod utinam minus uitæ cupidus fuissem, certè nihil aut non multum in uita mali uidissemus. Terentius, [in Phormione act. 1. scen. 3.] Rogitas qui mihi tam audacis facinoris conscius sis? Quòd utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset. Quasi atq; utinam, uel utinam autem fuissem, uel utinam autem ne incidisset. Et pro, ὅτι, διαβεβαιωτικῶς, ut in talibus: Scio quòd scribis uel scribas. Et pro, καθότι, uel καθ' ὅσον, siue quatenus. Terentius, [Phormion. act. 1. scen. 2.] Hæc omnia confingam, quòd erit mihi bonũ atque commodum. Cicer. Attic. [libro 1. Epist. 2.] Nunc uerò censeo, quòd commodo tuo facere poteris, uenias ad id tempus quod scribis. Plautus, [Menech. act. 3. scen. 2.] Non ædepol ego te,

quòd ſciam, unquam ante hunc diem uidi, id eſt, quantum. Terent. [Adel. act. 4. ſc. 5.] Túne has pepuliſti fores? Non equidem iſtas, quòd ſciam. Idem: Prodidiſti te atq; illam miſeram & gnatū, quòd quidem in te fuit, pro quantum quidem in te fuit: niſi potius Græcū illud ſignificari putas, ὅσον μέρος. Cicer. Terentiæ: [epi. 5.] Tu uelim, quòd cum commodo ualetudinis tuæ fiat, quàm longiſſimè poteris obuiam nobis properes, id eſt, quantū. Quintil. [lib. 1. cap. 13.] Ego, quòd conſuetudo obtinuerit, ſcribendum quicq; iudico, quo modo ſonat, pro, quoad uel quatenus. In illo enim cum ſimilibus ubiq; prouocabuli naturam ſeruat κατ᾽ ἐναλλαγὴν πτώσεως. Terentius*: Sed ſi quid ſit, quod mea opera opus ſit, aut tu plus uides quàm ego, manebo. Videtur enim, quod, pro, in quo, poſitum.

Verbum uel ſenſus pro aduerbio. Et uerbum uel potius ſenſus pro aduerbio, ut Amabo & amabo te, ſodes, ſis, ſultis. Cic. [lib. 5. epi. 8.] Attic. Sed amabo te nihil incommodo ualetudinis tuæ feceris. Item, ſecundo loco, pro deinde. Cicero Lentulo: [lib. 1. epi. 6.] Facilè ſecundo loco me conſolatur recordatio meorum temporum, quorū imaginem uideo in tuis rebus. Non enim præceſſit primum aut primo loco.

Secūdo loco.

Verbum pro coniunctione. Et uerbum pro coniunctione: ut, licet et licebit, cum pro quamuis leguntur. Mart. [lib. 8.] Tu Cæſar uel nocte ueni, ſint aſtra licebit, Non deerit populo te ueniente dies.

Et

Participium pro aduerbio

Et participium pro aduerbio: ut, libens pro libenter. Plautus: [Pseud. act.1.scen.1.] Duorum labori hominum parsissem libens. Terentius: [Andr. act. 2.scen.1.] Ego uerò ac lubens. Virgilius: [libro 6. Aeneid.] Ac bellua Lernæ Horrendum stridens, pro horrendè. Et participium uel participiale nomen pro interiectione, ut in illo: [Virgilius libro 1. Aeneid.] Nauibus (infandum) amißis.

Participiale pro interiectione.

SECVNDVM GENVS.

SECVNDVM genus, quo indeclinabile pro declinabili poni diximus, ex his spectandum est. Præpositio pro uerbo legitur, sed Græco more: ut, Nec* fuga iā super ulla, pro superest. Et pro participio: ut, [Id libro 3.] O mihi sola mei super Astyanactis imago, pro περιοῦσα. Aduerbium pro nomine adiectiuo. Terentius, [And. act. 1. scen.1.] Sic uita erat. Idem, [Adel. act.1.sce.2.] Est dijs gratia, cum ita est ut uolo. In his, sic & ita, pro talis accipiuntur. Idem, [Heautont. act.1.scen.2.] Atq; hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui illa poßidet. Cor. Balb. C. Opius Ciceroni. [libro 9. Epist. 8. Attic.] Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplißimorum uirorum consilia. Hîc pro talia & qualia & quales, ponuntur, perinde, ita & ut. Terentius [Heautont. act. 1. scen.2.] Vtut

Præpositio pro uerbo.

Aduerbium pro nomine.

erat, mansum tamen oportuit, ubi, utut, pro qua

Quàm pro quantum.

liscunque ponitur. Quàm, præterea ponitur pro quantum, ut alibi dicemus. Iam alia non pauca pro nominibus posita legas. Terentius, [in Phormione, act. 1. scen. 2.] Vt bene sit tibi. Idem, [act. 1. scen. 3.] Alijs quia desit quod ament, ægré est. Virgil. [lib. 7. Aeneid.] Terrorum & fraudis abunde est. Martial. [lib. 4.] Ohe iam satis est, ohe libelle. In his enim, bene, ægré, abundé, & satis, pro nominatiuis nominum sunt posita. Pridie quoque & postridie & ante, cum præpositionibus subijciuntur, ut Cicero ad Attic. [lib. 3. Epist. 17.] De Quinto fratre nuncij nobis tristes, nec uarij uenerant & ante diem Nonas Iunij usque ad pridie Calendas. Idem alibi, [lib. 2. Epist. 9. Attic.] Ibi uolo esse usque ad pridie Calendas Maias. Plinius, [lib. 8. capite 45.] Coitus à Delphini exortu ad pridie

Partim pro quidam.

Nonas Ianuarij. Item, partim, pro quidam: ut, partim hominum uenerunt, pro pars hominum, id est, quidam homines. Sic enim interpretatur Gellius, [libro 10. capit. 13.] Et cum partim hominum, pro cum quibusdam hominibus. Et Cato ex eodem: Ibi pro scorto fuit, *surrectauit é conuiuio cum partim illorum. Et Quintus Claudius, quem tamen insolentius usum hac particula Gellius ait: ego tamen arbitror Claudium lingua sui temporis non incommodé usum. Eius uer

ba ex

ba ex XXIII. Annal. hæc affert: Sed idcirco me fecisse, quod utrum negligentia partim magistratuum, an auaritia, an calamitate populi Rom. euenisse dicam, nescio. Non dißimili ratione mihi tria illa, amplius, plus, minus, cum in aduerbia transierunt, pro comparatiuis nominibus usurpari uidentur, quod ex subiectis autorum exemplis eruditis uiris æstimandum relinquimus. Certè Lod. Viues, alterum lumen literarum exoriens, non improbat. Plin. X. [cap. 53.] Plus uicena quina oua incubanda subijci uetant, id est, plura quàm uicena, ut ego interpretor. Idem, [lib. 5. cap. 28.] Torrentes uerò amplius centum, id est, plures quàm centum. Idem, [lib. 10. capit. 60.] Incubant totidem dies, nunquam plus ternos. Liuius: [libro 3. Decad. 3.] Hostium plus mille cæsi, * Romanorum minus mille, pro plures quàm ternos, plures quàm mille, & pauciores quàm mille. Idem, [lib. 1. dec. 3.] Victi amplius ducentis cecidere, pro plures. Cælius Cic. [lib. 8. Epist. 13.] Amplius quadraginta diebus mansit, id est, pluribus quàm quadraginta. Aulus Hircius, [lib. 8. bell. Gall.] Amplius duorum milium terga uerterunt, ubi etiam subdendus ablatiuus, numero, ut sit plures numero duorum milium. Cæsar, [lib. 2. bell. Gall.] Vna ex parte leuiter accliuis aditus, in latitudinem non amplius ducentorum pedum relinquebatur, pro

Lod. Viuis laus.

non

non amplior ſpacio ducentorum pedum. Quæ nunc ſubijciam, aliter ſunt curanda, cum tamen non incommodè huc referantur. Cæſ. [Ibid.] A milibus paſſuum minus duobus caſtra poſuerũt, id eſt, à paucioribus paßibus quàm duobus milibus. Non enim à paucioribus milibus quàm duobus accipiendum. Liuius, [lib.3.dec.3.] Amplius ſex milia hominum capta, pro plures quàm ſex milia hominum capti: ut ſit in illo, amplius, Enallage partis pro parte: In, capta, Enallage generis pro genere. In illo uerò, [Ter. Eunuc. act.3. ſcen.1.] plus millies audiui, non pro nomine accipitur illud plus, ſed pro aduerbio, ſæpius. Non admodum dißimili ab his ratione leguntur duæ præpoſitiones, ſuprà & intrà. Liuius de II. bel. Punico: [lib.10.] Carthaginenſium ſociorúmque cæſa eo die ſuprà milia uiginti, pro plures quàm uiginti milia cæſi, ut uel ſubaudiatur quàm, ut ſupra, ponatur pro plures: præterea, cæſa, pro cæſi, uel præpoſitio cum ſuo caſu loco ſit nominatiui, ſicut in illo aduerbium cum appendice: Amplius numero duorum milium terga uerterunt. Item Plinius, [libro 9. capite 55.] ut corrigit & interpretatur felicißimus in utroq; genere Budæus: [lib.2. de. aſſ.] Huius uillam intra quàm modicam, quadragies piſcinæ uendiderunt, pro minorem quàm modicam. Infrà uerò et ſuprà, cum aduerbiantur, pro aduerbijs com-

Budæus.

paratiui

paratiui gradus, inferius & superius. Cicer. [libro 2. de. nat. de.] Stomachi* autem partes quæ sunt infrà quàm cibus deuoratur, dilatantur, & arteria aspera ostium habet adiunctum linguæ radicibus, paulò suprà quàm ad linguam stomachus adnectitur, pro inferius quàm ubi, & superius quàm ubi. Est enim eiusmodi subaudiendum aduerbium. Aliter quoq; uicem appellatiuorum supplent aduerbia, ut in his. Persius, [Satyr. 1.] Hesternum cras* abijt. Idem, [ead. Satyr.] Euge tum &* belle. Mart. [lib. 1.] Audieris cum grande σοφῶς. Nisi quis proxima hæc ὀρικῶς accipi dicat, qua ratione uox quælibet pro nomine accipi potest. Et uice pronominis, ut [Ter. And. act. 1. sc. 1.] hinc illæ lacrimæ. Virg. [li. 2. Aen.] Huc delecta uirûm sortiti corpora furtim, pro in hunc equum. Idem: Huc se prouecti deserto in littore cõdunt. Et loco prouocabuli, sed ad tempus relati. Cic. Attic. [lib. 9. epi. 16.] Tuas decimo Calendas* accepi literas, quibus omnia consilia differs in id tempus, quum scierimus quod actum sit. Quum, pro quo. Virg. [Eclog. 8.] En erit unquam Ille dies mihi quum liceat tua dicere facta. Cicer. ad Att. [li. 3. epi. 3.] Vtinam illũ diem uideam, quum tibi gratias agam, quòd me uiuere coëgisti, pro, quo die. Et loco prouocabuli cum præpositione. Virg. [lib. 1. Aen.] Genus unde latinum, pro, à quo. Terent. [Eunuch. act. 1. sc. 2]

Aduerbiũ uice pronominis.

Aduerbium loco prouocabuli.

Quum, pro quo.

Aduerbiũ loco prouocabuli cum præpositione.

act.1.scen.2.] E prædonibus, unde eam emerat, pro, à quibus. Cicer. [pro Deio.] En crimen, en caussam cur Regem fugitiuus, dominum seruus accuset. Hîc, cur, propter quam significat. Varro de re rustic. [lib.1. cap.51.] Loca calida prope aream faciunt, * quò succedant homines, pro, in quæ. Hoc genere Enallages ueteres passim libenter uti uidentur. Coniunctio pro nomine. Virgil. in sexto: Illius ergò Venimus, & magnos herebi tranauimus amnes. Sisenna [lib.4.] ut Gellius* citat: Milites ut lex Calphurnia concesserat, uirtutis ergò ciuitate donati, pro, illius caussa: & uirtutis caussa. Idem loco pronominis cum præpositione. Cicer. Terent. [epi.4.] Est autem in officio adhuc Orpheus, præterea magnopere nemo cæterorum seruorum. Idem pro Gn. Pompeio: Eundem ab hostibus metui præterea neminem. utrobiq; Præterea, pro præter eum, ponitur. Cicer. Seruio Sulpitio: [libro 4. Epist. 3.] A me uerò ita diligitur ut tibi uni concedam, præterea nemini, id est, præter te.

Coniunctio ꝑ nomine.

Coniunctio loco pronominis cum præpositione.

TERTIVM GENVS.

TErtium genus, in quo scilicet declinabilium partium alia ponitur pro alia, ex his uideatur. Nomen ponitur pro participio: ut, Prudens, pro prouidens. Plin. [lib.8. cap.38.] Ille contrà urinam spargit prudens, hanc quoque leoni

Nomen pro participio.

que leoni

que leoni exitialem. Ita & Gnarus se peti, apud eundem, [cap.37.] legitur, pro sciens. Et apud Virgilium, [lib.2. Aeneid.] sibila, pro sibilantia: ut, Sibila lambebant linguis uibrãtibus ora. Et apud eundem, corusca, pro coruscantia, ut in Georg. [lib. 1.] Corusca Fulmina molitur dextra. Pronomen loco nominis: ut, suus, pro proprius. Virg. [lib. 1. Aeneid.] Sunt hîc etiam sua præmia laudi. Terentius [Phor. act. 2. scen. 4.] Suus cuiq; mos est. Plinius de mulis: [libro 8. capite 44.] Sed esse id animal ibi sui generis. Sic dicimus &: suus est Homeri mos. Et, is, pro talis uel tantus, ut Virgil. [lib. 1. Aeneid.] Non ea uis animo. Eo quoque & quo: similiter, hoc & quo, sæpißimè pro tanto & quanto legimus, ut in illis: Eo magis, eo minus: hoc magis, hoc minus: quo magis, quo minus: ut Cæsar Comment. [li. 1. bell. Gall.] Eo grauius ferre, quo minus merito populi Romani accidisset. Tale est illud Cicer. ad Appium: [lib. 3. ep. 3.] Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris approbabo.

Pronomen loco nominis.

Rursus uerbum pro nomine, ut suprà est dictum. Ouidius, [libro 1. Trist. Eleg. 3.] Sæpe uale dicto rursus sum multa locutus. Persius: [Satyra 1.] Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Idem: [ead. Sat.] Et nostrum illud uiuere triste. Martialis, [libro. 3.] Velle tuum nolo Dyndime, nolle uolo. Participium pro nomine.

Verbum pro nomine.

Participiũ ꝑ nomine.

Salustius [con. Cat.] Alieni appetens, sui profusus. Ars enim non recusat appetitor & profusor. Aliter quoque pro nomine accipitur participium, ut alibi diximus. Et pro uerbo. Salust. [Ibidem] Priusquàm incipias consulto, & ubi consulueris, maturé opus est facto, pro consuli & fieri, ut Priscianus [lib. 18.] interpretatur. Terent. [And. act. 4. scen. 2.] Ita facto opus est. Idem in Hecyra [act. 3. sce. 4.] In arcem transcurso opus est. Vbi tamen Donatus pro transcurrere interpretatur. Sed potest & pro transcurri accipi. In illis autem, uolo datum, factum oportuit, Infinitum esse, subauditur. Suntq; infiniti præterita, ut quibus etiam perfectio significetur, non solum actio.

Participium pro uerbo.

QVARTVM GENVS.

Reliquum est quartũ genus, ubi scilicet indeclinabile pro declinabili ponitur, quod ex his spectetur. Præpositio pro aduerbio. Absque, ut Terentius, [Hecyra, act. 4. scena 2.] Quàm fortunatus sum cæteris rebus absque hæc una foret, id est, χωρὶς uel seorsum uel secus. Ante, Virgilius, [Eclog. 1.] Anté leues ergo pascentur in æthere cerui, pro prius. Circa, Cicer. Attic. [libro 4. Epist. 9.] Nostram ambulationem & laconicum, eáque quæ circa sint, uelim cum poteris inuisas. Circiter, Caßius Hemina

Præpositio pro aduerbio.

mina ex Gellio: * Lapidem quadratum circiter in medio arce iunctum candelis. Cic. Attic. [lib. 2. epist. 17.] Verum hæc in Arpinati ad sextum circiter Idus Maias non defleamus, ne & opera & oleum philologiæ nostræ perierit, Sed conferamus tranquillo animo. Circum. Virg. [li. 4. Aen.] Anna uides toto properari littore circum. Contra. Idem [lib. 1. Aen.] At Veneris contra sic filius orsus. Vbi, inuicem significat, autore Donato. Coram. Idem [lib. 1.] Coram quem quæritis adsum. Clam. Idem [eod. lib.] Clam ferro incautum superat. Extra. Persius [Sat. 1.] Pinge duos angues, pueri locus est sacer extra Mei te. Quint. [lib. 1. cap. 18.] Sint extra licet usus bellici, transeamus, quòd Achimedes obsidionem Syracusarum in longum traxit. Iuxta. Sallust. in Iugurt. Hyemem atque æstatem iuxta pati. pro, æque, quo Terentius similiter utitur: [Phor. scen. ult.] Noui æque omnia tecum. Columel. [lib. 8. cap. 13.] Nec nimis iuxta satæ fruges. Pone. Virg. [lib. 2.] Pars cætera pontum Pone legit. Et pone sequens, pro à tergo, uel post tergum. Prope. Terent. [And. act. 1. scen. 1.] Prope adest, cum alieno more uiuendum est mihi. Hæc tamen duo accentu distinguũt à præpositione. Post. Virgil. [lib. 1.] Post mihi non simili pœna commissa luetis. pro postea. Palàm. Terentius [Eunuch. act. 1. scen. 2.] Si falsum aut

fictum aut uanum est, continuo palàm est. Præ. Idem [And. act. 1. scen. 1.] I præ, sequar. Supra. Sallust. Pauca supra repetam. Secundum. Plaut. Amphitruone:* I tu secundum, sequar. Subter. Virg. [lib. 4.] Subter (mirabile dictu) Tot lingue. Plaut. Hinc atq; hinc. Super subtérq; premor angustijs. Super. Virgil. [lib. 2.] Satis una, supérq; Vidimus excidia. Secus. Cic. Att. [lib. 1. ep. 14.] Quintus frater purgat se mihi per literas & affirmat nihil à se cuiquam de te secus esse dictum. pro malé uel inimicé. Vltra. Nil ultra facies. Vsq; cum præpositioni adiungitur, ut usq; sub obscurum noctis. usq; ex Aethiopia.

Præpositio pro coniunctione.

Et, præpositio pro coniunctione. Sal. [de con. Catil.] Præter rerum capitalium condemnatis. Hîc, præter, si recté scribitur (nam aliter scriptum hodie reperitur) pro, præterquam, accipitur, quæ etiam à Donato inter coniunctiones numeratur, copulátq; illud, condemnatis, cum datiuo, qui præcedit multitudini. Priscianus eo loco, pro sine, accipit, et ablatiuo coniungit, quod ab alio fortaßis, sed perperam notatum accepit. Alioqui nec mirum magnopere est, inter tot quærenda æstimandáq; lapsum in tantilla re fuisse, ut mihi quoque obiter in tot trichis caueam. Cæterum pro præterquam uel nisi utitur Var. de re Rustic. dicens [lib. 1. cap. 41.] Præter si aliter nequeas.

Aduerbium pro præpositione.

Aduerbiũ pro præpositione, ut Virg.

Virg. [lib.7.] Tali intus templo diuûm patriáque Latinus Sede sedens. Sed hoc σολοικοφανὲς est. in prosa uerò Quintiliano autore [li. 1. c.10.] solœcismus. Et pro coniunctione, ut quæ congregandi sunt, præsertim geminata pro copulatiuis. Quin [in proœ.] Simul ut plenio ri obsequio demererer amantißimos mei, simul ne uulgarem uiam ingressus alienis demum uestigijs insisterem. Virg. [lib.2.Aen.] Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis Armiger Automedon unà omnis Scyria pubes Succedunt tecto. Item, Cum pro postquam. Plaut.in Trucul.* Iam biennium est, cum mecum esse ille cœpit. Et pro copulatiua, &. Virgil. [lib. 5.] Vix hæc ediderat cum effusis imbribus atra Tempestas sine fine furit. Liuius de bell. Punico [lib.4.dec.3.] Dies haud* multi intercesserant, cum legati uenerunt. pro & atra tempestas & legati. Cic. de Orat. [li.2.] Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meæ, cum iste accusauit Caium Norbanum. pro & iste. Et, simul, pro postquam, siue aduerbium est siue coniunctio. Ouid: [li.14. Meta.] Quã simul aspexit dicta acceptáq; salute. Idem: [li.1. Fast.] Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari. Cæsar: [lib.4.bel.Gal.] Nostri simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis in hostes impetum fecerunt. Et, ut, pro postquam. Virgilius: [lib.

Aduerbium pro coniunctione. Simul geminatum pro copulatiua coniunctione.

2. Aeneid.] Vulgi quæ uox ut uenit ad aures. Frequenter præterea usurpatur, Vbi, pro post quam, ut Virg. [lib.1. Georg.] Ille ubi nascentem maculis uariauerit orbem. Terent. [Andr. act.5. scen.1.] Vbi ea caussa, quamobrem hæc faciunt, erit adempta his, desinent. Statim, protinus, & continuò, subiecta negationi, quasi pro, ideo, accipi Laurentio [li.2.c.30.] placet. Quintilianus: [li.10.c.1.] Neq; id statim legenti persuasum sit, omnia quæ omnes autores dixerunt, utiq; esse perfecta. Idem: Non autem ut quicquid præcipuè necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit nomenti. Cic: [libro 2. de Orat.] At si illæ seditiones saluti huic ciuitati fuissent, non continuò si quis motus populi factus esset, id Caio Norbano in nefario crimine & * fraude capitali esse ponendum. Simili modo in interrogatione. Quintilianus: [libro 9.cap.2.] Continuò ne si ille stultè cogitauit, nobis stultè dicendum est? Coniunctio pro aduerbio: ut, atq;, pro statim, autoribus Festo * et Gellio, ut in illo Virgilij in Georg. [lib.1.] Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni. Item, &, pro εἶτα Græco. Cicer. Attic. [lib.10. epist. 11.] Vide quàm turpi leto pereamus, & dubitari potest quin ille seu uictus seu uictor redierit cædem facturus sit? Virg. [lib.1.] Et quisquam numen Iunonis adoret Præterea, aut supplex

Coniunctio pro aduerbio

aris

aris imponat honorem? Etiam, quoq; pro sic, uel ita legitur. Cicero pro Roscio. Si non, quomodo tabulas conficis? Si etiã, quamobrem cum cætera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in aduersarijs relinquebas? Item, quoque pro sic, uel ita legitur. Cicer. de diuinat. [libro 2.] Qui magis anguibus quàm lacertis quàm muribus, quia sunt hæc quotidiana, angues non item. Sed, pro imò. Plautus [Casin. act.3. sc.5.] Habet gladium, sed duos, id est, imò duos.

SPECIERVM NOMINIS ENALLAGE.

LAtißimè etiam patet ea Enallage pars, quæ per species partium inter se fit. Cuius nunc per singulas orationis partes exempla subijciemus.

In nomine igitur propria pro suis possessiuis, Poëtis nonnunquam usurpantur, ut Virg.* Et dardana suscitat arma. pro dardania. Idem: [lib.1.] Laticémq; Lyæum. pro Lyæium, ut Seruius rectè notauit. Horat. [in art.] Vos ô Pompilius sanguis. Propria pro suis possessiuis

Et proprium pro adiectiuo, ut Tullius eloquio, uiribus Milo. Significatur enim magnus eloquio, ualens uiribus, uel eiusmodi aliquid. Propriũ pro adiectiuo.

Item Appellatiuũ pro partitiuo, ut pars pro alij. Appellatiuũ pro partitiuo

alij. Saluſt. [de con. Cat.] Pars ingenium: alij corpus exercebant. Abſolutum pro comparatiuo. Terent. [Heauton. act. 1. ſcen. 1.] Paulò qui eſt homo tolerabilis, ſcortari crebrò non *uult. pro tolerabilior. Cic. [lib. 8. epiſt. 16. Attic. (Si recte ſcriptum eſt) Vt non ſolum glorioſis conſilijs utamur, ſed etiam paulò ſalubribus. Sic legi uidetur & duplicia, pro duplo plura. Colum. [lib. 1. cap. 8.] Vt ab ijs arcendus, ita cohortandus eſt ad inſtrumentorum ferramentorúmq; curam, ut duplicia quàm numerus ſeruorum exigit, refecta & repoſita cuſtodiat. Rurſus comparatiuum pro abſoluto, ut Quint. [li. 9. ca. 3.] affirmat dicens: Vtimur uulgò comparatiuis pro abſolutis, ut cũ ſe quis infirmiorẽ eſſe dixerit. Veteres Grammatici ferè omnes minus aliquid per comparatiuum, quàm per ipſum poſitiuũ aliquando ſignificari uolunt. Et Theodorus apud Græcos [lib. 4.] ueluti caſtigatius aliquid per comparatiuum aliquando ſignificari ait. Sed nonnulla ueterum Grammaticorum exempla rectè reijcit Valla. [li. 1. ca. 14. & 15.] Sicubi tamen ita per ſe poſitum comparatiuum ſignificet, maximè id in Quintiliani exemplo cũ ſimilibus uidebitur. Nam omnino diuerſum aliquid ſignificare uidetur, qui ſe infirmiorem dicit, quàm qui ſe infirmũ. Alioqui cur potius illo, quàm hoc utitur? Accedit quòd comparatiua ſic

Abſolutum ꝑ comparatiuo

Comparatiuum pro abſoluto.

poſita

posita secundam transitionem, id est, ablatiuum mensuræ recipere possunt, quales sunt aliquanto, multo, paulo, ut Teren. [Eun. act. 2. sc. 3.] Si qua est habitior paulo, pugilẽ esse aiunt. quod plané positiuum non facit. Quo minus eiusmodi comparatiuum pro ipso prorsus positiuo accipi uidetur, sed in sua ipsius ui mitigata per aliquam subauditionem subsistere, ut qui se infirmiorem dicit, quàm iusta ualetudo postulet, sub audiat: & si qua est habitior paulo, quàm medi ocris status exigit, intelligat. Leguntur tamen comparatiua tria pro suis absolutis, superior pro præcedenti, etiam si proximé præcesßit. Posterior pro sequente, etiamsi continenter succedit. Plures pro multi. Cicer. [lib. 1. offic.] Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per uim: Cúmq; illud sit proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Idem [libro 2. Offic.] Quemadmodum officia ducerentur ab honestate atq; ab omni genere uirtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. De plures pro multi paßim legas exempla. Non ignorandũ superlatiua subinde absoluté .i. sine prima sua transitiõe legi, cũ aliâs, ut [Cic. ꝑ L. Man.] Quanq̃ mihi semper frequens cõspectus uester multò iucũdißimus, hic aũt locus ad agendum amplißimus, ad dicendum ornatißimus est

Tria comparatiua pro suis absolutis.

uisus: tum uel maximé cum, quàm, intendendi ad uerbium præ se positum habent. Quippe ita nec genitiuum superlatiui debitum, nec ea in quæ eiusmodi genitiuus solui solet, admittunt, nõ enim quàm doctißimus omnium quisquam dixerit, sed absolutè quàm doctißimus. Accipitur comparatiuum pro contrario positiui cum minus, ut in illo Phorm. [act.1.scen.1.] Quàm inique comparatum est, hi qui minus habent ut semper aliquid addant ditioribus. hoc est minus pauperibus, ut Donatus interpretatur. Qua ratione illud cum similibus interpretandum uidetur: * Mare Ponticum est dulcius cæteris maribus, id est, minus amarum. Et illud Curtij [libro 6.] Mare Caspium dulcius cæteris, ingentis magnitudinis serpentes alit.

Comparatiuum pro contrario positiui cum minus.

Comparatiuum pro superlatiuo, ut idem Curt. [lib.9.] si rectè scriptum est: Duo maiora omnium nauigia summersa sunt.

Comparatiuum pro superlatiuo.

Superlatiuũ pro absoluto: sed ubi eius absolutum non est nomen. Teren. [Eunuch. act.3.sc. 2.] Quem ego * infra infimos omnes puto homines. Idem [act.1. scen.2.] Tute scis post illa quàm intimum habeam te. Superlatiuum primus, pro eius comparatiuo prior. Cicero ad Seruium: [libro decimotertio epistola 29.] Duo quidem à te nominatim rogo: Primum, ut si quid satis datum, amplius eo nomine non peti cures.

Superlatiuũ pro absoluto.

Sueto=

Suetonius Aug.* Admodum pristinum splendorem redegit, duabus lectionibus. Prima, ipsorum arbitratu, quo uir uirum legit. Secunda, suo & Agrippæ. Colum. [lib. 9. cap.14.] Ab æquinoctio primo, quòd mense Martio circa octauum Calendas Aprilis in octaua parte Arietis conficitur. Vult enim comparatiuus potius partiri duo, Superlatiuus tria uel plura.

Diuisiua pro Cardinalibus

Diuisiua siue distributiua pro Cardinalibus maximè apud Poëtas & in singulari numero, ut Virgilius:* Gurgite septeno rapidus mare summouet amnis. pro septem gurgitibus. Leguntur sic & apud Oratores, sed rarò. Plinius in 26. [cap.10.] Prodigiosa sunt quæ circa hoc tradidit Theophrastus, autor alioqui grauis: Septuageno coitu durare libidinem contactu herbæ, cuius nomen speciémq; non posuit. pro septuaginta coitibus. In plurali uerò tum apud Oratores tum Poëtas sæpe, ut Virgil. [lib.10.] Tot lecti proceres bis denis nauibus ibant. pro bis decem. Idem [lib. 1. Georg.] Per duodena regit mundi sol aureus astra. pro duodecim. Idem [lib. 2. Aen.] Bis quinos silet ille dies. pro bis quinq;. Et [lib.1. Aeneid.] Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor. pro bis decem. Cicer. (ut Seruius citat) [in lib. 2. Aen.] Binos habebam, iubeo promi utrosq;. Cum hoc postremo duo alia, duplices & gemini, in usu conueniunt:

quippe quæ nonnunquam pro duo & ambo legantur. Virgilius [libro 1. Aeneid.] Et duplices tendens ad sidera palmas. Idem [lib. 3. Aeneid.] Agnouit prolem ambiguam geminósque parentes. Sed redeamus ad diuisiuorum in plurali pro cardinalibus apud oratores usum, apud quos uidetur promiscuus. Plin. de Mausoleo [li. 36. cap. 5.] Patet ab austro & septentrione sexagenos ternos pedes. Idem alibi [lib. 26. cap. 7.] Aristolochia uel Agaricon obolis ternis ex aqua calida &c. pro obolis tribus. ut Idē in eodem: Pota tribus obolis sanguinis excreationes. Idem [lib. 10. cap. 63.] Viuunt Laconici annis denis, fœmina duodenis, cætera genera quindecim annis, aliquando uiginti, pro quindenis & uigenis. Idem [lib. 10. cap. 59.] Pauo à trimatu parit primo anno unum aut alterum ouum, sequenti quaterna. pro singula aut bina. Cardinalia pro ordinalibus, ut Cicero ad Terentiam: [epist. 5.] De naui exeuntibus nobis, Achastus cum literis præsto fuit, uno & uigesimo die. Idē de senectute: Qui uno & octogesimo anno scribens, mortuus est. In his enim, uno, pro primo positum uidetur, feréq; ita legas, non aliter. Ordinalia pro Cardinalibus. Iuuen. [Sat. 1.] Sexta ceruice feratur, pro sex ceruicibus. Item pro his, quibus multiplicatio significatur. Plinius in decimooctauo [capite 16.] Nascitur qualicunq; solo

Cardinalia p̄ ordinalibus.

Ordinalia p̄ cardinalibus.

ſolo cum centeſimo grano, ipſúmque pro letamine eſt. pro centuplo grano. Varro de re Ruſtica [lib. 1. cap. 44.] *Vt ex eodem ſemine alicubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo, ut in* Hetruria *& locis aliquot in* Italia. In Sybaritana *dicunt etiam cum centeſimo redire ſolitum.* Accipitur *& certus numerus pro incerto, ut* Virg. [lib. 1. Aeneid.] O térq; quatérq; beati. Et Cicero: * Sexcenta poſſum decreta proferre. Et Terent. [Phor. act. 4. ſc. 3.] Sexcentas proinde* potius ſcribito. Ibi enim ter *& quater, pro ſæpe.* In his, *ſexcenta & ſexcentas, pro multa & multas.* Item partitiuum pro *numerali, aliâs cardinali.* Cic. pro Cluent. Qui *cum ad* unum iam & alterum diem deſiderare*tur.* Totum *enim illud, unum & alterum, pro duobus eſt accipiendum.* Idem Attic. [lib. 7.] *epiſt. 8.*] Quid enim eſt tantum in uno aut altero die. *pro uno aut duobus.* Aliâs ordinali. Idem Philipp. *ſecunda,* Proximo, *altero, tertio, denique reliquis conſecutis diebus. pro ſecundo, tertio.* Cicer. Corni. [lib. 12. epiſt. 25.] Liberalibus literis accepi tuas, quas mihi Cornificius *altero & uigeſimo die, ut dicebat, reddidit.* Liuius ab urb. cond. [lib. 3.] Anno trigeſimo altero, quàm Roma condita erat. Idem de bel. Macedon. [lib. 1.] Altera die quàm à Brunduſio ſoluit. Et *uterque, loco collectiui.* Saluſt. [de con.

Certus numerus pro incerto.

Partitiuum pro numerali.

Cat.

Vterq; loco collectiui. Cat.] Vterq; graues inimicitias cum illo exerce bant. Horat. [lib.1. sat.5.] Mißi magnis de reb. uterq; legati. Quidam pro aliquis. Quidam pro aliquis, ut in Georgi cis [lib.1.] Et quidam seros hyberni ad luminis ignes Peruigilat. Cic. de Orat. [ad Brut.] Habes enim meum de Oratore Brute iudiciũ, quod aut sequere, si probaueris: aut tuo stabis, si aliud quoddã est tuum. Aliquis pro quidam. Contrà, aliquis pro quidam, ut in illo Ouid. [lib.4. Metam.] Atq; aliquis de dijs non tristibus optat, Sic fieri turpis. Aliquis pro quiuis uel qui cunq;. Item aliquis pro quiuis uel quicunq;, Terent. [And. act. 5. sc.3.] Olim isthuc, olim cum ita animum induxti tuum, hoc quod cuperes aliquo pacto efficiendum tibi. pro quouis uel quocũq; pacto. Post negationẽ uerò sæpe transit in uniuersale, Laurentio [in lib. 2. cap. 8. Dial. & in Raudens.] autore: ut, non uidit me aliquis, pro nemo me uidit. Quis pro aliquis. Item quis pro aliquis, ídque honesté, ubi has particulas, si, siue, nisi, quo pro quanto, cum, & aliud, statim sequitur, ut: Si quis, Siue quis, Nisi quis, Quo quis, Cum quis, Aliud quid, quorum exempla paßim inuenias. Quisquã pro quiuis. Et quisquam pro quiuis. Cicero ad Terentiam: [ep.7.] Nisi uos fortiores cognoscerem, quàm quenquam uirum. pro quemuis uirum. Quisquam pro collectiuo. Et pro collectiuo, ut Plautus [Amphit. act. 5. scen. 1.] Neque nostrum quisquam sensimus cum peperit. Quicunq; pro quiuis. Et quicunq; pro quiuis. Quintilianus: [libro

bro 9. cap.3.] Ne ego illud quidem Aposiopesin semper uoco, in quo res quæcunque relinquitur intelligenda. Item qui, pro quis. Virgilius:* Qui nunc concursus ad amnem? Cicer. [pro Flacc.] Qui concursus ex oppidis finitimis undique? Liuius: [lib.4. dec.1.] Qui finis erit discordiarum? Item qui pro qualis, uel quantus. Sicut Is pro talis uel tantus. Ouid. [in epist: Pen.] Hæc ego dum stulté meditor, quæ uestra libido est. Et quo pro quanto, præsertim ante comparatiua. Terentius: [And. act. 2. sce.4.] Memini uidere, quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis, quàm illum amplecti maluit. Item nemo pro ullus. Cicer. Dolabellæ: [libro. 9. epist. 14. fam.] Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modò non inuidiosa, sed etiam popularis esset. Item, eius generis, pro eiusmodi. Plin. nat. hist. [libro 9. cap.51.] Purpuræ, murices, eius denique generis ueré pariunt. Præterea quæ patronymicorum græcorum forma ducuntur à locis, pro possessiuis usurpata subinde legas. Virgil. [Eclog.4.] Sicelides Musæ paulò maiora canamus. Ouidi. [in episto. Sapp.] Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse uolo. Hesternus & Crastinus, pro pridianus, & postridianus, ut Virgilius: [lib. primo Georg.] Nunquam te crastina fallet hora. pro postridiana. Terent. [Eun. act.5.

Qui pro quis

Nemo pro ullus.

Eius generis pro eiusmodi.

Hesternus & crastinus pro pridianus & postridianus.

act. 5. scena. 4.] Cum* iure hesterno panem atrum uorent.

SPECIERVM PRONOMINIS ENALLAGE.

Ex pronominibus demonstratiuum sæpe apud autores accipitur pro poſſeßiuo. Plautus: (Pſeu. act. 1. ſcen. 1.] Duorum labori hominum parſiſſem libens, mei te rogandi, & tui reſpondendi mihi. Rectum enim eſſet, meo & tuo. Terent. [And. act. 4. ſcena. 5.] Cuium puerum hic apposuiſti? Veſtri: cuius* ueſtri Pamphili. Vbi ueſtri pro poſſeßiuo uel certé primitiuo ueſtrum poſitum eſt, ſicuti noſtri, pro primitiuo noſtrum. Reciprocum primitiuum pro relatiuo ut in illo Terent. [And. act. 4. ſcen. 2.] Orat te,* ſi ſe ames, hera, ut ad ſe uenias. Iuſtin. [lib. 9.] Trecentos exules, iudices rectoréſq; ciuitati dedit, apud quos cum potentißimi quique rei eius ipſius criminis poſtularentur, quòd per iniuriam ſe in exilium exegiſſent. In priori enim exemplo uidetur illud, ſe, in, ſi ſe amas, pro eam uel ipſam poſitum, ut ex ſententia rité ordinata magis apparet, ſic: Hera te orat, ut ad ſe uenias, ſi ſe ames. pro ſi eam amas. Sic enim locutus uidetur Cæſar in Commen. [lib. 1. bell. Gal.] Ei legationi Ariouiſtus reſpondit: Si quid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum uenturum fuiſſe, Si quid ille à ſe uelit, illum ad ſe uenire oportere. In

Reciprocum primitiuum pro relatiuo.

tere. In Iustini exemplo, se, pro eos uel ipsos, ut inspicienti liquet. In illo quoq; Mart. de Pantagatho [libro 6.] Sis licet inde sibi tellus placata leuisq;, Artificis leuior non potes esse manu. quis non uidet sibi pro illi positum? Cæterum in prioribus exemplis æstimetur, num utroq; modo loqui liceat. Reciprocum possessiuum pro relatiuis tertiæ personæ. Cicer. ad Octauium: Cur aut ingratus crudeliter aut immemor beneficij sui scelerate circumscribis Senatum? pro beneficij eius. Terent. in Hecyra [act.4. scen. 4.] Mater quod suasit sua, adolescens mulier fecit, mirandum ne id est? Et Virgilius [libro 4. Aeneid.] Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi, Namq; suam, patria antiqua cinis ater habebat. In quibus, suam & sua, pro eius Donatus notat. Et Ouidius in Heroid. [epist. 1.] Respice Laërten ut iam sua lumina condas. pro eius lumina. Et Plin. [li.17.cap.22.] Vinea si macruerit, sarmenta sua comburito. Hæc tamē ut Solœcophane uitanda censeo. Rursus possessiuum pro primitiuo. Terent. [Heaut. act.2. scen.3.] Vt appareret facile desiderio id fieri tuo. ubi tui, potius poscit sensus & Donatus ita censet. Idem. *Nam negligentia tua atq; odio id fecit tuo. pro tui.

Reciprocum possessiuum pro relatiuo.

Possessiuum pro primitiuo

VERBI SPECIERVM ENALLAGE.

In

IN uerbi etiam speciebus non minor permutatio est. Vbi & actiuum pro neutro legas absoluto, siue ipso paßiuo. Virgilius [libro primo Georgic.] Sistunt amnes, terræq; dehiscunt. Sistunt enim pro stant accipitur, uel sistuntur. Plinius: Vbi cum alijs iunxere, gignunt. Varro ex Gel. [lib.18.cap.12.] In priori uerbo graues Prosodiæ, quæ fuere, manent, reliquæ mutant. Sic & Cornel. Cels. de temp. [li.2.c.1.] Peßimæ quæ uariant maximè. Virg. [li.2. Aen.] Et iam nox humida cœlo Præcipitat. Idē [li.1. Georg.] Ingeminant austri & densißimus imber. Teren. [Heau. act.4.sc.1.] Atq; illa si iam lauerit, mihi nuncia. Idem [Adelph. act.2.sc.1.] Quæ res tibi uortat malè. Pro mutantur, uariantur, præcipitatur, ingeminantur, lota sit, & uertatur: nisi in ambobus his generibus, eclipsim potius pronominis, se, dicas: ut sit, præcipitat se, ingeminant se, lauerit se, uortat se, præterea sistunt se, iunxere se. Quam interpretationem secutus est Seruius [in lib.2. Aeneid. Virg.] dicens: Accingunt operi, pro accingunt se operi. Quo modo uerbum, probo, sæpe legitur. Ad eundem modum & nubo, usurpatum uidetur, quod quæ tradita marito erat, se nubebat, hoc est, uelabat. Quam rationem non aduertentes, paßiuum putarunt, cum tamen non recipiat pro agente ablatiuū cum præpositione, sed datiuum

ὠόρία

περιπτωτικῶς. Terentius [And.act.3.scen.3.] Ex te auditum qui aiebant filiam meam nubere tuo gnato. In illis quoque, perfregit brachium, uulnerauit pedem, per actiuum intelligitur paßiuum, nempe perfractum est ei brachium, uulneratus est ei pes. Et absolutum pro actiuo, ut [Virg.Eclog.2.] Ardebat Alexim. pro amabat, ut Priscianus interpretatur. Idem in Bucol. [Ecl.8.] Et mutata suos requierunt flumina cursus. Idem in 7. Diuus inaccessos ubi solis filia lucos Aßiduo resonat cantu. Teren. [Eu.act.3.sc.5.] Vnà* omnes foras se proruunt. Vbi ait Donatus, neutrale pro actiuo positum. Virg. [lib. 1. Aen.] Et spumas salis ære ruebant. hoc tamen fit per detractionem præpositionis, é, ab eruebant. Paßiuum pro actiuo, sed rarius. Virgilius [lib. 11. Aen.] Bellantur Amazones armis. Idem: Expoliantur eos, & corpora nuda relinquunt. pro expoliant. Idem [lib.2. Geor.] Et placitam paci nutritor oliuam, pro nutrito. Sed hæc antiquitatem redolent, apud quam uidetur singulis actiuis datum esse suum medium, siue commune, sicut apud Græcos. Diuersum omnino ab his genus est, cum nomen & uerbum pro uerbo περιφραστικῶς ponuntur, frequentißimum apud autores genus, maxime tamen à nobis hîc propter constructionis rationem notatum, quæ minus claré nonnunquam sub hoc ge-

Absolutum pro actiuo.

Paßiuum pro actiuo.

Nomen & uerbum pro uerbo.

nere perspicitur. Transit enim aliquando in infinitos uerborum modos, ut in illis. Cic. pro lege Manil. Equitibus Romanis honestissimis uiris afferūtur quotidie literæ, quorū magnæ &c. Bythiniæ, quæ nunc uestra prouincia est, uicos exustos esse complures. Idem [lib.10. epist. 16. Att.] Misit enim puerum, se ad me uenire. Plin. 20. [cap.5.] Varro, quæ sale aut aceto pisa est arefactáq; uermiculis, non infestari autor est. Et Ouid. [lib.1. Metam.] Signa dedi uenisse deum. Et Cic. ad Varronem [lib. 9. epist.1.] In spem uenio aduentum tuum appropinquare. In his, afferuntur literæ, pro nunciatur: Misit puerum, pro nunciauit: Autor est, pro affirmat: Signa dedi, pro significaui: In spem uenio, pro spero posita sunt. Talia sunt, Do fidem, pro iuro uel confirmo, ut Donatus [in Eun. sc.ult.] exponit. Stat sententia [Teren. Eun. act.2.sc.1.] pro placet. Et metum capio, pro metuo. Suet. [in Iulio] Quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu. Huc reducantur & illa, compertum habeo, exploratum habeo, pro comperi & exploraui. Huc etiam referas & honestas huiusmodi periphrases, oratum uelim, pro orem, Missum facio, effectum dabo. Terent. [Eunuch. act.5.sc.2.] Missa isthæc faciamus. Idem: [Eun. act.2.sc.1.] Quin iam effectum dabo, pro mittamus & efficiam. In omnibus tamen his ui-

detur

detur perfectius & absolutius aliquid per participia significari. Aliquando in infinitas particulas cum uerbis subiunctis, ut in talibus. Teren. [Prolo. And.] Nunc quam rem uitio dent, quæso animum aduertite. Vbi animum aduertite, pro aduertite uel intelligite est positum, ne duo accusatiui ad uerbum, aduertite, cui unus satisfacit, referantur. Est enim sensus infinitæ particulæ semper loco accusatiui. Virg. [lib. 1. Geo.] Deniq; quid uesper serus uehat unde serenus &c. Sol tibi signa dabit. Subijciunt sibi eiusmodi periphrases & alias particulas, ut in talibus. Cic. Att. [lib. 13. epist. 6.] Et alicui des negocium, qui quærat. Idem: [lib. 13. epist. 3.] Si puero negotium dederis ut quærat. Est quando aduerbium & uerbum pro uerbo sumuntur. Terē. [Phor. act. 1. sce. 3.] Alijs quia desit quod ament, ægré est: tibi quia superest, dolet. Est etiãubi interiectio ex duabus partibus pro uerbo accipitur, ut in illo Cic. [lib. 14. epist. 1. fa.] Me miserum, te ista uirtute, fide, probitate, in tantas ærumnas propter me incidisse, pro miseret, uel uehementer dolet. Et in illo eiusdem: O tempora fore* cum dubitet Curtius consulatum petere.

SPECIERVM PARTICIPII ENALLAGE.

NEc minus inter participij species Enallagen reperias. Nam & actiuum ponitur pro paßiuo, ut Iust. Ille plaustrum quo uehenti regnum delatum fuerat, in tempo Iouis positum maiestati consecrauit regiæ. Sic & Gell. Qui ornarent * introire solitos equo uehentes. pro uecto & uectos. Sic uector pro uecto ponitur. Sic etiam dicitur, Euidens, pro eo quod aperte uidetur & intelligitur. Et, indulgentior & indulgentißimus, pro eo nonnunquam cui indulgetur. Et, horrentia Martis arma, pro horrenda positum uidetur.

Paßiua pro actiuis.

Et contrà paßiua pro actiuis, sicut quæ à Laurentio notantur, circumspectus, consideratus, inconsideratus, disertus, cautus, tutus, argutus, falsus, contentus, tacitus, profusus, scitus, discretus, complacitus, inueteratus, iuratus, ex cretus, exoletus, adultus, defectus, ignotus. Non tamen hæc omnia ubiq; sumuntur actiue, sed quædam interdum paßiue. Cautus, ut Cic. [pro A. Cecin.] Quo res mulieri esset cautior. Tutus, ut tutus à periculo. Falsus. Teren.* Falsus es animo. Tacitus. Virg. [lib. 6.] Quis te magne Cato tacitum aut te Cosse relinquat? Ignotus uel frequentius. Virg. [lib. 1. Aene.] Ipse ignotus egens. Ponitur paßiuum participium pro actiuo

Paßiuum participium pro actiuo.

pro actiuo. In Synecdoche non raro. Horat. [li. 1. epist. 1.] Leuo suspensi loculos tabulámq;* sinistro. Virg. [lib. 1. Aen.] Tum breuiter Dido uultum demissa profatur. Ouid. [li. 2. amo. eleg. 4.] Siue aliqua est oculos in me deiecta modestos. Non incommodè tamen talia per ablatiuum in consequentia interpretere, Suspensis loculis, demisso uultu, deiectis oculis, præsertim cũ pro aoristis siue indefinitis Græcorum actiuis posita uideantur, quæ per eiusmodi ablatiuum commodißimè interpretamur.

IN ADVERBIIS ENALLAGE.

De alterius pro altera præpositionum abusu, quas alioqui in species distinguere non satis fuit promtum, dictum suprà est. Quare nunc de aduerbijs dicendum, in quibus nonnunquam notatur Enallage, ut cum ea quæ loci, pro ijs quæ temporis sunt, ponuntur. Quod tamen contrà non fit, ut Prisc. [lib. 15.] monet. Teren. [Eunu. act. 2. sc. 2.] Hîc ego illum contemsi præ me. Idem [ead. sc.] Ibi homo cœpit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me. In quibus exemplis, hîc & ibi, pro tunc accipit Comicus. Quinetiam appellatio ipsa loci pro tempore sæpe legitur. Terent. [And. act. 2. scen. 2.] Atque alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

pro eo quod est, narrandi tempus. Ad quem modum etiam numeri appellationem pro rhythmo ponit Virgilius [Eclog. 9.] Numeros memini, si uerba tenerem.

Aduerbia qualitatis pro aduerbijs intendendi.

Aduerbia qualitatis pro aduerbijs intendendi, ut bene, male, peius. pro ualde & ualdius. Cic. [lib. 2. de Orat.] Habetis orationem bene longam. Teren. [Eun. act. 4. sc. 7.] Malè mulctabo illam. Cic. [in Bruto.] Addebat etiam id quod ad rem pertinere credebat, scriptores illos malè mulctatos. Idem [Phil. 11.] Quo neminem ueterani peius oderunt. Ouidius [in epist. Did.] Quæstáq; peius amo.*

Non duntaxat pro non solum.

Ponitur & non duntaxat, pro non solum. Liuius in 46. Nec animum nobis duntaxat fidelem ac bonum præstitit, sed omnibus interfuit bellis, quæ geßistis. Paulus [libro 26. tit. 7. Pan.] Cum tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus præponatur. Rarus est tamen hic abusus.

Nequicquam pro non.

Qua pro quacunq;.

Et nequicquam pro non. Catull. Rufe mihi frustra nequicquã credite amice. Persius [Sat. 2.] Nequicquam fundo suspiret nummus in imo. Præterea, qua pro quacunq;. Ouid. [lib. 1. Metam.] Nunc mihi qua totum Nereus circunsonat orbem, Perdendum est mortale genus. Idem: [Eod. lib.] Qua terra patet, fera regnat Erynnis. Idem [in epist. Deian.] Qua latam Nereus cœrulus ambit humũ.*

Interim pro aliquando.

Et, interim, pro aliquando

do. Quint. [li.1.c.10.] Interim excusantur hæc uitia. Item, olim, pro aliquando. Hora. [Sat.1.] Vt pueris olim dant crustula blandi Doctores. Item, tanquam, pro sicut. Teren. [Eun.act.2.sc. 2.] Tanquam Philosophorum habent ex ipsis disciplinæ uocabula. Plinius 9. [cap. 36.] Vt tanquam in uictu frugum noscitur ratio, sic omnes, qui istis gaudent, præmia uitæ suæ calleant. Item, ne, pro non. Cic. [lib.16.epist.7.Att.] Ne sim saluus, si aliter scribo ac sentio. Idem [lib. 12.epist.10.Att.] Misi ad te exemplum, ut si minus placeret, ne remitteres. Aduerbium temporis pro aduerbio solitudinis. Modò pro tantum. Terent. [Eunu. act. 2. sc.3.] Scis te pollicitum, Chærea aliquid inueni modò quod ames. Quint. [lib. 1. cap. 7.] Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles & Theodectes, uerba modò & nomina & coniunctiones tradiderunt. Adeò, tam perinde, & ita pro ualde. Teren. [Eunu.act.1. sc.2.] Iuuenem* adeò nobilem. Plin. [lib.35.ca. 18.] A pluuijs serenitatem non perinde certam. Quint. [lib. 1. cap. 10.] Videlicet ut corpora infantium nec casus, quo in terram toties deferuntur, tam grauiter affligit, nec illa per manus & genua reptatio. Ita uerò præsertim post negationem. Cic. [Phil.1.] Nec ita multo post edictum Bruti affertur & Caßij. Quintil. Nec res est ita magni temporis ac laboris.

Olim pro aliquando.

Tanquam pro sicut.

Ne pro non.

Aduerbium temporis pro aduerbio solitudinis.

Adeò, tam, perinde, & ita pro ualde.

IN CONIVNCTIONIBVS ENALLAGE.

IN coniunctionibus uerò uel frequentius Enallagen uideas. Statim in ipsis copulatiuis. Que pro etiam, ut Plin. 35. [cap. 12.] Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodiéq; materiæ nomen in urbe retinet. Et, quoq;, pro etiam, uel ut Seruius exponit [in lib. 7. Aen.] pro similiter, ut: Tu quoq; littoribus nostris Aeneia nutrix. Item copulatiua pro disiunctiua, ut Virg. [lib. 2. Aen.] Aut pelago Danaum insidias suspectáq; dona Præcipitare iubet, subiectísque urere flammis. pro aut subiectis. Et disiunctiua pro copulatiua, ut, uel, pro etiam. Terentius. * Vel rex mihi semper agebat gratias. Rursus copulatiuæ pro rationis redditiuis. Virg. [Eclog. 9.] Audieras & fama fuit. pro nam uel quia fama fuit. Similiter in illo Quint. [lib. 1. cap. 1.] Has primum audiet puer, harum uerba effingere imitando conabitur, Et natura tenacißimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus. pro nã uel quia. Et in illo Ouidij: * Nil aliud Vestam quàm puram intellige flammam, Natáq; de flamma corpora nulla uides. pro nata enim. Nec aliter in illo Cice. [lib. 1. Offic.] Non solum nobis nati sumus, ortúsq; nostri partem sibi uendicat patria. pro ortus enim. Copulatiuæ pro electiuis, ut atq; & ac pro quàm. Teren. [Eun. act. 1. sc. 2.]

Que pro etiam.

Quoq; pro similiter.

Copulatiua pro disiunctiua.

Disiunctiua pro copulatiua.

Copulatiuæ pro rationis redditiuis.

Copulatiuæ pro electiuis.

Néue aliorsum atq; ego feci acceperit. Sed de ijs in constructione plenius.

Neq;, pro & non, diuisis. Teren. in Phormione. [act. 1. sc. 2.] Neque eum æquum ait facere. Sed hoc Græcum est. Item, at, pro saltem. Cic. pro Lucio Flacco: Si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet.

Neq; pro & non.

At pro saltem

Nam, pro autem uel simili discretiua, ut Cic. in Salust. Nam quòd in uxorem & filiam meam tam petulanter inuectus es. Non ignorandum hanc & ingressum tantum rei aliquando significare, ut Terent. [And. act. 1. sc. 1.] Eo pacto & gnati uitam & consilium meum cognosces, & quid facere in hac re te uelim. Nam is postquam excessit ex ephebis &c. Nisi, pro quàm. Salust. [de bel. Iug.] Nihil aliud se fatigando, nisi odiũ quærere. Teren. [And. act. 2. sce. 1.] Nihil aliud nisi Philomenã uolo. Cic. [lib. 16. ep. 1.] Cura igitur nihil aliud nisi ut ualeas. Idẽ [de senect.] Quid est aliud Gigantũ more bellare cum dijs, nisi naturæ repugnare? Rectum enim in his omnibus uidetur, si quam, loco nisi, ponas. Non est admonitu alienum. & quod, ut non, pro nisi uel quin, honesta uarietate accipitur. Cic. pro lege Manil. Non enim possunt una in ciuitate multi rem atq; fortunas amittere, ut non plures secum in eandem trahant calamitatem.

Nam pro autem.

Nisi pro quàm.

Vt non pro nisi uel quin.

n pro siue. Videtur quoq; &, an, pro siue accipi in illo Liuij in primo: Eò ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an seruus esset, auida rerum nouarum perfugit. nisi in genitiuo totum illud, liber an seruus esset, sub appellatiuo illo, discrimine, intelligas. Item una illa, siue, pro duabus si & uel. Cic. Att. [lib. 16. epist. 3.] Et Hillarum suum libertum uenisse à Sexto cũ literis ad consules, siue quo alio nomine sint, pro, uel si quo alio nomine sint. Vt, quoq; pro quod Prisciano [lib. 16.] autore legitur in tali figura, qualis est Terentij Phor. [act. 2. sc. 1.] Si est ô patrue, culpã ut Antipho in se admiserit* non caussam dico. Et Plin. 18. [cap. 1.] Neque est ut putemus ignorari ea ab animalibus, quæ quidem quæ præparauerint contra serpentium dimicationem, quæ post prælium ad medendum excogitauerint, indicauimus. Sunt & aliæ rationes, sed ad tropon potius referendæ, quales sunt, cum tristis, pro similis tristi accipitur, ut Teren. [Eu. act. 3. sc. 5.] Accipio tristis terram intuens modeste. Et turbatus, pro simili turbato. Virg. [lib. 2. Aen.] Namq; ut conspectu in medio turbatus inermis. Simile est cum, dicimus & loquimur, pro dicere & loqui solemus, usurpamus. Et cum speciali utimur pro generali, ut Ouid. [lib. 1. Metam.] Iuppiter è terra genitam mentitur. ubi mentitur, pro dicit positum est.

Siue pro si et uel.

Vt pro quòd.

Idem

Idem [eod. lib.] Iußit & extendi campos, subsidere ualles. ubi extendi & subsidere pro fieri posita sunt. Hæc autem Enallages ratio est Græcis familiarißima, & interpretes ipsius ignaros nonnunquã torquet. Præterea cum factum pro dicto ponitur, ut Virg. in Buc. [Eclo. 6.] Pasiphaën niuei solatur amore iuuenci. pro canit, ut sic dicã, solatam, uel adiungit solatam. Rursum: [eod. loco] Tum Phaëtontiada musco circundat amaræ Corticis, atq; solo proceras erigit alnos. Vbi circundat & erigit, pro canit circundatas & erectas. Non aliena ab his sunt talia, quali Plinius utitur. [lib. 33. cap. 6.] Tertium molibdenam in plumbo dicendam. Factum pro dicto.

Intelligitur enim in tractatione uel capite de plumbo.

Thomæ

THOMAE LINACRI ANGLI, DE EMENDATA STRVCTVRA LIBER III. Siue de constructione Nominis & Pronominis.



AC DE ENALLAGE *tum partium ipsarum generalium, tum quæ sub his comprehensa sunt, generum, hactenus dictum esto. Deinceps de ipsa partium inter se emendata structura, quæ etiam constructio dicitur, agamus. Est igitur constructio debita partium orationis inter se compositio, sicuti recta Grammatices ratio exigit. Porrò recta Grammatices ratio ea est, qua ueterum probatißimi plurimū cum loquendo tum scribendo sunt usi. Hanc, cum admodum sit uaria, diuisisse in genera, sicuti in alijs artibus fieri solet, ut docendi cōpendio plurimū conducet, ita fateor uereri me ne, à proprio artis fine nonnullos retardet, dū huc auocati, curiosius ista q̄ ex usu sit, disquirēt: cuiusmodi uitio utilißimas saluberrimásque artes ad garrulitatē uerbáq; propemodū redisse scimus. Sed cum mea culpa non erit, si quod*

Constructio quid.

ago,

ago, peruersa ingenia in aliam partem, atq; ego distinaui, rapiant, & simul sperem uertendum mihi uitio non esse, si aliarum artium scriptores imitatus, breuitate dilucidita téq; (quam apta generum distinctio maximé profecto præstat) felicioribus ingenijs consulam: tentabo confusam constructionis laxitatem in certa genera diducere. Quod tamen si minus apté præstitero, quisquis ad publicam utilitatem id corriget, huic tantum aberit, ut ueluti correptori succenseam, ut etiam tanquam adiutori debere me sim professurus. Sunt ergo constructionis duo prima genera: Alterum, cui nec deest quippiam, nec redundat, nec loco suo abest, nec immutatur, quod non immeritò Iustum appelletur. Alterum contrà, cui deest aliquid, uel redundat, uel loco suo abest, uel immutatur, non tamen sine summorum in Romana lingua uirorum exemplo, quod figuratum dici potest. Horum quoniam utrunque tractare seorsum statuimus, prius in duplex rursus genus diducimus: Alterum, quod ex personæ ratione totum pendet, quam ab argumento prosopicen appelles: Alterum, quod personæ discrimen non agnoscit. Personam hoc loco generaliter appello, quicquid rationem exhibet alicuius ut subsistentis, uel uocati, uel agentis, uel patientis, uel cui accedit deceditue quippiam, uel caussæ, uel loci,

Duo prima genera constructionis.

Persona quid.

uel tem-

uel temporis, uel instrumenti, uel deniq; quod casus alicuius propriam rationem præfert: uocetúrq; (si non displicet) hæc, constructionis persona: sicuti altera quæ ab hac est diuersa, sermonis: nempe quæ loquitur, ad quam sermo dirigitur, de qua sermo habetur. Proximum genus, quod personæ differentiam non agnoscit rursus in duas scinditur species: Vnam quæ non declinata Syncategoremata recipit, unde & Syncategorematicen non incommodè dixeris. Voco generatim Syncategoremata, quæ nec solidum quippiam significant, nec in oratione nisi cum alijs iuncta consistunt. Quod genus sunt, non declinatæ partes omnes, & ex declinatis interrogatiua, & partitiua, & particularia, & uniuersalia nomina, & quædam etiam pronomina: Alteram, quæ in uocibus duntaxat pro linguæ Romanæ proprietate iungendis, tota uersatur. Hæc in delectu & ordine tota consistit. Delectu, ut cum superlatiuis, quisque, potius subijcis quàm omnis. Ordine, cum dicis: Quam urbem statuo: potius quàm, urbem quam statuo: uidetúrq; hæc reliquorum generum communis. Quinetiam cum figurato interdum se communicare. Itaq; nec certo aliquo loco à nobis, sed sparsim pro ut occasio eius erit, tractabitur. Vocetur autem (si placet) latina, quoniam latinæ linguæ sit propria. Omnibus his generibus illud pri-

lud primum commune est, quod in uocibus, non in rebus eorum congruentia spectatur. Neque enim si indicata muliere dixeris, hic me cædit, incongrua statim partium constructio arguitur, nisi mulieris uocabulum cum pronomine subaudias, qua ratione tectum solœcismum committi nemo neget. Si enim uiri uocabulum subaudias, ad constructionis certé congruentiam nihil desideratur. Rebus tamen uocabula parum recté reddideris. Verum id genus in barbarismum potius cadit. Similis adhibenda & in talibus discretio est: Si quis ad unum loquens, dicat uenite: aut ad multos discede. Nam si in priore subaudiat, tu: in posteriore, uos, Solœcismum faciat. Sin illic, uos, hîc, tu, non Solœcismum, sed Barbarismum. Commune quoque & illud est, quod in duabus minimum uocibus, eorum natura spectatur, id quod ex uocabuli ipsius tum ui, tum definitione facilé intelligitur, nec feré plané pluribus, nisi Syncategorema uel numerale sit, quod tertio loco adijcitur, ut: Centum niuei iuuenci, Nullus uir bonus, Quidam homo diues, Omnes boni ciues, Hic uir prudens, Ad Oceanum usque. Cæterum ex duabus his uocibus, quibus minimis constare constructionem diximus, in prosopicis, altera subiecti, & tanquam basis rationem sustinet, ueluti propria nomina & appellatiua:

tiua: altera, eius quod huic semper innititur, ac de ea dicitur, eóq; sine ea consistere in oratione non potest: ut adiectiua, & quæ adiectiuorum naturam imitantur, & uerba, & quædam Syncategoremata. Sed quam ex personæ ratione pendere diximus, quæ scilicet latißimé patet, & ideo cæteras tractanda naturaliter præuertitur, ea duplex est: Aut enim uoces ex quibus constat, ad eandem personam referuntur, eandémque repræsentant, aut diuersas. Priorem, quoniam in eadem persona subsistitur, in transitiuam: siue si Græcè mauis, ταυτοπροσωπικὴν ἢ ἀμετάβατον appelles. Posteriorem, quoniam ab una in alteram fit transitus, transitiuam, siue Græcè μεταβατικήν. Harum sicuti nomina ipsa, sic naturæ proprietates diuersæ sunt. Quippe quib. unica persona subest, hæ in ijs constructionis accidentibus, quæ inter se habent cõmunia, necesse est concordent, ut in progressu ꝑ exempla patebit. Voco constructionis accidẽtia generatim, casum, genus, numerũ, personam, modum, & tempus: quòd in his ferè omnis legitima constructio uersetur. Contrà, quæ ad diuersas referuntur, Apollonio autore, sub diuersis accidentibus coniungi partim possunt, partim omnino debent. Quippe qui casum & personam adeò recurrere censet, ut ubi eadem sit persona idem sit omnino ponendus & casus.

Apollonius.

Con-

Contráque ubi idem ſit caſus, eadem ſubſit & perſona. Sed huic perdifficilem inijcit ſcrupum accuſatiuus, ſi quando infinitum uerbum tum præcedit, tum ſequitur, ut Chremetem percuſſiſſe Demeam, ubi diuerſas eſſe perſonas conſtat, nempe agentis & patientis, ſub eodem tamen caſu. Sed facilè fortaſſe tanto uiro, cui etiam ſubſcribat Theodorus Gaza, patrocinabitur, qui librum de partibus, quem huic neceſſariò præpoſuimus, accuratè legerit. Nam Apollonius fortaſſe ſicuti hi qui ſextum & ſeptimum caſum ſub una uoce comprehenſos uolunt, ſic geminum uult eſſe accuſatiuum. Verum nos certè à ſcrupis id genus, quantumlibet blandiantur deinceps conſultò abſtinebimus, cum ſint ad oſtentationem, quàm ad deſtinatum nobis ſcopum magis accommodati. Illæ igitur elocutiones, Cui nunc cognomen Iulo: [Vir. li. 1. Ae.] &, Cui Africano fuit cognomen. [Saluſt. de bell. Iugur.] &, Fauſtulo fuiſſe nomen ferunt. [Liuius. lib. 1. ab urb.] cum ſimilibus, niſi eas contra rationem autorum uſus aſſerat, Solœcophanes ſint: cum datiuus ille propriorum, & nominatiuus, cognomen, uel nomen, eandem perſonam repræſentent. Itaq; etiam & à rectis illis arguuntur, cui Iulus, & cui Africanus fuit cognomen. Cuiuſmodi elocutionum etiam plurimus eſt apud autores uſus. Cicer. [pro Cecin.] Argentarius ſe-

xtus Clodius, cui nomen Phormio. Quintilian. [*libro 6.cap.2.*] *Notum est quid Gliconi acciderit, cui Spuridion fuit cognomen. Terentius* [*in Prolog. Hec.*] *Hecyra est huic nomen fabulæ. Sed de transitiua & intransitiua mox latius, si prius quæ mihi ante omnem de his disputationem præsumenda uidentur, apposuero. Ea igitur sunt huiusmodi. Verbum definiti numeri & personæ consistere in oratione sine nominatiuo à fronte non potest. Nec rursus nominatiuus aut solus, aut à uerbo omnino absolutus. Nec adiectiuum nomen, aut quod adiectiuorum naturam construendo imitatur, sine proprio uel appellatiuo, cui innitatur. Nec prouocabulum, Qui, relatiuúmue pronomen, sine aliquo quod à priore sensu repetat, præterea sine uerbo suo, eóq; à uerbo eius quod repetit planè diuerso. Nec rursus duo uerba in eodem sensu, quorum scilicet neutrũ sit infiniti modi, sine nomine uel aduerbio infinito, ut teneo quid erret, præ gaudio ubi sim nescio. Nam si uel coniunctio uel similitudinis aduerbium expressum suppressúmue interueniat, duo omnino sensus potestate & uiribus sunt, Dictat & cantat, Viuit sicut scribit. Nec præpositio extra compositionem, citra nominis uel pronominis casum. Vocatiuus subijcere sibi uerbũ, sicuti nominatiuus nõ potest, propterea quòd agentis uel patiẽtis uel subsi-*

subsistentis repræsentari personam nequit. Iam quod omni intransitiuæ commune esse diximus, age per singulas examinemus: additis etiam si qua uel quorundam putemus communia, uel singularum propria. Mox de transitiuis acturi, Ergo quatuor non amplius modi sunt, quibus intransitiuè construi quæpiam obseruantur. Aut enim uerbum cum eo struitur, cui innititur, quæ prima intransitiua idcirco iure appelletur, quoniam omnis quantumlibet pleni sermonis, sit ueluti fundamentum. Aut Adiectiuũ cum proprio uel appellatiuo, de quo dicitur. Quæ secunda. Aut prouocabulum, Qui, relatiuúmue pronomen cum eo quod à superiore repetitum, secum repræsentant. Quæ tertia. Aut quod apponitur, cum eo cui apponitur. Quæ quarta. Veteres hanc Epexegesin uocant, Neoterici Appositionem. Sed cum publice receptæ appositiones participium, Ens, quod aliàs in usu non est, omnino subauditum habeant, non alias non dissimiles eis elocutiones, in quibus tamen adhibitum participium est, Grammaticorum pace, huc reduximus. Cuiusmodi sunt hæ: Cicero, designatus consul. Scipio dictus Africanus. Etiam in quibus uerbum inter ea, quæ sub eandem cadunt personam, est interpositum: ut, Cæsar erat dictator, Octauius dicebatur Augustus. Sed in his propria uel appellatiua tertium locum occupant.

Prima intransitiua,

Secunda.

Tertia.

Quarta.

In quibus enim adiectiuum hunc locum tenet, ut terra eſt immobilis, doctorum iudicio arbitrióque relinquo, uelíntne eas ad ſecundã intranſitiuam, an ad hanc quartam reduci. ipſe interim de his, quoniam nomine aliquo docenti eſt utendum, quaſi quartam efficiant, uerba faciam. Quando ſi ad ſecundam referam, fortaßis nomina confundam, duas nimirum eius rationes, primam ſecundámque ſtatuere coactus. Ergo cum tot non amplius intranſitiuæ conſtructiões ſint, uerbum certè cum eo, cui à fronte coniungitur, ſi is nominatiuus eſt, duo tantum habet accidentia communia, numerum & perſonam. Itaque in totidem cum eo conueniat neceſſe eſt, ut Aeneas ait. Sin accuſatiuus eſt, cui uerbum infiniti modi ſuccedat, ſicuti nullum habent commune accidens, ita translatitiè coniungi inter ſe poſſunt, Te eſſe, uos eſſe, hunc eſſe, hos eſſe. Adiectiuum cum proprio uel appellatiuo ſuo, quoniam caſum, genus, & numerum cum eo communia poſſidet, in eiſdem quoque conſentiet, ut Elephas Indus, Troianæ opes. Idem ſtatuendum de omnibus, quæ adiectiuorum conſtructionem imitantur. Cuiuſmodi ſunt ex nominibus, interrogatiua, relatiua, uniuerſalia, partitiua: Ex pronominibus, demonſtratiua & poſſeßiua. Item participia, ut quis deus, quanta gula, neutra acies, hic uir, noſter herus, uinea putanda, ager colen-

dus, homo armatus. Prouocabulum, Qui, uel re
latiuum pronomen, cum eo quod à ſuperiore re
petitum apertè ſecũ uel tacitè exhibet, tria item
habet accidentia communia, in quibus etiam ne=
ceſſariò cum eo conſentiet, caſum, genus & nu=
merum: Qui Virgilius, Is locus, Idem uir. Sunt
qui perſonam prouocabulo adijciant, ſed qua ra
tione nõ uideo: cum prouocabulum adeò nullius
ſit perſonæ, ut qui pronominibus id adnumera=
runt, ideo infinitum appellarint, quòd nullã per
ſonam repræſentet. Id autem quod apponitur,
cum eo cui eſt appoſitum, ſi quidem id adiectiuo
rum conſtructionem habet, in trib. ad ſummum
conuenit, caſu, genere et numero. Itaq; in totidẽ
conſentiet, ut Apollonius dictus difficilis. Et, A=
pollonius erat Alexandrinus. [Ter. And. act. 1.
ſc. 1.] Redeo inde iratus. Et in alijs caſibus (fit
enim ferè per omnes) ut, Mei redeuntis irati. Ti
bi eunti inuito. Me ire inuitũ. Sin appellatiuum
eſt, ſiue continuò ſuccedat, ſiue uerbũ ullum par
ticipiúmue intercedat, caſu certè omnino cõſen
tiet. Homerus fons Poëtarũ. Et, Homerus dictus
fons Poëtarum. [Virg. 1. Aeneid.] Quæ incedo
regina Iouiſq; & ſoror & coniunx. Illud ergo
Virgilij [libro 3. Aen.] Veráne te facies, uerus
mihi nuncius affers: niſi aliqua ratione accuratè
leniatur, uideri poteſt Solœcophanes. Omnibus
his intranſitiuarum generibus commune eſt,

 quòd

quòd in singulis, non solum unum uni coniungi potest, sed etiam unum duobus. Quod cum multis modis fiat, natura & propriè dupliciter autore Gaza fit. Vno, cum id quod unius rationem obtinet, secundo loco ponitur & pluratiuè, ut in prima, Socrates & Plato philosophantur. In secunda: Socrates & Plato Athenienses. Et adiectiuis ipsis, ut uidetur, appellationem praecedentibus. Ouidius de tristib. [lib.4.eleg.3.] Magna minórq; ferae. nisi appositionem dicas. In tertia: Quos Socratem & Platonem laudant. In quarta: Socrates & Plato Philosophi. [Virgilius Eclog.2.] Allia serpillúmque herbas. Altero modo, cum quod unius rationem habet, singulariter duobus uel praeponitur uel interponitur, ut: Philosophatur Socrates & Plato. Socrates philosophatur & Plato. Mihi uerò secunda haec ratio omnino figurata est, ut proximo libro apparebit. Sunt qui dubitent, ubi copulatiua coniunctio propria uel appellatiua tum praecedit, tum intercedit, num adiectiuo, uerbo, & prouocabulo, tam singulari liceat quàm plurali uti. Sed frustrà, ut autorum usus docet, qui & singulari utuntur, ut Cicer. [lib.4.epist.15. Att.] Quae* quidem abs te cum dies uenerit, & ego & Cicero meus flagitabat. Et Columel. [lib.6.cap.6.] Nam si neglecta cruditas est, & inflatio uentris, & intestinorum maior

maior dolor sequitur, qui nec cibos capere sinit. Seneca [lib.3.nat.quæst.] Est autem noxia aqua in Thessalia circa tempe, quam & feræ & pecus omne deuitat. Et plurali, idq; honestius, ut Seruio placet in illo Virg. [lib. 3. Aeneid.] Ventúsq; gubernatórque uocabant. Idem: [libro 4. Aeneid.] Egregiam uerò laudem & spolia ampla refertis, Túq; puérque tuus. Ouidius [li.2.de arte] Mulciberis capti Mársq; Venúsque dolis. Columell. [lib.1.cap.7.] Ita fit ut & actor & familia peccent. Teren. [Adelph.act. 1.sc.1.] Hæc si neq; ego neq; tu fecimus.

Primæ, tertiæ & quartæ commune.

At primæ, tertiæ, & aliquatenus quartæ, illud commune est, quòd in singulis sensus quoq; pro basi esse potest. In prima, ut: Tempori uenire præstat, quàm sero. In tertia, ut Terent. [Heauton.act.2.scen.4.] In tempore ad eam ueni, quod omnium * est primum. In quarta, ut Quintilian. [lib. 1. cap. 2.] Cogitet oratorem institui rem arduam, etiam cum ei formando nihil defuerit. Item uenire in tempore omnium est primum. Tertiæ uerò & ei quam precario uocamus quartam, quòd nonnunquam ibi prouocabulum, hîc uerbum cum posteriore aliquo iungitur, cui in accidentibus adsimiletur: uerum eò demum posteriore, quod cum priore cum quo construi deberent, sit idem. Adderem (ut Dialectici loquuntur) præsertim subiecto, nisi quic-

quid ſupra Grammaticum putem, toto opere conſulto refugiam. Sed ſi illud uel pachymeros lector attingit, utile mihi ad quædam alia fortaſſe fuerit. Cæterum quod poſterius illud, cui interim concordat uerbum uel prouocabulum, idem ſit cum eo quod hæc præcedit, declarat, quòd ubi hoc incidit, uerbũ non aliud eſt quàm uel ſubſiſtendi, uel uocãdi. Exemplum uerbi eſt illud Plinij [lib. 18. cap. 11.] Iuſtum erat duæ libræ in * ſemodios. Terent. [And. act. 3. ſc. 3. Amantium iræ amoris redintegratio eſt. Relatiui autem, illud Saluſtij [de con. Cat.] Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellant.* Sed de his diffuſius in figuris, quo magis attinent. Nam rectum planè in his eſt, ut cum ſuperiore conformentur, quemadmodum magnorum autorum exempla docent. Plin. [li. 31. cap. 4.] Proditur certè in creta expugnato oppido, quod uocabatur Archadia, ceſſaſſe fontes. Cic. de nat. deor. [lib. 2.] Propius à terra Iouis ſtella fertur, quæ Phaëton dicitur. Liuius [li. 6. dec. 4.] Herculi ſacrificium fecit in eo loco quem Pyram (quòd eo loco * mortale corpus eius dei ſit crematum) appellant. Q. Curtius [lib. 3.] Darius ad eum locum, quem Amanicas pilas uocant, peruenit. Pompo. Mel. [lib. 3.] Ab eo flumine, quod Saliam uocant. Ouid. [lib. 1. Met.] Vnus erat toto naturæ uultus in orbe, Quem dixere Chaos. Cic. de Orat.

Orat.* Tum etiam eloquentem constat fuisse Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus.

Secundæ autem cũ tertia et aliquatenus quarta commune est, quòd in secunda & quarta, Interrogatiua, relatiua, & infinita, in tertia prouocabulum Qui, sensus sui proprium uel appellatiuum semper præcedunt. Interrogatiuum in secunda, ut Qualis tabella est? Quis homo est? & quas fabulas narrat? Relatiuum in secunda, ut Quantam turbam non uidi. Infinitum in secunda, ut Scio quis homo sit, et qualis tabella sit, & quas fabulas narret. In quarta, sicut in tali sermone, Talis est Budæus, qualis erat Her. Barbarus. Prouocabulum in tertia, ut Qui homo mihi fabulas narrat? Secundæ autem cum quarta illud aliqua ex parte conuenit, quòd utrobiq; adiectiuum cum proprio uel appellatiuo de quo dicitur, in tribus consentit, ut suprà apparuit. Differunt in eo, quòd hîc semper uerbum participiúmue interuenit, ibi non. Rursus hîc adiectiuum natura semper sequitur, nisi (ut iam dictum est) interrogatiuum, infinitum, uel relatiuum sit, ibi aliâs sequitur, aliâs præcedit; ut uir bonus, bona fortuna. Nisi forte aut patrium gentiléue sit, quod sequi magis uidetur propensum, Plato Atheniẽsis, Virgilius Mãtuanus, Erasmus Roterodamus, Budæus Parisiensis. Aut transitionem aliquam sibi annexam habeat: nam tum

Secundæ, tertiæ & quartæ commune.

Secundæ & quartæ commune.

ſequi omnino potius debet, ut: Vir ignarus omnium, Homo peritus rerum. Participium quoque ſequi propriè uidetur, ut Ariſtoteles ambulans, Plato nauigans.

Secundæ & tertiæ commune.

Secundæ uerò cum tertia illud conuenit, quòd eas per tranſitiuam interpretari nonnunquam licet, adiectiuo ipſo uel prouocabulo uerſo in neutrum, & appellatiuo in genitiuum, quæ locutio maioris etiam eſſe uehementiæ uidetur. Adiectiuum tamen in hoc genere plerunque generalem aliquam ſignificare qualitatem ſolet. Quod genus ſunt, multum, minimum, exiguum, paululũ, tantum, quantum, aliquid, nihil, ut: Multa eruditio, multum eruditionis. Paulula opera, paululum operæ. Maior eloquentia, plus eloquentiæ. Minor ſapientia, minus ſapientiæ. Vſurpantur tamen & alia ad eundem modum, ut: Quis animus, quid animi. Id tempus, id temporis. Abditæ res, abdita rerum. Relatiui exemplum ſit, Qui ager, quod agri. Cicer. [lib. 8. epiſt. 17. Attic.] Et militum quod haberent, ad nos deducerent. Sicuti contrà in paucis, qualia ſint medius, primus, poſtremus, ſummus cum ſynonymis, ſimilem tranſitiuam per intranſitiuam efferimus. Terentius [And. act. 1. ſcen. 1.] Mediam mulierem complectitur. pro eo quod eſt, medium mulieris Virg. [lib. 6. Aen.] Medióq; ex hoſte recepi. Cicer.* Quibus in extremis ſcriptum erat. pro quarum

quarum in extremis. Idem: * Cum ipsa prima æstate Euphratem transiturus sit. Illud secundæ proprium uidetur, quod tertium declinabile eodem sensu recipit, sed Syncategorema, ut quidam uir doctus. Quartæ illa priuatim sunt propria, primum quòd dictio, quæ appositi uicem sustinet, quicquid illi successerit, cum proprio uel appellatiuo, cui apponitur, omnino conuenit, potissimum si ea dictio adiectiuum sit, ut Plin. [lib.8.cap.45.] Boues animalium solæ, etiam retrò ambulantes pascuntur. Idem de coturnicibus. [lib.10.cap.23.] Quem solæ animalium sentiunt præter hominem. Tere. [Eun. act.2.sc.2.] Qui se* primos omnium rerum uolunt. Virg. [li.2.Georg.] Nemorúmq; Ioui quæ maxima frondet Aesculus. Plin. [lib.10.in proœm.] Sequitur natura auium, quarum grandissimi & pené bestiarum generis struthiocameli. At si participium sit, aliás cum eo quod primo loco ponitur concordat, ut Iustinus de Semiramide [lib.1.] Puer credita est. Plin. [lib.8.ca.38.] Arescitue in gemmas carbunculis similes, igneo colore fulgentes Lyncurium uocatas. Virgilius: [lib.2. Georg.] Atque habitæ Graiis oracula quercus. Aliás cum eo quod succedit. Liuius [libro 1.deca.1.] Gens uniuersa Veneti appellati. Cicero [lib.2. diuin.] Non omnis error stultitia est dicenda. Sunt tamen hæc quoq; figurata, cum

Secundæ proprium.

Quartæ proprium.

ta, cum iuſtior omnino ſit cum priore cōcordia: deinde quòd appellatiuum, quod apponitur, interdum diſsidet ab eo cui apponitur. Aliâs numero, ut cum dictioni quæ uoce ſit pluralis, ſignificato ſingularis, apponitur appellatiuum ſingulare cui ſit etiã plurale: Thebæ urbs Bœotiæ & Thebæ ſunt urbs Bœotiæ. Item contrà, cum ſingularem habenti apponitur appellatio pluralis tantum numeri. Virg. [Eclog.2.] Formoſum paſtor Coridon ardebat Alexin Delitias domini. Diſsidet nonnunquam eiuſmodi appellatiuum & perſona, ut cùm pronomini primæ uel ſecundæ perſonæ apponitur aliquid quod ſit tertiæ, ut: [Teren.Eun.act.3.ſcen.5.] Ego homuncio hoc non facerem? Et [Virg. lib.3. Georg.] Illi uictor ego & Tyrio conſpectus in oſtro, Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus. Quo genere quando duo ſunt nominatiui, is qui prior natura eſt, id eſt, cui fit appoſitio, propterea uerbo quod ſequitur, accidentia præſcribet, quòd is demum eſt, qui interrogatiuo, quis uel quid, cum uerbo præponitur, reſpondet: ut in illo, Ego homuncio hoc non facerem? Quis hoc non faceret? ego. Sicuti rurſus alter nominatiuus reſpondet, cum eiuſmodi quæſtio participio, ens, quod in omni tali appoſitione eſt ſubauditum, poſtponatur: ut ego quis uel ego ens quis, hoc non facerem? homuncio. Itaque

cum

cum in utraq; constructione, tum ea quæ primã intransitiuam efficit, tũ ea quæ quartum, prior nominatiuus subiecti siue basis uicem sustineat, meritò in utraq; accidentium legem ei quod astruitur, præscribit. Frustra igitur hîc recentiores nouam, & ueteribus tum Græcorum tum Latinorum inauditam constructionis figuram, Euocationem suam excogitarũt, quam (si qua in tali dicendi genere esset) auocationem potius appellarent. Sed quod de uerbo post eiusmodi appositionem est præceptum, idem de prouocabulo, Qui, sicubi id sequitur, est statuendum. Quippe ad id, quod prius natura est, refertur. Virg. [lib.1. Aeneid.] Nos tua progenies cœli quibus annuis arcem. Cicer. [orat. 2. in Catil.] Hic ego ille uehemens consul, qui uerbo ciues in exilium eijcio, quæsiui à Catilina. Idem in secunda quoque appositione seruabitur. Plin. de uiris illust. [in Romulo] Ludos consualia simulauit, ad quos cum utriusq; sexus multitudo aduenisset, dato suis signo, uirgines raptæ sunt. Virgilius: Ille ego qui quondam gracili modulatus auena Carmẽ, et egressus siluis uicina coëgi, Vt quãuis auido parêrent arua colono. Brutus ad Ciceronẽ: [in in lib. ad Brutum ep.16.] Ego uerò is sum (ut isthuc reuertar) qui non modò non supplicem, sed etiam coërceam postulantes, ut sibi supplicetur. Sicubi autem uerbum relati

uúmue

uúmue in eiusmodi locutione aliter leguntur, Enallage est, ut in figuris docebimus. Praeterea quòd ubi infinitus modus ijs quae apponuntur, interuenit, si nominatiuus sequatur, non debet accusatiuus ante infinitum praeponi, nec subaudiri: nec contrà, si accusatiuus praecedat, nominatiuus sequi. Non enim aut uolo adscribi primũ, aut uolo me adscribi primus, dicas: sed, uolo me adscribi primum, & uolo adscribi primus. Hoc loco non alienum sit adijcere, primi generis appositionem multifariam fieri posse. Nam & dictionis ad dictionem. ut suprà uidere licet. Et sensus ad dictionem, ut in illo Ouid. [lib. 1. Me.] Vnus erat toto naturae uultus in orbe, Quem dixere chaos, rudis indigestáque moles, Nec quicquam, nisi pondus iners, congestáq; eodem Non bene iunctarum discordia semina rerum. Quint. in superius posito exemplo: [lib. 1. cap. 2.] Cogitet oratorem institui rem arduam, etiam cum ei formando nihil defuerit. Et integri sensus ad sensum: ut, Studes philosophiae, id quod me magnopere delectat. Si modò hîc appositio sit, cum aliter non succurrat talis generis exemplũ. Interdum aliquot dictionum siue imperfecti sensus ad sensum perfectum. Virgilius. Coëgi, Vt quamuis auido parērent arua colono, Gratum opus agricolis. Idem: [libro 1. Aeneid:] Tris Eurus ab alta In breuia & syrtes urget, miserabile

Primi generis appositio multifariam.

bile uiſu. Interdum ad aliquid ſubauditum fit appoſitio, ut in illo Virgilij [Eclog. 1.] & ſimilibus: Quò ſæpe ſolemus Paſtores ouium teneros depellere fœtus. Et Horat. [in arte] Maxima pars uatum pater & iuuenes patre digni, Decipimur ſpecie recti. Nec eſt in eiuſmodi ſermone, quamuis uocãdi uel ſubſiſtendi uerbum non adſit. quemadmodum & Apollonio, & qui ab eo diſcedere neſcit, Cæſarienſi Priſciano [li. 18. in princip.] uidetur, ſolœciſmus. Non indignum etiam ſcitu eſt, fieri primã appoſitionem, modò ſpeciei ad genus. Saluſt. [de bell. Iug.] In tugurio mulieris ancillæ. Idẽ [de con. Cat.] Vrbem Romam ſicuti ego accepi. Virgil. [lib. 7. Aen.] Tum gemini fratres &c. Cratillus acérq; Coras. Modò generis ad ſpeciem. Liuius [lib. 1. dec. 1.] Super Numicum amnem. Idem [eod lib.] Prope Tyberim fluuium. Virg. Cratillus acérq; Coras Argiua iuuentus. Vtrobiq; tamen declarandæ rei cauſſa. Et uoces quæ ſub unius perſonæ repræſentatione conſtruuntur, ad iam dictum modum in orationem congerentur. Nunc quemadmodum quæ ad diuerſas referuntur, inter ſe iungendæ ſint, idq; per ſingulas partes quæ ſic iungi poſſunt, eſt agendum: interiectis, ubi occaſio erit, quæ Latinæ conſtructionis ſunt propria. Omnibus igitur tranſitiue coniunctis commune eſt, quòd uox à qua tranſitus perſonæ fit, natura præ-

Omnib. tranſitiue coniunctis cõmune.

ra præcedere postulat eam, in quam transitus fit: Pater Pamphili, Filia Chremetis. Dixi, natura. Nam si Rhetorum structura auribus potius consulens, hoc non seruat, nihil id ad Grammaticum. Excipienda sunt ab hoc præcepto interrogatiua, relatiua, & infinita ea, quæ subiuncta uocauimus: præterea negatiua nomina, quæ dictionem à qua fit in ipsa transitus, unà cum ijs quibus intransitiuè adhærent, natura præcedunt, ut: [Virg. Eclog. 4.] Cui non risere parentes? [Tere. And. act. 5. sc. 2.] Quemnam hic laudat? Vtram mauis: Quali digna tabella? [Ter. And. act. 4. sc. 1.] Quantas sollicitudines mihi fecit? Plaut. Capt. act. 3. sc. 5.] Neminis misereri. Nulli dixeris. Nullúmne habes uitium? Priorem locum uindicare & possessor, quoties à possessione sua in ipsum fit transitus, scilicet quo sit reciproco locus. Cic. [li. 9. ep. 15. Att.] Sed illum ul

Appellatiua in genitiuos. ciscentur mores sui. Transeunt appellatiua omnia in genitiuos propriorum & appellatiuorũ, eorum præcipue quæ uel poßidentis personam exhibent, uel totius, uel eius ad quod quicquam quoquo modo spectat: Codex Virgilij, Caput Ciceronis, Discipulus Platõis, Vmbra platani, Examen apum, Amphora uini, Ingerũ agri, Cibus hominis, Luteum oui, Clunes leporis. Ac uidentur quidem omnes hi genitiui possessoris personam exhibere, propterea quòd si quis per

Proso=

Prosopopœiā ipsis loquelam det, singuli, quod sub nominatiuo est significatum, dicere suum poßint, ut Virgilius suum codicem, Cicero suum caput, Plato suum discipulum. Atq; ad eundem modum reliqui. Itaq; & per possessiua pleraq; efferuntur: Euandrius ensis, Herilis filius, Paterna domus. Appellatiuorum uerò in genitiuos transitus, etiam reciprocat, uel per se, uel additis adiectiuis, uel pronominibus: Apes huius examinis, alueiúe, Vinum unius amphoræ, Ager trium iugerum, Homo uel hospes non multi cibi, sed multi ioci, Ouum pauci lutei, Lepus magnarum cluniū, Proba antiqui moris fœmina. Quæ uero ambigua diximus quoties pro appellatiuis accipiuntur, meritò in genitiuos sicut appellatiua feruntur: Rex hominum, Pater deorum, Pellex Iunonis. Aliquando in datiuum. Lucanus, [lib.2.] Vrbi pater est urbíque maritus. Item uerbalia, potißimum quæ sub appellatiuorum specie ab actiuis uerbis ducuntur: Amator studiorum, Amatrix uirtutum, Tegmen fagi, Textura uirginis, Lectio præceptoris, Vsus rerum, Dogma Platonis. Nec in hos modò genitiuos, qui scilicet poßidentium siue agentium speciem referunt, sed etiam sicut ipsa tum actiuè tum paßiuè accipi possunt, in alios qui patientium speciem exhibent, & quos ferè per ablatiuum cum præpositione, de, interpreteris. Terentius, Verbalia in genitiuos.

[And.act.1.sc.5.] Amor, misericordia huius, nuptiarum solicitudo, tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo, pro pudor de patre, & misericordia de hac, et solicitudo de nuptijs. Cæsar, [lib.3.bell.ciui.] Multi ex nostris uulnerabantur, magnúsq; incesserat tremor sagittariorum. Salust. [de con. Cat.] Sed gloriæ inter ipsos maximum certamen erat. Cicer. [libro 11. epi.16. Att.] Neq; enim ualde aduentus eius est opinio. Seneca [lib. 7. na. quæst.] Nullam fecit cometarum mentionem, pro de sagittarijs, de gloria, de aduentu, de cometis.

In genitiuum uaria adiectiuorum genera.

Tanseunt in hunc casum & uaria adiectiuorum genera, ueluti partitiua omnia: Alter Aiacum, Singulæ sororum, Sola auium, Vterq; nostrum, Quisq; uel unusquisq; uestrum. Et interrogatiua quædam: Quis deorum? Vter Atridarum? Quot hominum? Et particularia nonnulla: Quidam uel aliqui nostrum, Si quisquam uel ullus uestrum. Et quæ particularia infinita diximus: ut, Quilibet uel quiuis uestrum. Et quæ infinita uniuersalia uocauimus: Quisquis fuit ille deorum, Quicunque hominum. Illud non ignorandum, partitiua quoties non habent, cum quo intransitiué construantur, à genitiuo qui sequitur, genus suum contrahere, quod ratione euenit. Nam cum ex his sint, quæ alteri omnino adhærent, nisi cui hæreant expositum sit, necesse

est aliunde id mutuentur. Sensus autem in ea, quam proposuimus, ratione nihil suggerit, nisi quod ex genitiuo accipias, ut in illis exemplis: Solæ auium, Singulæ sororum, pro solæ aues de numero auium, & singulæ sorores de numero sororum. Quoties uero cum aliquo intransitiuè construuntur, ab eo quoq; genus, cæterorum adiectiuorum ritu, sortiuntur. Mutatur partitiuorum genitiuus, modò in ablatiuum cum præpositione, è, uel ex. Ouid. in arte. [lib.1.] Est deus è uobis alter & alter erit. Modò cum, de, ut Idem: [lib.1. fas.] Solus de superis qui tua terga uides. Quæ infinita subiuncta uocauimus, siue nomina sint siue aduerbia, ea ex modis uel subiunctiuos uel potentiales perpetuò postulant. Ter. [And. act.4. sc.2.] Scio quid conere. Idem, [Eun. act.1. scen.1.] Nec quid agam scio. Hæreo an agam. Virg. [lib.1. Aen.] Nanq; uidebat uti bellantes Pergama circum Hac fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus. Cicer. Att. [lib.12. Epist.14.] Itaq; idipsum dubito, an excusationem aliquam ad Silium parem. Raro aliter legas, nisi aut mendum sit, ut in illo fortasse ad Attic. [lib.1. Epist.14.] Ille aliter ita nihili est, ut planè quid erit, nesciat, ubi, quod, uidetur scribendum, aut apud Poëtas Græcorum more, qui huiusmodi particulas indicatiuis iungunt, ut Plaut. [Amph. act.1. sce.3.] Obseruatote quàm

blande mulieri palpabitur. Et Teren. in Adelp. act. 2. scen. 1.] Nunc uide utrum uis argentum recipere, an caussam meditari tuam. Et alibi, [Adelph. act. 3. sce. 1.] Quid fiet rogas? quæ tamen figuratè sunt dicta, ut etiam Donatus sentire uidetur, qui in illo Eunuchi, [act. 2. scen. 2.] Viden' ocium & cibus quid faciat alienus? Legitur inquit, Et quid facit, ut sit figura per modos, pro quid faciat. Et in illo Hecyræ. [act. 3. sc. 5.] Idq; si nunc commemorare* uelim, quàm fideli animo & benigno in illam & clementi fui, uerè possum. Indicatiuum pro subiunctiuo positum esse ait, nempe fui pro fuerim. Aut priuatim post unum aut alterum uerbum, cuiusmodi sunt dico, & quæro. Terentius, [And. act. 1. scen. 1.] Quin tu uno uerbo dic quid est quod me uelis. Mart. [lib. 14.] Dic quotus es, quanti cupias cœnare, ubi utriusq; modi exemplum est. Cic. Att. [lib. 12. epist. 4.] Sed quæro quid illi opus erit, Athenis permutari ut poßit. Quorum uerborũ quanquam multa sunt exempla, uidentur omnia distinctione defendi posse, nec præceptum conuellere, si ea post imperatiuum, dic, statim adhibeatur. Sicuti in illa dicendi figura, quæ non minus uellicare præceptum uidetur, [Virg. eclog. 3.] Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Ordo ipse defendit à uitio, sic: Oculus nescio quis. Tale est illud Plinij: Tum mihi nescio*

quis in

quis in aurem susurrauit. Nec si Gellius aliter nonnunquam loquitur, ut in illo primi libri, [capite 3.] Video quousque progressus est, id mihi pro lege sit. In hoc tamen genere obseruasse uideor, pro futuro subiunctiui periphrasin eius frequentius poni, ueluti pro scripseris, scripturus sis, quod fortasse ob amphibologiam uitandam accidit. Cic. Att. [lib. 5. ep. 5.] Et si id scire cupio, quod ad tempus rectè ad te scribere possem, id est, quandiu Romæ futurus sis. Idem, [libro 5. ep. 9. Att.] Tu quæso quid agas, ubi quoque hoc tempore futurus sis, quales res nostras Romæ reliqueris &c. cura ut sciamus. Rarius per futurum ipsum. Quint. [lib. 1. cap. 14.] Præcipue illa infigat animis, quæ in œconomia, quæ in decoro rerum, quid personæ cuiq; conuenerit, quanquam etiam, conuenerit, hoc loco absolutum uideri futurum potest. His non obstant quæ per, Si quis, ferè sub indicatiuo efferuntur, ut Cicer. ad Attic. [lib. 2. Epist. 2.] Velim tamen si quid est de Antonij aduentu quod audieris, scribas ad me, propterea quod, si quis, eiusmodi infinitum non est. Rarò cum subiunctiuo, ut Idem Attic. [lib. 7. Epist. 11.] Sed quæso ut scribas quam sæpißime, non modò si quid scies aut audieris, sed etiam si quid suspicabere. Nisi illud audieris, futuri etiam absoluti dixeris. Acriter tamen attendendum in infinitis aliquando est, ne

prouocabulum, Qui, nobis pro infinito imponat, ut Audiui quæ legiſti, ubi ſi, Quæ, ut prouocabulum ceperis, rectè habet, pro illa quæ legiſti. Si pro infinito legeris, non legiſti, dicendum erat, ſed legeris. Nam quoties accuſatiuus præcedit, qui tranſitum uerbi excipiat, omnino prouocabuli uox eſt, quæ ſub ſpecie infiniti, Quis, ſequitur. Infinitum enim cum ſuo uerbo ἀμέσως tranſitionem uerbi, accuſatiui uice excipiunt. Atq; hac ratione illud Ouidij, [libro 1. faſ.] defenditur: Ede ſimul cauſſam, cur de cœleſtibus unus, Sitq́; quod à tergo, ſitq́; quod ante uides, ſi illud, cur, in propter quam, ſoluas. Prouocabulum, Qui, ſiue relatiuum ſubſtantiæ, de quo in partibus inter pronomina propter ueterum conſuetudinem meminimus, quoties continuato cum præcedentibus ſermone legitur, ſubiunctiuis uerborum quam indicatiuis frequentius iungi uidetur. Virgilius, [lib. 1. Georg.] Omnia uentorum concurrere prælia uidi, Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis Sublime expulſam eruerent, ita turbine nigro Ferret hyems, culmúmque leuem, ſtipuláſque uolantes. Horat. [in arte.] Dicitur & plauſtris uexiſſe poemata Teſpis, Quæ canerent ageréntque peruncti fæcibus ora. Cicer. [lib. 7. Epiſt. 1. Attic.] Nam Pompeius non dubitat ea, quæ de republica nūc ſentiat, mihi ualde probari. Idem: [lib. 11. Epiſtola 15.]

stola 15.] Sum enim solus aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit, neque ab ijs ipsis quicquam ad spem ostendatur. Idem, [lib.8. Epi.22. Attic.] Dices, quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis. Legitur sic quoq; & cum Indicatiuis, sed minus frequenter, ut Idem, [lib.8.epi.1.Attic.] Erant in his literis, quas ad me Philotimus scripserat. Idem: [lib.3.epi.8.Attic.] Quare cum me afflictum & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre grauius quàm euenti, quòd ei crediderim, quem esse nefarium non putaram. Idem, [lib.7.ep.2.Attic.] Nunc illum, qui pedem porta, quo ad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri: me in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi dedecus est nostrum. In quo sermone si rectè scribitur, utriusque modi est exemplum. Coniungitur sub eadem ratione & potentiali. Virg. [lib.1.Aen.] Progeniem sedenim Troiano à sanguine duci Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces. Vbi uero talis continuatio non est, Indicatiuum potius uult. Virgil. [eod.lib.] Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Quam Iuno fertur terram * magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo. Idem, [eodem libro.] Nec procul hæc Rhœsi niueis tentoria uelis Agnoscit lachrymans, primo quæ prodita somno

Tytides multa uastabat cæde cruentus. Rursus ubi caussam significat, subiunctiuis tantum iungitur. Teren. [And.act.4.sc.5.] Satin' sanus es qui me id rogites? Idem Phor. [act.1.sce.3.] Rogitas, qui tam audacis facinoris mihi conscius sis? Virgil. [lib.2.Aen.] Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset Ille dies, festa uelamus fronde per urbem. Idem, [lib. 1. Aen.] Haud credo inuisus cœlestibus auras Vitaleis carpis, Tyriam qui adueneris urbem. Cor.Nepos in uita Pomp. Attici. At ille, qui amicis officia præstanda sine factione existimaret, semperq; à talibus consilijs se remouisset, respondit si quid Brutus & cæt. Idem Cor.Nepos: Atticus, qui ciuitatem conseruatam cuperet, pecuniã numerauit de suo. Quòd si quando cum indicatiuis sic legitur, rarũ id arbitror. Cic.Att. [lib.5.ep.20.] Ephesum ut uenerim nosti, qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem.*In hac loquendi figura, Quintil. & alij illius ætatis, particulam, ut, pro ut pote relatiuo præponunt, ut Quint. in primo Inst. [cap.3.] Et omnia noua offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. Colu. [lib.11.cap.3.] Locum neq; pinguem neq; stercoratum, sed apricum desiderant, ut quæ macerrimo solo per se maritimis plerunque regionibus nascantur. Sub, quippe, etiam indicatiuo, ut Salust. [de bel.Iug.] Quippe quæ probitatem, industriam,

dustriam, aliasq; bonas artes neq; dare neq; eripere cuiquam potest. In illa uero particularium periphrasi, Est qui, Sunt qui, Est quando, Est ubi, uterq; usurpatur modus. Indicatiuus, ut Horat. [lib. 1. car. od. 1.] Sunt quos curriculo puluerem olympicum Collegisse iuuat. Subiūctiuus, ut Idem [lib. 2. sat. 1.] Sunt quibus in Satyra uidear nimis acer. Colum. [lib. 6. cap. 7.] Sunt qui teneræ laurus caulium libram, cum abrotani macerati pari portione dent cum aquæ calidæ duobus sextarijs, atq; ita faucibus infundant, eadémque pabulo, ut supra diximus, obijciant. Ouidius Fast. [lib. 6.] Sed erunt, qui me finxisse loquantur, Nullaq; mortali numina uisa putēt. Nisi hæc proxima potentialis modi, pro indicatiui futuris dicas. De particulari uero, Vllus, quod ad latinitatis proprietatem spectat, priuatim obseruatur nec sermonem id inchoare, nec nisi in negatione, interrogatione uel subiunctione feré adhiberi. In negatione. Teren. [And. act. 5. sc. 5.] Nec mora ulla est, quin uxorem illam ducam. Ouid. [in Epist. Sap.] Neq; enim mandata dedissem Vlla. Post sine quoq;, et citra, cum pro sine accipitur, quoniam latentem negationis uim habent, adhibetur. Itaq; sine ulla laude, gratia, fruge, & citra ullum incommodum dicimus. In interrogatione. Virg. [lib. 2. Aen.] Creditis auectos hostes aut ulla putatis Dona carere dolis Danaûm? Vllus.

In subiunctione. Cicer. Att. [lib.7.epist.13.] De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quæso uideas, ut satis honestum nobis sit, eas Romæ esse cum cæteræ ulla dignitate discesserint. Item, Si ulli remiseris, erraueris. Videtur & post uniuersalia infinita adhiberi posse, ut Quisquis uel quicunq; exules ullos acceperit. Et post, quàm comparationis, ut Iust. [lib.11.] Priusquam ulla nauis littore excederet, hostias cædit. Cel. [li.2. capit.17.] Plus alimenti est in carne quàm in ullo alio. Huius naturam imitatur &, Vnquam aduerbium, Nemo unquam, Quis unquam, Si unquam. Quisquam quoque similem in plerisque usum habet. Nam & in negatione, & interrogatione, & subiunctione legitur. Virgil. [lib.1. Georg.] Non illa quisquam me nocte per altum Ire, neque à terra moneat conuellere funem. Idem,* An quisquã nobis tali sit munere dignus. Cic. [lib.5.epist.2. Atti.] Hunc hominem parum gratum quisquam putet? Teren. [in prol. Eun.] Si quisquam est, qui placere se studeat bonis quàm plurimis. Cic. Attic. [lib.3.epi.15.] Quod si non modò tu, sed quisquam alius fuisset. Idem, [ad eundem lib.5. epist. 18.] Socijs multo fidelioribus utimur, quàm quisquam usus esset. Vniuersalia infinita, cuiusmodi sunt quisquis & quicunq;, si orationem inchoant, alium sensum postulant. Virgil. [lib.5. Aeneid.] Quicquid erit,

Vnquam.

Quisquam.

superanda

superanda omnis fortuna ferendo est. Ouid. [in Epist. Sapp.] Quicquid erit, melius quàm nunc erit. Iuuen. [sat. 6.] Quocunq; in triuio cuicunque est obuia, narrat. In illo enim Martial. [lib. 8.] Non quicunq; capit saturatas murice uestes: Nec nisi delitijs conuenit iste color, uidetur, qui cunque, positum pro quiuis, uel quod Græce dicitur ὅτυχῶν. Cum uero sensum aliquem sequuntur, alium non desiderant. Plinius, [lib. 18. cap. 16.] Nascitur qualicunque solo. Quisque & omnis id latinæ constructionis discrimen habent, quod Omnis, ferè positiuis ac comparatiuis iungi notatur, Omne boni, utiliora omnia. Raro autem superlatiuis, ut Cæcil. Plinius ad Rom. [lib. 9. epist. 28.] Post longum tempus epistolas tuas tres pariter accepi, omnes elegantissimas, ubi tamen poni quisq; non potest. Idem, in Panegyr. Nec uideri potest optimus, nisi qui omnibus optimis in sua cuiusque laude præstantior est. Quintil. in 4. [cap. 1.] Demus aliquas (nam id exigit ratio nonnunquam) etiam ne potentissimas omnes, id est, totam caussam. Trebonius Cicer. [lib. 12. epist. 16. fa.] Non enim nescis quanti te faciam, & quàm pro nostro ueterrimo uerissimóque amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tam * bono gaudeam. Terentius. [Eu. act. 3. sc. 2.] Quem ego * infra infimos omnes puto homines. Virgil. [lib. 2. Aen.]

Quisque.

Omnis.

Extrema

Extrema per omnia duco. Horum tamen postremorum positiones nomina non sunt, quo minus mirum est ita usurpari. Quisque uero uel superlatiuis, uel his quae horum similem habent naturam, qualia sunt ex numeralibus, ordinalia cum suo interrogatiuo uel infinito, Quotus, uel positiuis his, quae superlatiua publico usu non recipiunt, uel duobus pronominibus, Sui & Suus, uel obliquis relatiui substantiae, feré iunctum inuenias. [Cic. pro Arch.] Optimus quisque. Et aliquando in diuerso casu à superlatiuo, ut [Idem, lib. 1. offic.] Maximo quisque animo. Validißimi quisque corporis. [Suet. in Iul.] Quarto quoq; anno. Quotus quisque. Quo sermone nullus uel rarus significatur. Cicer. Tusc. [lib. 2.] Quotus enim quisque Philosophorum inuenitur, qui ita sit moratus. Idem de diuin. [lib. 2.] Quota enim quaeq; res euenit praedicta ab istis. [Salust. con. Cat.] Strenuus quisque, Vnus quisq;. Et ut Laurent. [lib. 1. cap. 16.] censet, quoniam superlatiuum non habent, Singularis quisq;, Principalis quisq;. Item [Virg. lib. 5. Aen.] Pro se quisq; uiri. Et: [Idem Eclog. 2.] Trahit sua quenq; uoluptas. Quint. [lib. 10. cap. 1.] Cui quodq; loco sit aptißimum. Raro absolutis alijs, uel comparatiuis. Suet. [in Otto.] Ferebatur & uagari noctibus solitus, atq; inualidum quenq; obuiorum, uel potulentum corrigere, *ac distento sago imposi tum, in

Quisque.

tum, in sublime iactare. Tacit. [lib.12.] Trepidatione uulgi inualidus quisque obtritus. Quintil. [lib.2.ca.2.] Erit etiam eo obscurior, quo quisque deterior. Ex interrogatiuis, Vter, potius, comparatiuis iungitur, iisque partitiuorum ritu usurpatis, de qua ratione mox dicetur. Quis, superlatiuis. Quint. [lib.3.cap.10] Ita non tantum utrum sit melius, sed quid sit optimum, quæritur. Et iterum, [lib. 7. cap. 5.] Ex duobus uter dignior, ex pluribus quis dignißimus. Declarat autem comparatiua in talibus partitiuè sumi, quòd licet illis genitiuum addere, ut uter horum dignior? Nam comparatiuè etiam cum, quis, iunguntur, ut: Quis doctior illo? Quid melius turdo? Superlatiua quoq;, quæ partitiuorum naturam aliqua ex parte imitantur, quòd scilicet unũ ex multis significant, in genitiuum feruntur, sed hunc pluralem, ut Grauißima corporum. Nisi aut collectiuum sit, ut [Virg.lib.1.Aen.] Danaûm fortißime gentis Tytide. Aut per Metonymian accipiatur. Cic. pro Rabir. Posthum. Virum unum totius Græciæ facile doctißimum Platonem. Plin. [lib.17.cap.1.] Crassus orator fuit in primis nominis Romani. Interpretantur autores genitiuum hunc modo per è uel ex. Cic. [lib. 2. de Orat.] Acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus, esse sensum uidẽdi. Salust. [de bel. Iug.] Sed Hiemsal, qui minimus ex ipsis erat.

Vter.

Quis.

Modò per, inter, ut Inter & Acheidas longè pulcerrima matres. Modò per, ante, ut: [Virg. lib. 2. Aen.] Primus ibi ante omnes magna comitante caterua. Plinius, [lib. 8. cap. 40.] Fidelissimi ante omnia homini canes atque equi. Neque sanè interest Grammatici, ad idem, an ad diuersum genus referantur, modò constructionis legem seruent. Quamuis enim uera (si quis rem exigere ad unguem uelit) in his esse affirmatio non putetur, nisi ad idem genus referantur, negatio tamen certe potest, ut: Est timidissimus hominum, non quadrupedum. Sum breuissimus nostrûm trium, non illorum. Hæc non est pulcerrima suarum sororum. Fortasse etiam in tali figura, ubi subest affirmatio, ut: Sum maximus nostrûm trium, potius quàm illorum. Quanquam in affirmatione quoq; pro ueris eiusmodi elocutiones usurpare autores inuenias. Plin. XXV. [cap. 2.] Mithridates maximus sua ætate regum quem debellauit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus, uitæ fuisse argumentis superq; fama intelligitur. Idem, XXXIIII. [cap. 10.] de Cadmia: Ostracitis tota nigra & cæterarum sordidissima. Macrobius, [libro 7. cap. 11.] Age Serui non adolescentium, qui tibi æquæui sunt, sed senum quoq; omnium doctissime. Qualis loquendi licentia & in alijs quibusdam deprehenditur. Plautus, Stich. [act. 5. scena 4.]

na 4.] Neuter neutri inuidet. Cæsar in Comm. [de bell. Alexand.] Cum uterq; utriq; insidiaretur. Et quod imitatione græca dictum est, Cic. Acil. [lib.13.epist.37.fam.] Familiaritas autem tanta quanta cum Siculo nullo. Et Plin. in opusculo de uiris illustribus: [de Vale.Cor.] Aduersus ingentem Gallum prouocatorem solus Valerius tribunus plebis omnibus territis processit. Et Valer. Max. [lib.4.cap.3.] Omni ciue temporibus suis maior. Quæ ferè omnia tametsi morosius disquirenti, deprehenduntur falsa, pro ueris tamen ab ipsis autoribus sunt usurpata: nec legibus Grammatices reclamant. Si cui autem hæc falsa ex ipsa saltem elocutionis natura non uidentur, is reputet falsa illa, quæ nos per hæc significari censemus, aliter quàm sic enunciari non posse. Et autores quædam aliter alibi interpretari, ut Cic. [lib.1.Offic.] Quorum uterque suo studio delectatus contemsit alterum. Quint. [lib.11.cap.3.] Cum enim uterq; alteri obijciat, palam est utrunq; fecisse. Idem, [lib.1.cap.2.] Ita fiet, ut cum æquali cura linguam utranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Quo modo hos duos semper locutos Laurentius putat. [lib. 3. cap. 32.] Sed quod ad constructionem superlatiuorum etiam attinet, illud non ignorandum, quod ea quoq;, sicuti partitiua, quoties non habent cum quo ametabatos, id est, sub eodem casu

construantur,

construantur, genus à genitiuo qui sequitur sortiuntur, ut Lucanus, [lib.2.] Minimas rerum discordia turbat, Pacem summa tenent. Plinius, [libro 16. cap. 40.] Amplißima arborum ad hoc æui, existimatur Romæ uisa. Nisi in neutro genere ponantur, ut Lucanus, [lib. 10.] Cogunt tamen ultima rerum Spem pacis tentare ducem. Liuius, [libro 1. ab urb.] Vt nihil belli domique postea nisi auspicato gereretur, concilia populi, exercitus uocati, summa rerum, ubi aues non adessent* dirimerentur. Ouid. [de pont. [lib. 4. Eleg. 1.] Sic ego sum rerum non ultima Sexte tuarum, Tutelæq; feror munus opusq; tuæ. Priuatim uero ex superlatiuis, Proximus, peculiariter datiuo iunctum legitur. Salustius [de bello Iug.] Proxima Carthagini loca. Et accusatiuo. Cicer. in Pisonem: * Proximus Pompeium sedebam. Et cum præpositione. Oui. [lib.1. de. art.] Proximus ad dominam nullo prohibente sedeto.

Proximus.

Numeralia in genitiuum.

In pluralem gignendi casum feruntur & numeralia, tum cardinalia, præsertim cum partitionem quandam subindicant: tū ordinalia omnia: Tres fratrum. Quatuor iudicum. Primus, secundus, tertius librorum Aeneidos. Ordinalia tamen alio sensu, & cum auferendi casu sub præpositione iunguntur: Primus ab Hercule, Tertius ab Aenea. Alio etiam sensu cum dandi casu, ut [Modestin. in arg. lib. 1. Aeneid.] Nulli pietate secun-

te ſecundus. Quo ſermone uel primus omnium, uel par cuiuis ſignificatur. Quod ad Latinam conſtructionẽ ſpectat, obſeruatur numeralium inter ſe legitima quædam diſpoſitio, quæ non inutiliter hoc loco tradetur. Nam in cardinalibus uocatis ad decem ad ſedecim minor numerus ſemper præcedit, idq; in compoſitiõe: undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, ſedecim. Ab his ad uiginti dupliciter proferuntur, & ſine copula ad iam dictorum modum, ſeptemdecim, octodecim, nouemdecim: & cũ copula, maiore numero præcedente, decẽ & ſeptem, decem & octo, decem & nouem. Horum poſteriora etiã alijs nominib. efferuntur, duodeuiginti, quo ſignificantur octodecim, & undeuiginti, quo ſignificantur nouemdecim: quæ ratio ante omnes, quæ in ginta finiuntur, uſurpari poteſt. Duodetriginta, undetriginta. Duodequadraginta, undequadraginta, & ſic ante alios. A uiginti uerò ad centum, ſi coniunctionẽ adhibueris, minor numerus præponi debet: unus & uiginti, duo & uiginti, tres & uiginti. Plin. de Epimenide [li.7.ca.52.] Puerum æſtu & itinere feſſum in ſpecu ſeptẽ & quinquaginta dormiſſe annos. Sin coniunctionẽ ſubtraxeris, maior præcedet: ut uiginti unus, uiginti duo, uiginti tres. Idem [li.7. ca.48.] Ex fœminis Liuia Rutilij, nonaginta ſeptem annos exceßit. Supra centum, &

cum copulandi coniunctione, & sine ea, naturalem ordinem seruãt, nempe ut maior praecedat: Centum unus, centũ duo, centũ tres. Mille unus, mille duo, mille tres. Item: Centum & unus, centum & duo, centum & tres. Quint. de Gorgia: [li.3.ca.1.] Is beneficio longißimae aetatis (nam centum & nouem uixit annos) cum multis simul floruit. Plin.7. [cap.49.] Epigenes centum & duos* annos impleri negauit posse, Berosus centum septemdecim. Idem: Fauenciae* una mulier centum uiginti quinq;. Parmae duo, centum triginta. Scire tamen licet in ipsis milibus numerandis eam seruandam esse rationem, quae intra centum est praecepta, Sex & uiginti milia, uel uiginti sex milia. Columel. [lib.3.cap.3.] Fit in assem summa sortis & usurarum XXXII. milium quadringentorum octoginta nummorum. Idem lib.5.cap.3.] Has summas inter se multiplicabis, uicies & semel ducentos & unum, atq; ita efficies quatuor milia ducentos et uiginti unum. Similis ratio et in his quae distributiua, item quae ordinalia uocantur, & supra uiginti obseruatur, & supra centum. In distributiuis namq;, sine copulandi particula, uigeni uel uiceni singuli dicimus, uiceni bini, uiceni terni, uiceni quaterni. Et cum copulandi particula, Singuli & uigeni, bini & uigeni, terni & uigeni, & ita deinceps usq; ad centum. Rursus à centum, Centeni sin=

ni singuli, centeni bini, centeni terni. Milleni singuli, milleni bini, milleni terni. Plinius: [lib.7.capite 49.] Centum deum homines* quatuordecim. Centum uigenũ quinum homines quatuor. ubi tamen centenum, pro centum scribendum arbitror. Et cum copulatiua, Centeni & singuli, centeni & bini, centeni & terni. Milleni & singuli, milleni & bini, milleni & terni. Trinus, na, num, huius generis non uidetur, cum plurimum pro tribus legatur. Cæsar com. [lib.1.bell. Gall.] Trinis catenis uinctus. Tacitus: [lib.17.] Trina* bella ciuilia, plura externa, atq; plerunque permixta. Quamuis & proternus legatur. Cicer. pro Mure. Trinos ludos ædiles fecerant. Liuius: [lib. 9. dec.1.] Trinis castris exuti. pro ternos & ternis. Cicer. Attic. [lib.11.epist.17.] Literásq; reddidit trinas. Plin. de pyrauli. [lib. 11.cap.36.] Mutatio* & in alias figuras transitus trinis aut quadrinis diebus. pro ternis. Et in ordinalibus sine copulatiõe, Vicesimus primus, uicesimus secundus, uicesimus tertius. Cum copulatione uerò, Primus & uicesimus, secundus & uicesimus, tertius & uicesimus. Pro primus tamen et secundus ante, uicesimus, sæpius legimus, unus & duo: ut. unus & uicesimus, duo & uicesimus, usu magis quàm ratione probante. Plin. [lib.2.cap.23.] Quantas enim dimetiens habeat septimas, tantas habere circulum duo & uicesimas.

Trinus.

mas. Cicer. [*de ſenect.*] *Plato uno & octogeſimo anno ſcribens, eſt mortuus*. Fabius iiij. Annalium ex Gellio: [*lib.5.cap.4.*] *Tum primum ex plebe alter conſul factus eſt, duo & uiceſimo anno, poſtquam Galli Romam ceperunt*. A centum uerò, *centeſimus primus, centeſimus ſecundus, centeſimus tertius, Milleſimus primus, milleſimus ſecundus, milleſimus tertius*. Vel, *Centeſimus & primus, Centeſimus & ſecundus, Centeſimus & tertius, Milleſimus & primus, milleſimus & ſecundus, milleſimus & tertius*. Plin. *Ab anno urbis, quingenteſimo ſeptuageſimo nono*. Idem de tonſoribus [*lib. 7.cap.59.*] *In Italiam ex Cilicia uenere poſt Romam conditam anno quadringenteſimo quinquageſimo quarto*. Cic. Attic. [*li.6.epiſt.1.*] *Poſt Leuctricam pugnam die ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto*. Cicer. pro Milone: *Centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodij & opinor altera*. Non tamen uſque adeò religioſé ſupra centum obſeruatur ratio cum coniunctione. Idem enim Plin. in VII. Natur. hiſtor. [*cap.52.*] *Ei quod de Epimenide citauimus, hæc uerba ſubiecit, ut tamen in ſeptimum & quinquageſimum atq; centeſimum uitæ duraret annum*. Columel. [*lib.8.cap.9.*] *Satiátque ſemodius cibi in diebus ſingulis uicenas* et centenas turtures*. Cæterum in his duobus generibus intra uiginti, ibi poſt duodecim ſtatim ex duobus

bus integris dicimus Ternideni, quaternideni, quinideni, senideni. In tribus uerò etiam conuerso ordine, ut Vallæ placet [li.3. cap.3.] Deni quaterni, deni quini, deni seni. Quo ordine duntaxat dicuntur quæ deinceps habentur, Deni septeni, deni octoni, deni noueni. Hîc uerò Tertiusdecimus, quartusdecimus, quintusdecimus, sextusdecimus, septimusdecimus, octauusdecimus, nonusdecimus. Plinius [lib. 10. cap. 58.] Namq; octauodecimo die excludunt, statímque concipiunt. Et Papinius in Siluis [in præfat. li. 4.] Primo autem septimumdecimum Germanici nostri triumphum* adoraui. Similis dispositio & in aduerbijs est obseruanda, undecies, duodecies, tredecies, quatuordecies, quindecies, sedecies, septiesdecies, octiesdecies, nouiesdecies, præterea uicies. Et uicies semel, uicies bis. Item semel & uicies, bis & uicies, & deinceps pro ratione iam dicta. Plinius 7. [ca. 48.] Idem sella curruli semel & uicies sedit. Colum. [li.5. ca.3.] Quinquies & uicies duceni quadrageni singuli fiunt sex milia & uigintiquinq;. De his sine copula Plin. mox. Peculiariter ad hoc genus pertinet, quod ultra nongenta nonagintanouem milia, his aduerbijs uti ueteres animaduertas. Quod Plin. exemplo saltem monet. Eius uerba in trigesimotertio [cap. 10.] hæc sunt: Non erat apud antiquos numerus ultra centum

*milia. Itaq; hic & hodie multiplicatur, ut decies centum milia, aut sæpius dicantur. Hæc Plinius. Vltra hunc numerum sic proceditur numerando: Vndecies, duodecies, tredecies, quatuordecies centena milia, & sic deinceps usq; ad uicies, à quo tricies, quadrigies, quinquagies, usq; ad centies. Ab hinc ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, usq; ad millies centena milia. Valer. Maxim. [lib. 6. cap. 4.] Filiam in matrimonium cum decies centum milibus talentûm pollicente. Iust. [II.] Naues quoq; deciescentũ milia numero habuisse fertur. Suet. [in Iulio] Patet in circuitu ad bis & tricies centum milia passuum. Ipse Plinius in secundo [cap. penultimo] Pars nostra terrarum de qua memoro, ambiente, *ut dictum est, Oceano uelut innatans, longißimè ab ortu & ab occasu* patet, hoc est, ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas, octogies* quinquies cẽtena septuaginta octo milia passuum, ut Artemidoro placet autori: ut uerò Isidoro, Nonagies octies centena decem & octo milia. Sed intra supradictum numerum (quam partem præcepti doctißimus Budæus egregiè obseruauit) sine hac per aduerbia multiplicatione locutus ueteres doceamus. Cæcil. Plinius ad Roma: [lib. 1. epist. 19.] Offero tibi ad implendas equitis facultates, trecenta milia numûm. Idem ad Fabatum [lib. 7. epist.*

11.]

11.] Adijcis posse eos nongentis milibus uenire. AEmilius probus in Pausania: Quod eo duce Mardonius Satrapes Regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum & manu fortis & consilij plenus, cum ducentis milibus peditum &c. fugatus est. Cic. ad Rufum [lib. 5. epist. 20.] Nam de sestertijs noningentis milibus certè ita relatum est, ut tu siue frater tuus referri uoluit. Quintil. 9. [cap. 2.] Et ne illa quidem testimonia recito, quæ dicta sunt de sestertijs septingentis milibus. Horat.* Si septingentis sex, septem milia demas. Mart. [lib. 5.] Quadringenta tibi non sunt. Varro [libro 2. cap. 1.] Et unæ quadrigæ constiterint milibus quadringentis. Cæsar de Britania [libro 5. bel. Gall.] Huius est longitudo, ut fert eorum opinio, septingentorum milium. Priuatim de quibusdam numeralibus obseruantur hæc. Mille cum non solum ut cætera numeralia, adiectiuum sit omnis generis & pluralis numeri, sed etiam appellatiuum neutri generis & numeri singularis, quod olim Macrobio autore [lib. 1. cap. 5. satur.] declinabatur, mille millis, duplicem meritò sortitur constructionem, & intransitiuam, sicuti adiectiua: ut mille homines, mille iumenta, & transitiuam in genitiuum, sicuti appellatiua. Cicero in Philip. [6.] Inuentus est qui Lucio Antonio mille numûm ferret expensum. Mille.

ſum. Et pro Milone: In quibus* propter inſanas illas ſubſtructiones, facile mille hominum uerſabatur. Milia quoq;, utpote ab hoc ſingulari declinatum, appellatiuum eſt, & in genitiuum tranſit, ut milia paſſuum, milia ſtadiorum, milia ſeſtertiûm uel numûm. Sueton. [in Nerone] Octoginta milia numûm diurna erogauit. Cic. Si doceo* iudices eos, qui quadraginta milia modiûm lucrifaciunt. Sicubi autem in ſimili caſu continentur cum alio appellatiuo legatur, apud idoneum præſertim autorem, ſuſpectus planè habendus eſt locus, cum & ratio refragetur, ut mox oſtendam, & frequens paßim autorum uſus reclamet: &, quod non minimum argumentum eſt, in uerſu nihil tale (quod ſciam) legatur. Nam quod ex. IX. Virgilij quidam afferunt: Tot milia gentes Arma ferunt Italæ. Ego gentis potius lego, ut ſit gentis Italæ, nulla nec carminis nec ſenſus, ut opinor, iniuria. Accedit quod opportuna res ad corruptelam utroq; genere fuit, & numeri ipſius ratione, cum ueteres tum mille, tum milia per M. literam ſignarint: & appellatiuorum, quorum genitiuos potißimum menſuram quamlibet ponderis magnitudiníue ſignificantes, per ſyncopē ferè, ut Priſcianus [de ponderib.] teſtatur, proferebāt, uel certis notis, uel certè dimidiatos ſcribebāt: quæ poſtea uel à librarijs malè excepta, uel à ſciolis malè ſup-

lè supplета, cæteris minus curiosis errandi occasionem dedere, ut cum pro duo milia sestertiûm, talentûm uel modiûm. ij M.LLS. uel talent. uel sester. uel mod. scriptum inuenirent, illi duo milia sestertia uel talēta uel modios ponerent: cū duo appellatiua sub unius personæ ratiōe iungi continenter non poßint, nisi ut Valla [li.3.cap.4.] mederi uitio conatur per appositionem, quæ tamen nullum habere locum in talibus uidetur: cum nec generalitatis cōtrahendæ caussa, ut mulier ancilla: nec uariæ significatiōis determinandæ, ut canis sydus: nec signandæ proprietatis, ut Aristides uir iustißimus, adiectus is numerus uideri in talibus poßit: qui alioqui præponi in tali loquendi genere semper notatur, cum appositio natura sequi debeat id cui apponitur. Ita tali medela datur potius negligentiæ securitas, quàm uindicatur à uitio corrupta loquendi ratio. Vnus quoq;, ut Priscianus obseruat, hanc peculiarem habet in constructione proprietatem, quòd pluralis eius numerus ijs duntaxat pluralibus iungitur, quæ pro singularibus intelliguntur. Salust. [de con. Catil.] Hi postquam in una mœnia cōuenere. pro in unam urbem. Virg. [lib. 2. Aen.] Satis una superq; uidimus excidia. pro unum excidium. Lucan. [lib.4.] Totúmq; in partibus unis Bellorum fecere nefas. pro in una parte. Liuius [lib. 1. dec. 1.] Hæc Vnus.

n 5 tum

tum ſacra Romulus una ex omnibus peregrina ſuſcepit. pro unum ſacrum. Ita cum in Prolepſi eiuſmodi pluratiuum nomen ponitur, in prolepſeos partibus plurale huius numeralis ſubijcimus: unas & alteras, non unam & alteram dicentes, ut Cicer. Appio [lib. 3. epiſt. 9.] Nam quas ex itinere antequam ex Aſia egreſſus es, ad me literas miſiſti, unas de legatis à me prohibitis proficiſci, alteras de Apameorum ædificatione impedita, legi perinuitus.

Diſtributiua pro cardinalibus.

Diſtributiua cum ijs nominibus quæ ſingulari numero deficiuntur, cardinalium loco iungi ſola poſſunt, cardinalibus excluſis: Binæ literæ, terna arma, quaterni codicilli. non duæ, tria, quatuor dicendum. Adhibentur præterea ubi ſingulis multorum ſimilem aliquem numerum diſtribuimus, ueluti exempla in primo libro docent.

Quæ in arius.

Quæ in Arius finiuntur, cum ijs quæ numerantur iungi non ſolent, non enim dicitur centenarius annus, ſed cum ijs ad quæ pertinent, aut referuntur ea quæ numerantur, ut homo centenarius, qui centum eſt annorum, Lapis centenarius, qui centum eſt librarum. Cicero ad Attic. [libro 6. epiſt. 1.] Cohortes habet quadringentarias. Numerum tamen centenarium, denarium & ternarium dicimus, ſi cui hoc ſcitu non indignum uidetur.

Feruntur in genitiuum diuerſæ perſonæ, & ex

ex adiectiuis uerbalibus quæ per Ax finiuntur: Audax, capax, edax, ferax, fugax, pertinax, rapax, sagax, spernax, tenax. Papin. in Silu. [lib. 3. in propemptico Metij.] Audax ingenij. Ouidius [lib. 1. Metam.] Sanctius ijs animal mentísq; capacius altæ. Idem [lib. 15. Metam.] Tempus edax rerum. Virg. [lib. 2. Georg.] Illa ferax olei est. Senec. Esto uitiorum fugax. Tacit. [lib. 20.] Opum contemtor, recti pertinax.* Plin. [li. 25. cap. 2.] Omnium utilitatum & uirtutum rapacißimi. Horat. [in arte] Vtiliúmq; sagax rerum. Silu. [lib. 8.] Ductor Piso uiros spernaces mortis agebat. Horat. [lib. 3. Od. 3.] Iustum & tenacem propositi uirum. Quæ per Ax.

Ex ijs quæ in Idus terminantur: Auidus, callidus, cupidus, inuidus, impauidus, prouidus, timidus, trepidus, & ualidus. Plin. [lib. 12. capite 1.] Vt est natura hominum nouitatis auida. Tacitus [lib. 18.] Nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur. Ouidius [libro primo de Pont. eleg. 6.] Cupidus studiorum. Plautus:* Cupidus leno auri. Silu. [libro 7.] Impauidus somni seruat pecus. Iuuenal. [Sat. tertia.] Et subiti casus improuidus. Liuius [libro quinto decad. 1.] Trepidi rerum suarum. Horatius [in arte.] Timidúsque procellæ. Tacitus [libro 16.] Validus animi & corpore ingens. Similiter ijs indigus & prodigus. Virgil. Quæ in Idus.

[libro

[libro 2. Georg.] Haud opis indiga nostræ. Lucan. [libro 9.] Terra suis contenta bonis, neq; indiga mercis Externæ. Horatius [libro 1.Od.12.] Et animæ magnæ prodigum Paulum superante Pœno.

Quæ in ius. Et pauca terminata in Ius, non tamen omnia uerbalia: Anxius, conscius, dubius, deuius, egregius, inscius, nescius, nuncius, obnoxius, præscius. Sil. [libro nono.] Anxia fati. Virg. [libro primo Aeneid.] Et mens sibi conscia recti. Idem [libro tertio Georg.] Nec sum animi dubius. Sil. [lib. 1.] Sed deuius æqui. Papin. [lib. 3. Thebai.] Tu tamen egregius facti.* Virgil. [libro 3. Georg.] Etiámque tremens, etiam inscius æui. Ouidius [libro decimoquinto Metamor.] Veri quasi nescia quærit. Virgil. [lib. quarto Aeneid.] Tam ficti prauíque tenax, quàm nuncia ueri. Liuius [libro 6. decad. 3.] Spei liberam, uel obnoxiam timoris. Virgil. [lib. 6. Aeneid.] Præscia futuri da, non indebita posco. Conscius tamen alia ratione in datiuum. Terent. [Eunuch. act. 1. scen. 2.] Egomet,* quæ mihi sum conscia.

Conscius.

Quæ in ens uel ans. Ex participialibus quoque multa eorum quæ in ens, uel ans finiuntur, ut Abundans, amans, audiens, appetens, abstinens, cupiens, efficiens, experiens, ferens, fugiens, fugitans, fidens, furens, metuens, negligens, obseruans, patiens, potens,

tens, præstans, prospiciens, reuerentior, sitiens, seruans. Virgil. [Eclog. 2.] Quàm diues pecoris, niuei tam* lactis abundans. Iuuenal. [satyr. 3.] Viue bidentis amans. Senec. Amantes tui ama. Plautus, [Turcul. act. 1. scen. 2.] Audiens imperij. Horatius. [libro 4. od. 9.] Abstinens ducentis ab se cuncta pecuniæ. Salust. [de con. Catilin.] Alieni appetens, sui profusus. Plautus: [Amphitri. prolog.] Cubat complexus, cuius cupiens maxime est. Cicer. [libro tertio offic.] Virtus est efficiens utilitatis. Ouid. [libro primo Metamorph.] Experiénsque laborum. Tacit. [libro 21.] Corpora hominum salubria & ferentia laborum. Cæsar: [libro primo bell. ciuil.] Nemo erat tam tardus & fugiens laboris. Terentius. [Phorm. act. 4. scen. 3.] Herus est perliberalis & fugitans litium. Virgil. [libro secundo Aeneid.] Fidens animi atque in utrunque paratus. Idem: [libro 5.] Nanque furens animi. Columel. [libro 8. cap. 17.] Cum sit mollissimum genus & seruitutis indignantissimum. Iuuenal. [Sat. 7.] Metuens uirgæ iam grandis Achilles. Tacitus: [libro 18.] Vitellius amicorum inimicorúmque negligens. Sallust. [de con. Catilin.] Corpus patiens inediæ. Virgilius: [libro primo AEneid.] Tempestatúmque potentem. Stat. [libro primo Thebai.] Haud tulit armorum præstans a-

nimiq;

nimique Corebus. Ouidus: [libro primo Metamorph.] Nec* reuerentior ulla deorum. Sil. [libro tertio.] Et semper famæ sitiens. Virgil. [libro 2. AEneid.] Et seruantißimus æqui.

Quæ in tus uel sus.

Et ex ijs quæ in tus, uel sus exeunt: Consultus, contentus, doctus, indoctus, eruditus, expertus, falsus, lapsus, mactus, mutatus, oneratus, præfectus, profusus, suspensus, ualidus, uictus. Horat. [in arte] Consultus iuris et actor Caussarũ. Liui.* Cõtẽtus libertatis. [Horat. in arte] Indoctúsque pilæ disciue trochiue quiescit. Idẽ: [libro tertio car. od. 8.] Docte sermonis utriusque linguæ. Virgilius: [libro 10. AEneid.] Expertos belli iuuenes Ascilua* trecentos. Plautus: * Falsus animi. Idem: Cistel. act. 2. scen. 1.] Ita me amor lapsum animi ludificat. [Mar. lib. 12.] Macte animi quem rarus habet, morúmque tuorum. Apuleius: Derepente animi mutatus. Pacuuius ex Nonio Marcello: Oneratus frugũ & floris liberi. Plin. [in præf. ad Ves.] Præfectus prætorij* eius. Sal. [de con. Catilin.] Profusus sui. Apul. [libro decimo Asin. aur] Oppidò suspẽsus animi. Tacit [lib 16. Animi ualidus. Virgil. [li. 4. Georg.] Immemor heu uictúsque animi. Hæc cum participia sunt, alijs etiam casibus meritò iunguntur, sed qui ex uerborum natura haud difficulter intelligantur, ut [Horat. libro 1. sat. 3.] Paucis contento, Arci præfecto,

Doctus

Doctus iter melius. [Liui.lib.10.dec.3.] Victus à Scipione. [Idem lib. 4. ab Vrb.] Macte uirtute esto. Reliqua quæ in patrium casum feruntur, quoniam de uerbalibus & participialibus seorsum egimus, quæ succurrent per ordinem literarum exequemur, potius quàm parum tutò per locos. Legũtur igitur cum hoc casu iuncta, Amens, auarus, alienus. Virgil. [lib. 4. Aen.] Isq; amens animi & rumore accensus amaro. Horat. [in arte.] Præter laudem nullius auaris. Cicer. [lib. 4.] Acad. Et uno nomine omnia, quæ essent aliena famæ & constantis assensionis, à uirtute sapientiáq; remouebant. Benignus. Horat. [lib. 2. sat. 3.] Vini somniq; benignus. Item Cæcus, certus, incertus, certior, compos. Quint. Instit. [lib. 1. cap. decimoseptimo.] At si quis tam cæcus animi est, ut de alijs dubitet. Gell. Certus rei, incertus uitæ. Tacitus [libro 18.] Sententiæ Vitellij certior fieret. Valer. Maxim. [libro primo capite primo] Imperatores compotes uictoriarum. Item Elegans, æmulus, expers. Gellius [libro primo capite septimo.] Elegantißimus uerborum Latinorum. Ouidius: [libro sexto Metamorph.] Vt tamen exemplis intelligat æmula laudis. Idem [libro 4. Metamorph.] Pérq; * nouem luces expers undæq; cibique, Sedit humo nuda. Et fessus. Virgil. [libro primo AEneid.] Expediunt feßi rerum.

Et

Et gnarus. Columel. [in præfat.] Armorum militiæq; gnaros. Præterea integer, imperitus, inops, inanis, insolens, ignarus, immunis. Horat. [lib. 1. carm. Od. 22.] Integer uitæ, scelerisq; purus. Terent. [And. actus. 5. scen. 4.] Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem illicis? Ouidius [in epist. Sapp.] Illuc mentis inops. Idem:* Sanguinis atque animæ corpus

Inanis. inane fuit. Hoc & cum ablatiuo iungitur. Cicero: Attic. [libro secundo epistola octaua.] Nulla enim abs te per hos dies epistola inanis re aliqua utili & suaui uenerat. Salust. [de con. Catilin.] Insolens malarum artium. Virg. [libro 1. Georg.] Ignaròsq; uiæ mecum miseratus agrestes, Ingredere. Idem [libro 10. Aeneid.] Prospicit ignarus rerum ignarúsque salutis. Ouid. [libro 8. Metamor.] Immunibus huius Esse mali dabitur. Item Largus, liber, liberalis. Virgilius [lib. 11. AEneid.] Largus opum, lingua melior, sed frigida bello Dextra. Salust. [de con. Catil.] Laudis auidi, pecuniæ liberales. Terentianus: Libera legis. Illa quoque, Maturus, memor, immemor, miser. Virgil. [libro 5. Aeneid.] Atque æui maturus Acestes. Terent. [And. actus 1. scen. 5.] Vt memor esses sui. Idem [And. actus 1. scen. 1.] Nam isthæc commemoratio quasi exprobratio immemoris beneficij est. Plaut. Cistel. [act. 4. sc. 2]

Petu=

Petulantia mea me animi miseram habet. Item, Prosper, pauper, parcus, particeps, præceps, peritus, prudens, imprudens. Horat. [lib. 4. od. 6.] *Prosperam frugum, celerémq; pronos uoluere menses.* Idem, [lib. 1. sat. 1.] *Horum ego semper optarem pauperrimus esse bonorum.* Suet. [In Tiber.] *Pecuniæ parcus ac tenax.* Iuuenal. [sat. 3.] *Participem qui te secreti fecit honesti.* Virgil. [lib. 9. Aeneid.] *Et præceps animi Tmarus.* Horat. [lib. 1. sat. 1.] *Agricolam laudet iuris legúmq; peritus.* Idem, [lib. 4. car. od. 9.] *Rerúmq; prudens, & secundis temporibus dubijsq; rectus.* Terentius [Eunuch. act. 1. sc. 2.] *Imprudens harum rerum.* Item reus & rudis. Ouid. [lib. 15. Metamorph.] *Spretarúmq; agitur legum reus.* Persius, [sat. 5.] *Arator luciferi rudis.* Cicer. [lib. 1. Offi.] *Græcarum literarum rudis.* Ad hæc sanus, satur, securus, serus, solicitus, sterilis, superstes. Plautus, [Turcul. act. 2. scen. 4.] *Satin' tu sanus mentis atq; animi tui es?* Virgil. [lib. 1. Aeneid.] *Securus amorum Germanæ.* Terentius, [Adelph. act. 5. scen. 1.] *Sed postquam intus sum omnium rerum satur.* Horat. [lib. 1. sat. 10.] *O seri studiorum.* Tacitus, in II. *Virtutum sterile seculum.* Virgil. [lib. 3. Aeneid.] *Cum tibi soli cito secreti.* Plin. natur. histor. [lib. 7. cap. 48.] *Marcus Perpenna & Lucius Volusius Saturnius, omnium quos in se*

natu sententiam rogauerunt, superstites fuere. Præterea uecors, & uanus. Apul. [lib.3.de asin. aur.] Iam uecors animi tectum scandulare conscendit. Virgilius, [lib.10.] Aut ego ueri Vana feror. Sunt ex ijs nonnulla & quæ cum alijs iuncta casibus apud autores leguntur, præsertim ablatiuis. Cicero ad Brutum, [Epistola 3.] Me uelim de tuis rebus consilijsq; facias diligentißimé certiorem Liuius, [lib.3.dec.1.] Præda compotem. Plautus, [Asin. act.1. scen.1.] Dono te ob istbuc dictum, ut expers sis metu. Cicer. de claris Orat. Inops uerbis. Plin. [lib.17.cap.24.] Caprificus omnibus immunis est, quæ adhuc diximus. Ouidius, [libro.2. Metamorph.] Ambrosiæ succo saturos. Cicero. [lib. 13. Epist.3. Attic. & libro 9. epistol. 14. famil.] Alienum est dignitate tua. Et cum præpositione. Idem: [lib.4.epistola 15. Att.] Non alienus à Sceuolæ studijs.

Nomina in datiuum.

Dandi casum adsciscunt cum multa ex iam dictis (quanquam alia quapiam ratione) nempe aliqua ex ijs, quæ iam dicentur, ut: Amator illi, Præceptor mihi, Vsibus capax. Cæcil. Plinius, [lib. 2. epist. 17.] Villa usibus capax, non sumtuosa. Tum generaliter quibus lucrum, damnũ, uoluptas, gratia, summißio, denique commodi, incommodiúe accessio alicui significatur. Hæc enim omnia metabaticôs in datiuos transeunt,

eorum aduersus quæ sic se habent, ut: Vtilis, damnosus, periculosus, difficilis, fidus, gratus, iucundus. Supplex tibi. Fidus uerò & in genitiuum. Virgilius, [lib. 12.] Præterea regina tui fidißima, dextra Occidit ipsa sua. Datiuum adsciscunt & quæ similitudinem, paritatem, uel simul esse significant, & quæ ex, con, præpositione componuntur. Præterea ex ijs quæ ad aliquid dicuntur, quæ æquiparantia uocant, ut similis, dißimilis, par, impar, æqualis, æquus, contrarius, aduersus, socius, contubernalis, commilito, conseruus, cognatus, communis, uicinus, finitimus, propinquus, amicus, inimicus, & cum his proprius & Idem, siue nomen id uoces siue pronomen. Quinetiam ex his multa genitiuis iuncta reperias, partim poßeßionis lege, ut amicus Senecæ, inimicus Cæsaris: partim aliter. Lucan. [lib. 10.] Quem metuis, par huius erat. Virgilius, [lib. 1. Aeneid.] Atq; impar congressus Achilli. Terentius. [Eunuch. act. 3. scen. 2.] Domini similis es. Cicer. Acad. [lib. 1.] Eorum quatuor, quæ supra dixi, dißimile. Idem, [lib. 1. Offic.] Commune animantium omnium est coniunctionis appetius, procreandi caussa. Hoc uerò præter datiuum & genitiuum etiam cum auferendi casu & præpositione iunctum legitur. Cicer. [de senect.] Hoc enim onere, quod mihi tecum est commune. Idem, [librb 4. Acad.]

Fidus.

Communis.

Quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententijs communis conclusio. Horatius, [lib.1.sat.5.] Nisi uos uicina Triuici uillula* cepisset. Iustin. [lib. 44.] Chalybes fluuij huius finitimi appellati. Ad hæc uerbalium quæ in lis, & participialium quæ in dus syllabis finiuntur, præsertim quæcunq; à paßiuis uerbis declinantur, paßiuorum datiuum recipiunt, ut: Amabilis, docibilis, execrabilis, legibilis, penetrabilis: Amandus, docendus, uisendus. Stat. [lib.10. Thebai.] Nulli penetrabilis astro Lucus* erat. Horat. [lib.1.car.od.24.] Nulli flebilior quàm tibi Virgili. Idem, [lib.1. Epist.6.] Hic tibi sit potius quàm tu mirabilis illi. Virgilius, [libro 3. Georg.] Nec dictu affabilis ulli. Sil. [lib.1.] Superísque habitabile saxum. Ouidius, [libro 1. Trist. eleg. 4.] O mihi post nullos unquam memorande sodales.

Nomina in accusatiuum.

In accusatiuum transeunt ex adiectiuis nominibus ea, quibus generalis mensura siue dimensio significatur, Latus, longus, crassus, profundus, altus. Sed eius dictionis, quæ priuatam mensuram significat. Plinius natur. hist. [lib.23.cap. 7.] Caulis palmum altus. Idem, [lib.6.cap.34.] In hoc cœli circumplexu æquinoctij die media, umbilicus, quem Gnomonem uocant, septem pedes longus, umbram non amplius quatuor pedes longam reddit. Præterea in genitiuum, ut Columella,

lumella, [lib.2.cap.11.] In morem horti areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenũ facito. Idem, [eod.cap.] Atque ita* mense ultimo Aprilis seritur tantum, quantum singuli cyathi seminis locum occupent, decem pedum longum, & quinque latum. Item in ablatiuum. Idem [lib. 3. cap. 13.] Auarius quidam dupondio & dodrante altum sulcum, latum pedum quinq; faciunt, deinde ter tanto spacium crudum relinquunt, ubi etiam accusatiuo est usus. Plinius 35. [cap. 14.] Longum sesquipede, latum pede. Alia rursus in modum infinitum, ut: Bonus, dignus, indignus, aptus, ineptus. Virgil. [Eclog. 5.] Cur non Mopse boni quoniam conuenimus ambo, Tu calamos inflare leues ego dicere uersus. Pom. Mel. [in procem.] Verum aspici cognoscíq; dignissimum. Ouidius, [lib.1.de arte.] Sed puer est ætas mollis & apta regi. Eodem modo Cæreus pro aptus. Horat. [in art. Poët.] Cæreus in uitium flecti. Pro actiuo tamen infinito, prosa scribentes accusatiuo gerundi modi cum præpositione potius utuntur. Vehemens ad dicendum, Piger ad salutandum. Commodus, incommodus, Vtilis, inutilis ad militandum. Pro passiuo autem, uel ultimo gerundi modo, quod per u finitur, ut: Optimum factu, Dignissimum memoratu, Horridum uisu. Horat. [lib.1.sa.4.] Sapiens uitatu quidque petitu Sit melius, caussas

reddet tibi. Plin. ad Apol. [lib.5.epi.6.] Quæ & tibi auditu & mihi relatu iucunda erunt. Vel paßiuo eo quod per dum terminatur, cum præpositione, ad. Cic. [lib.1.Tusc.] Quod non facilè ad credendum est, pro eo quod est creditu, uel ut credatur. Vtrunq; modum interim & per prouocabulum, Qui, non ineleganter interpretari autores uideas. Priorem, ut Teren. [Eunuc. act.5.scen.2.] Nam si ego digna hac contumelia sum maximè, at tu indignus qui faceres. Posteriorem. Cicer. [pro l. Manil.] Non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumq; mittatur.

Nomina in ablatiuum.

Ablatiuum uerò diuersæ personæ adsciscunt sibi hæc, Dignus, indignus, plenus, uacuus, diues, dis, locuples, fœtus, fœcundus, uiduus, cassus, orbus, truncus, extorris, præditus. Terent.* Dignus es odio cum suspitione isthac tua scelus. Iuuenal. [sat. 2.] Quanquam plena omnia gypso, Chrysippi inuenias. Cic. [lib.1. Offic.] Cum sumus necessarijs negocijs curisq; uacui. Horat. [lib.1.sat.2.] Diues agris, diues positis in fœnore nummis. Pomp. Mel. Tantum pecore ac finibus dites. Cice. pro Ros. Locuples metu. Virgil. [lib. 1. Aeneid.] Loca fœta furentibus austris. Plaut. [Cistel. act.1.scen.1.] Amor & melle & felle est fœcundißimus. Hor. [lib.1.car.od.10.] Viduus pharetra risit Apollo. Virgilius, [lib.2. Aeneid.] Nunc cassam lumine lugent. Ouidius, [lib.1.

[lib.1. trist.eleg.6.] Orba parente suo, quicunque uolumina cernis. Idem: Et generat truncas pedibus pernicibus alis. Virg. [lib.4. Aen.] Finibus extorris complexu auulsus Iuli. Cicer. pro Rabir. Senectute* affectum, morbo præditum. Terent. [And. act.1. scen.1.] Qui gnatum haberem tali ingenio præditum. Imitantur hæc et duo participia captus et contentus. Illud quoties parti iungitur, ut mente captus, oculis captus. Virgil. [lib.1. Georg.] Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ. Hoc, ut Hor. [lib.1. sa.3.] Centena dedisses huic parco paucis contento. De hoc uerò ut cum genitiuo iungitur, supra est dictum. Cum quo etiam superiorū nonnulla legas. Ouid. [in epi. Helen.] Militia est operis altera digna tui. Virg. [lib.12. Aen.] Descendam magnorum haud quaquam* indignus auorū. Salust. [de bel. Iug.] Ager aridus & uacuus frugum. Tacit. [libro 17.] Annonæ fœcunda. Virg. [li.2. Geor.] Diues opum uariarum. Idem, [lib.4. Georg.] Trunca pedum primo. Idem, [lib.1. Aen.] Quæ regio in terris nostri non plena laboris? Hoc tamen, ut Quintil. [lib.9. cap.3.] ait, suo tempore ablatiuo iunxerunt, plenus uino dicentes, non autem uini, ut ueteres. Qui igitur ueteribus esse similis cupit, uidet in hoc quid sequatur. Diuersitatis quoque nomina ablatiuos sibi cum præpositione subijciunt: Alter ab illo, Aliud ab hoc,

Diuersus ab illo. Alius uerò & sine præpositione. Horat. [lib.1.Epist.16.] Alius* sapiente bonóque. Item numeralium quæ ordinalia dicuntur: Primus à Dardano, Secundus ab Homero. Ablatiuis iunguntur et comparatiua omnia, idq; uel singularibus, uel pluralibus, ut frigidius glacie, leuius uentis: nisi partitio potius significetur quàm collatio, sic enim in genitiuum partitiuorum ritu feruntur, ut: Maior iuuenum. Soluitur comparatiuorum ablatiuus in quàm coniunctionem electiuam & nominatiuum eiusdem uocis, ut: Doctior Platone, Doctior quàm Plato: quam solam constructionem uidentur diminutiua comparatiuorum habere. Plin. [in præfa. ad Ves.] Duriusculum se fecit, quàm uolebat existimari à uernariolis tuis & famulis. Terentius [Eunuch. act.3. scen.3.] Thais* quàm ego maiuscula est. Genitiuus autem per é uel ex, partitiuorum ritu. Cæsar. Com. [lib.3. bell. ciuil.] In testamento Ptolomæi patris hæredes erant scripti, ex duobus filijs maior. Et Ouid. [in epist. Med.] Cum minor é pueris iussus studioq; uidendi Constitit ad geminæ limina prima foris. Et per, inter. Quintil. in gladiat. [decl.9.] Qui inter eos ut apparet, fortior fuit. Admittit comparatiuus nonnunquam & alterum ablatiuum, nempe eius dictionis quæ mensuram excessus significat, ut: Multò antiquior Socrate, Nihilo segnior illo.

Vocetur

Vocetur autem (si libet) hæc comparatiui transitio secunda, sicut quæ in priorem est ablatiuum, prima. Verum posterior ablatiuus, aliorũ quoq; quorundam est communis, sicut superlatiuorum nonnunquam. Quin. [lib.2.cap.11.] Declamandi* ratio ut est ex omnibus nouißimè inuenta, ita & multò est utilißima. Catul. [ad Ciceronem] Tanto peßimus omnium Poëta, Quanto tu optimus omnium Patronus. Cæterum comparatiua cum duplicem habeant ablatiuum, alterum per e, alterum finitum per i, obseruat Laurentius, cum fœmininorum ablatiuis intransitiuè sunt constructa, sæpius ea per e legi, ut secundiore fama, lætiore fortuna. Cũ alijs potius per i. Iuuen. [sat.7.] Constat leuiori bellua sumtu. Notatur uerò & per comparatiuum collatio quadruplex: Vna substantiæ ad substantiam diuersam, ut: Homo est mitior leone. Altera substantiæ ad tempus, uel ad seipsam temporis ratione uariatam, ut: Sum hilarior solito. Terent. [Eun. act.4.sc.5.] Vah quanto nunc formosior uidere mihi quàm dudum. Tertia adiectiui ad diuersum adiectiuum, ut: Est magis fortis quàm doctus, magis felix quàm prudens. Hoc modo comparatiuum cum comparatiuo nonnunquam committimus, etiam cum aduerbio, magis, autore Prisciano [lib.3.] ut: Fuit Achilles Aenea fortior, magis quàm iustior. Et Hieronymus noster de pau-

pertate. Quidam ex fratribus parcior, magis quam auarior. Et sine aduerbio, magis. Quintil. [lib.3.cap.1.] Sit salubrior studijs, quàm dulcior. Columella, [lib.5.cap.2.] At si longior fuerit quàm latior. Eadem ratione & per, an, utimur. Gellius [lib.18.cap.4.] Perincertum stolidior, an uanior. Solin. [ca.3.] Calamitosior* an beatior fuerit Augustus, ambiguum. Quarta collationis ratio est, cum ad opus uel affectionem alicuius fit comparatio. Et ea triplex. Aliâs per ablatiuum nominis, ut ditior opinione hominum id est, quàm ut homines opinentur. Et paulò aliter, ut: caussa uel lis minor dignitate nostra, pro quàm ut deceat uel quàm quæ deceat dignitatem nostram. Maior prætoria cognitione summa, pro quàm ut prætor cognoscat. Aliâs per, quàm, dupliciter: modò cum ut apostatico, & actiuè, ut notius est quàm ut ego id præcipiam. Quintil. [lib.1. cap.3.] Sed nec præceptor bonus maiore se turba quàm ut sustinere eam poßit, onerauerit, qua ratione exempla quædam modò interpretati sumus. Et paßiuè, Notius est quàm ut à me præcipiatur. Quintil. [lib.3.cap.7.] Sed hoc apertius est, quàm ut probandum sit. Modò per relatiuum, qui. Notius est, quàm quod ego præcipiam, & notius est quàm quod à me præcipiatur. Quintil. [lib.12.cap.9.] Ideo ne suscipiendæ quidem plures sunt caussæ, quàm quibus suffecturum

fecturum se sciat. Illa uerò, Maior uiginti annis, minor uiginti annis, pro eo quod est suprà uel infra ætatem uiginti annorum, monadica puto. Nam maior uiginti annorum, per defectum potius ablatiui, ætate, dicitur: uel ut Priscianus [lib. 18.] interpretatur, per defectum, illo qui est, ut sit maior illo qui est uiginti annorum. Maior uerò & maximus natu, & grandior natu, cum similibus, sicut maior & maximus ætate, dicuntur. Est enim illud, natu, monoptoton.

De comparatiuorũ pariter superlatiuorúmque natura, illud prætereundum non arbitror, quòd præter hactenus dictas constructiones, etiam positionum suarum casus nonnunquam recipiunt, diuersæ uidelicet personæ, ut dignum laude, & dignus & dignißimum laude. Auidus habendi, & auidior & auidißimus habendi. Amicus nobis, & amicior & amicißimus nobis. Horatius, [lib 1. satyr. 4.] Sapiens uitatu quidque petitu sit melius, caussas reddet tibi. Aliquando diuersum & à positionis suæ casu & suo. Salustius: Nulla arte cuiquam inferior. Plin. de Pado: [lib. 3. cap. 16.] Nulli amnium claritate inferior. Pleraque etiam adiectiua in ablatiuum feruntur eius rei secundum quam, uel ratione cuius de quopiam affirmantur: Andria genere, Syrus natione, Fuscus colore, Prudens consilio. Virgil. [lib. 1. Aen.] Forma Pulcerrima Dido.

Mart.

Mar. [lib.6.] Castus moribus, integer pudore, uelox ingenio, decore felix. Et quæ apertius per Synecdochen dicuntur. Idem: [lib. 12.] Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus.

PRONOMINVM CONSTRVCTIO.

PRonomina suapte natura transitionem in alia non faciunt, habent tamen aliâs in coniunctione cum alijs partibus proprietatem quandam, Grammatico non prætermittendam. Duplices enim demonstratiuorum primæ & secundæ personæ genitiui, pro duplici significatione, certarum uocum transitionem recipiunt, certarum respuunt: ut enim qui per is uel um finiuntur, quarundam uocum transitioni priuatim sunt addicti, ita qui per i terminantur, certas uoces habent quibus succedãt: quippe quoties post uerba, participia & participialia, usus genitiui utriusuis horum pronominum incidit, ijs qui per i finiuntur, est utendum, quorum etiam naturam &, sui, genitiuus sequitur, ut: Me tui pudet, Virgil. [eclog.2.] Nil nostri miserere. [Idem lib.3. Aen.] Oblitúsq; sui est Ithacus. Item: [Quin. in prooem. li.1.] Vt pleniore obsequio demererer amantißimos mei. Excipiuntur (quod sciam) ex omni numero uerborum duntaxat tria: quorum duo Interest & Refert, quòd ex eo nomine composita sunt, quod in hoc genus genitiuos transire non

re non poßit (ut mox dicetur) poſſeßiua alterius generis, id eſt, eorum qui per, is uel um, finiuntur, cũ ipſo nomine quod in ſe cludunt, intranſitiuè conſtructa accipere ſolent, ſic: Intereſt et refert mea, tua, noſtra, & ueſtra, quibus adduntur ſua & cuia. Cic. Ruffo. [lib. 5. ep. pen.] Quin ego omnia faciam, quæ intereſſe tua, aut etiam uelle te exiſtimem. Idem in ead. Et quod tua nihil referebat. Idem ad Curion. [lib. 2. ep. 3.] Quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet. Teren. [Eu. act. 2. ſc. 3.] Mea nil refert, dum potiar modò. Idẽ, [Phor. act. 4. ſc. 5.] Quid tua (malũ) id refert. Cic. pro Mur. Ea cædes crimini potißimum datur ei, cuia interfuit, non ei cuia nihil interfuit. Quod autem ex nomine, re uel res componantur ea uerba, de Intereſt quidem, declarant uerba Plauti, quibus id ſolutè pronunciat: Vtrunq; ueniat necne, nihil in re eſt mea. Et Terent. in And. [act. 3. ſc. 3.] Si in re* utriq; eſt ut fiant, accerſi iube. Nec eſt quòd datiuus ille ſcrupum ulli inijciat, cum eundem quoq; uerbo, refert, ſubiectum inuenias. Quod etiam ex eo nomine compoſitũ eſſe docet, prima eius ſyllaba longa. Horat. [lib. 1. ſa. 1.] Vel dic quid referat intra Naturæ fines uiuenti. Tertium eſt ipſum, eſt ſimplex, quod tamen aliter eiuſmodi poſſeßiua non recipit, niſi cũ pro, intereſt, legitur, ut Plautus in Amph. [act. 3. ſc. 4.] Quid* eſt mea? Legi

etiam

etiam pro Interest declarat illud Ciceronis ad
Attic. [lib.8.ep.6.] Scio quanti reip. sit, omnes
copias in unum locum primo quoq; tempore con
uenire. Item, Colum. [lib.1.cap.8.] Nam non est
nostri negocij alterum imperare & alterum do
cere. Simili modo & post adiectiua ferè omnia
quæ in genitiuum feruntur, ijsdem genitiuis, id
est, i, finitis utendum: Expers tui, Fidißima tui,
Compos sui, æmulus mei. Ter. [And.act.1.sc.5]
Hanc meritam esse, ut memor esses sui. Cicer. ad
Terent. [ep.14.] Reliquum est, quod ipsæ opti
mè considerabitis, uestri similes fœminæ sintne
Romæ. Ex adiectiuorum numero demuntur nu-
meralia, partitiua, particularia, et superlatiua:
quæ quoties in genitiuum multitudinis ferũtur,
eos demum horum pronominum genitiuos reci-
piunt, qui per um finiuntur: Vnus et primus no-
strum, singuli, uterq;, unusquisq;, quidam uel ali
quis uestrum, & maximus natu nostrum. Teren.
[in prolog. Heaut.] Ne cui uestrum sit mirum,
cur partes &c. Illud enim Quintiliani quod su-
prà posui, Vt pleniore obsequio demererer a-
mantißimos mei, cum similibus, absoluti non su-
perlatiui propria constructio est. Post appella-
tiua uerò (ut summa quadam complectar) siue
subsistendi uerbum intercedat, siue non, ijs qui
per is & um finiuntur, uel quæ generaliter ho-
rum loco accipi possunt, posseßiuis utendum, ut
fundus,

fundus, ager, codex, pes, oculus, meus, tuus, suus, noster, uester, uel nostrum et uestrum, uel est meus, tuus, suus, noster, uester, uel nostrum & uestrum. Plaut. [Pœnul. act. 5. sc. 4] Da diem hunc sospitem reb. mis agundis. Cic. in Philip. 4. Frequentia uestrum incredibilis. Gell. quoq; [li. 20. cap. 5.] Ex antiquis codicibus Salustianis, maiores nostrum scribendũ esse contendit. Sed mis et tis priscis quidem usitata, postea exoleuerunt. Itaq; eorum loco possesiuis necessario nunc utimur. Cæterum si quod per appellatiuum significatur, aut pars sit generalis, non specialis, eius quod significatur per pronomen, aut plané extra id quod significatur per pronomen, nec ab eo possessum, per genitiuos in i loquendum est. Exemplum partis, quam uoco generalem: ut, dimidium, pars, aliquid, nihil, multum, reliquum, residuum, plurimum, mei, tui, sui, nostri, uestri. Cic. de orat. [lib. 3.] Ex quo uereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus. Exemplum eius quod extra esse nec possessum intelligo, & respectu cuius (autore Laurentio) genitiuus pronominis accipitur pasiué, ut: Cura, solicitudo, memoria, copia, dolor, potestas, utilitas, usus, uis, fastidium, fauor, despectus, mei, tui, sui, nostri, uestri, pro his nimirum ipsis, quæ non in nobis de alijs, sed in alijs de nobis habentur. Nam si penes nos sint & de alijs habentur, dicendum

potius

potius est, cura, solicitudo, memoria, copia, dolor, potestas, utilitas, usus &c. meus tuus, suus, noster, uester, uel nostrum & uestrum. Prioris rationis exempla sunt, illud Quint. [decla. 6.] Amore mei uicit et matrem. Item Terentij* Hem tot mei soliciti sunt caussa. Et Cic. Atti. [lib. 13. epi. 1.] Vehementerq; tua sui memoria delectatur. Horat. [lib. 1. epi. 13.] Ne studio nostri pecces. Alterius rationis exempla. Virg. [li. 1. Ae.] Nate meæ uires, mea magna potentia. Item [eodem lib.] Et nostro doluisti sæpe dolore. Rursus [Ibid.] Ad urbem Sydoniam puer ire parat mea maxima cura. Sunt sanè non adeò multa, in quibus tum genitiuus in i, tum possessiuis uti permittitur: ut caussa, fama, imago, mea, tua, sua, nostra, uestra, & mei, tui, sui, nostri, uestri. Per possessiua tamen est locutio usitatior. Teren. [in prol. Hec.] Mea caussa caussam hanc suscipite. Illud non modò de utriusq; genitiuis, uerumetiam possessiuis obseruatum est, quod præter iam subijciendos, nullum usquam ex omni genitiuorum numero, præter fortasse unum, post se per appositionem recipiunt: nempe ipsius, solius, unius, duorum, trium, & sic deinceps, omnium, plurium, paucorum, cuiusq;, & generaliter participiorum. Cic. pro Mur. Ex tuo ipsius animo cōiecturam feceris. Idem in Gab. & Pisonem: Dico mea unius opera remp. esse liberatam. Idem:

Att.

Att. [lib.11.ep.15.] Solius enim meum peccatum corrigi non potest. Quin.* Deinde cum satis uires eorum explorauerint, suæ ipsorum fiduciæ permittunt. Liuius 7. ab urbe cond. Noster duorum euẽtus ostendat, utra gens bello sit melior. Plin. in Paneg. In sua cuiusq; laude præstantior. Cicer. de Orat. [lib. 3.] Sed uoluntati uestrum omnium parui. Brutus ad Cic. [epist. 7. in lib. ad Bru.] Qui uestris paucorum respondeat laudibus. Horat. [lib.1. sat. 4.] Cum mea nemo scripta legat, uulgo recitare timentis. Cato ad Cic. [lib.15.ep.5. fam.] Libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris, pari industria administrari gaudeã. Sed participiũ post possessiua hæc sæpe uertitur in prouocabulum, Qui, & uerbum. Ouid. [lib.3 .de pon. eleg.4.] Nunc mea scripta legis, qui sum summotus ad Histrum. pro summoti. Sic pro illo, uulgo recitare timentis, qui uulgo recitare timeam, dixeris. Alterius rationis, id est, finitorum per i, rariora succurrunt exempla, ut: Mei solius immemor, Sui ipsius memor. Cicer. ad Lentul. [li.1.ep.9.] Quocunq; tempore mihi potestas præsentis tui fuerit. Idem de Orat. [lib.1.] Lucium Crassum quasi colligendi sui caussa, se in Tusculanũ contulisse. Ouid. Heroid. [in ep. Acon.] Copia* placãdæ sit modò parua tui. Dixi, nisi fortasse unũ,

propter illud Terentij in Heaut. [act.5.sc.4.] Inopis te nunc misereſcat mei. quod puto monadicon. Priuatim de Noſtri & Veſtri illud ſcire licet, quòd quoties appoſitio pluralis eos ſequitur, cedere debent genitiuis in um: ut enim miſertus aut neſcius aut contemtor noſtri dixeris, ita miſertus, neſcius & contemtor noſtrum duorum uel omnium dicendum.

Noſtri. Veſtri.

PRONOMINVM RECIPROCATIO.

TRanſitus quoq; à perſona quapiam in ſeipſam, quæ reciprocatio Grammaticis dicitur, per aliud planè quàm pronomina fieri non poteſt. Fit itaque à prima perſona in ſeipſam tranſitus per idē omnino pronomen, ut ego quæ mihi ſum conſcia. Simili modo à ſecunda perſona in ſeipſam, Tu qui tibi es conſcius. Sed à tertia in ſeipſam per diuerſum omnino pronomen neceſſe eſt fiat. Vnicum enim primitiuum pronomen eſt, Sui, quod cum ſolis, tum uerò omnibus tertijs perſonis in eodem præſertim ſenſu, ipſorum in ſe tranſitionem regerit, quod præterea ipſum inchoare ſenſum nunquam poteſt. Hoc per uarios caſus, uarijs exemplorum formulis oſtendiſſe, nō ab re (puto) diſcentium erit. Dicimus igitur, Cicero reminiſcitur ſui, parcit ſibi, diligit ſe, fruitur ſe, loquitur ſecū, agnoſcit contemtum ſui. Et altero interueniente uerbo multifariam: Hortatur te redire ad ſe, uel ut redeas

ad se. Dicit te læsisse se, uel quòd læsisti se. In his tamen formulis, ubi duo sunt uerba citra ullam infinitam particulam, Græci antimetabasin, Priscianus retransitionē uocat: in qua scilicet prius uerbum in se non suam, sed secundi uerbi transitionem retorquet, ut exempla posita docent. Et sub infinito nomine alio interueniēte uerbo: ut, Dubitant quid sibi expediat. Et ubi non tam liquidò unicus cernitur sensus: ut, Dedit quod sibi erat charissimum. Obtinet enim hic quoq; relatiui sensus unius duntaxat casualis uicem, eiusque ad uerbum, Dedit, relati, quod eclipsin supplenti facilè pateat. Est enim plenum, Dedit illud, quod sibi erat charissimum. Vbi totus prouocabuli sensus explicatio est demōstratiui pronominis, illud. Quæ enim sequuntur, inter unius uerbi sensus potius sunt numeranda: Non magis alijs displicet eius neglegentia, quàm sibi. Et ita te amat ut se. Si quis enim zeugma impleat, & plenos hos sermones reddat, uidebit in altera parte totam esse reciprocationem. Verbi gratia: Quàm sibi displicet eius negligentia. Et, Vt se amat. Sed in quibus alterum interuenit uerbum, etiam per relatiua illa, ipse, ille, & is, loqui autores deprehendas. Quin. in Decla. [1.] Non petit ut illum miserum putetis, nisi & innocens fuerit. Idem: [declam.3.] Neque ignorauit quæ eum manerent pericula. Quanquam hæc re-

ctius planè haberent, si se dixisset, cum nihil aliud sit, ad quod referri reciprocum poßit. In illis enim Ciceronis aliud esse uidetur, ad quod referri poßit, ut pro Rabirio: Nec enim cuiquam eius consilium uehementius, quàm ipsi displicet. Et pro Marcello: Est uerò fortunatus, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum uentura sit lætitia. Aliquando fit transitus à tertia persona non in seipsam, sed in aliquid quod significatur ab ea possessum: uel contrà, ab eo quod à tertia persona poßidetur, ad ipsam: quibus utrisq; modis dum in una clausula transitus fit, per posseßiuum, suus, omnino loquendũ est. Posterioris modi exempla sunt: Indiget Ciceronis suus filius. Martial. [lib.5.] Et sua riserunt secula Meonidem. Cicero ad Attic. [lib.9. epi. 15.] Sed illum ulciscentur mores sui. Inducitur à Cicerõe suus Dicæarchus. Et quod possessum est, posito in obliquo. Rumor est, Cæsari insidiari familiares suos. Et, [Iustin.lib.12.] Fama est Alexandrum occidisse familiares suos. Nam illa, rogat me Cicero, ut suus habitet apud me filius, uel suus audiatur à me filius, non planè huius sunt generis. In quibus uidelicet ut per, suus, ita per eius, ipsius, uel illius loqui poßis. Prioris modi, hoc est in quo transitus à tertia persona in aliquid à se possessum significatur, exempla uarijs casibus & formulis hæc sint: Cicero reminiscitur

niscitur

niſcitur clientum ſuorum. Parcit erroribus ſuis & familiarium ſuorum. Diligit rem ſuam. Scripſit calamo ſuo. Et altero interpoſito obliquo tertiæ perſonæ, ad quem refertur poſſeßio: Percußiſti illum gladio ſuo. Relinquam legentibus iudicium ſuum. Commonefecit illum uitij ſui. Item altero uerbo interpoſito: Hortatur te redire, uel ut redeas domum ſuam. Dedit quod præcipuum erat rerum ſuarum. Scit quid doleat inimicis ſuis. Quæ namq; ſequuntur, ſi rectè inſpiciantur, unius uerbi ſunt exempla: Ita fauet tibi, ut intimis ſuis. Adeſt ut accipiat præmiũ ſuum. Mauult hîc eſſe quàm in patria ſua. Et participio interueniente, modò poſito, ut uideo hominem ſerentem agrum ſuum: modò ſubaudito, ut uidi columbã triſtem in periculo pullorum ſuorum. Et quauis præpoſitione intercedẽte, ut comitatus es illum ad ædes ſuas. Percontabor illum de regno ſuo. Cepi columbã cum pullis ſuis, uel in nido ſuo, uel extra, uel prope, uel iuxta nidum ſuum. & ita per omnes præpoſitiões, in quo maximè genere, etiam per genitiuos illos tertiæ perſonæ, eius, ipſius, illius, promiſcue, autore Valla, loqui licet, Cepi columbam cum pullis eius, uel in nido eius. Cæterum ubi tres ſunt tertiæ perſonæ, quoniam ambiguum erit ad quam potißimum referatur poſſeßio, qui amphibologiam uitare uolet, per hos potius genitiuos lo-

quetur, quoties ad secundo loco positam refertur possessio, ut: Cepit columbā cum pullis eius, potius quàm suis. Cepit furem cum socijs eius, uel ipsius, potius quàm suis. Amat Deum propter bonitatem ipsius, potius quàm suam. Cum uerò ad primo loco positam possessio refertur, per Suus potius, ut: Tuetur hominem deus propter bonitatem suam, potius quàm eius.

Est & alius in pronomine personarum transitus, huic proximo affinis: nempe cum duarum mutuus inter se transitus significatur, quæ Græcis Allelopathia dicitur. Hæc præcipuè per duo aduerbia, inuicem & mutuò, & unam plurimū præpositionem, inter, cum aliquo pronomine fit, hoc modo: Amamus nos mutuò, Diligitis uos inuicem. Dißidēt inter se, Dißidemus inter nos. Eædem locutiones & per participium, alter, geminatum proferri solent, sed figuratè, ut: Amamus alter alterum: amatis alter alterum: amant alter alterum. Verum de Inter, peculiariter obseruat Laurentius (cui pleraq; in hoc genere referimus accepta) quoties nominatiuus uel accusatiuus præcedit, per Sui, loqui autores. Cic. [lib. 1. offic.] Delectat hoc, quod inter se omnes partes corporis quodam lepôre consentiunt. Et Quintilianus: *Damonem & Phinciā Pythagoræos ferunt hoc animo inter se fuisse. Cicero tamen ad Attic. [lib. 2. epist. 7.] Si recte scriptum est,

Allelopathia.

Inter.

est, aliter loquitur, cum dicit: Vna spes est salutis, istorum inter istos dissensio. Cum uerò antecedit Genitiuus, Datiuus, uel Ablatiuus, per pronomen Ipse, potius loqui solere, ut Cicer. [in Bruto.] Nec mihi cæterorum iudicio uidetur solum, sed etiam ipsorum inter ipsos consensu. Quintilianus [libro 8. cap. 6.] Circa quem inexplicabilis & Grammaticis inter ipsos & Philosophis pugna est. Idem [libro 10. cap. 2.] Nam in magnis quoque autoribus incidunt aliqua uitiosa, & à doctis inter ipsos etiam mutuò repræhensa.

Ex demonstratiuis quatuor illa, hic, iste, ille, & is, aliquando non tam extra positum aliquid, quàm continuo in sermone dicendum demonstrant. Terent. [Eun. act. 1. scen. 2.] Vereor ne illud grauius Phædria tulerit, néue aliorsum atque ego feci acceperit, quòd heri intromissus non est. Idem [ead. scen.] Vtinam istud uerbum ex animo ac uerè diceres, potius quàm te inimicum habeam. Idem [And. act. 1. scen. 1.] Sed hoc mihi molestum est. Nam isthæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficij. Cic. [lib. 14. epist. 4.] Sed si hoc fuit liberis nostris gratius nos uiuere. Teren. [And. act. 1. scen. 1.] Nam id arbitror apprime in uita esse utile, ut ne quid nimis. Et pluraliter: Sed ijs, quas semper intellexi in te sitas, fide & taciturnitate. Videtur

Idem. &, idem, in illo Terentij [And. act. 3. scen. 4.] Si recte scriptum est, demõstratiue accipi: Ego dudum nonnihil ueritus sum abs te Daue, ne faceres idem quod uulgus seruorum solet, dolis ut me deluderes. Aliquando de absente dicitur demonstratiuum: sed uel recens præsente, uel de quo paulò antè habitus est sermo, ut in illis [Terent. Phorm. act. 2. scen. 3.] Proh deum immortalem, negat Phanium hanc esse sibi Demipho cognatam. Item [Eun. act. 1. scen. 2.] Neq; meo cordi esse quenquam cariorem hoc Phædria. Idem in Andria [act. 3. scen. 1.] Sed hic Pamphilus &c. firmauit fidem. Vbi uult Donatus, hic, additum, ut ostendatur de illo fuisse sermonem. Horum, ille et iste, priuatum usum habent.

Obseruatio de Ille & Iste. Prius, cum ob eminentiam quandam rem omnibus notam præsumi uolumus. Cic. [lib. 1. Tusc.] Nasica ille prudens, bis consul. Posterius cõtrà, cum alicuius rei cum contemtu stomachóue mentionem facimus. Terent. Munus nostrum ornato uerbis,* & istum æmulum quoad poteris, ab ea pellito. Idem [Eun. act. 1. scen. 2.] Cum milite isto præsens absens ut sies &c. me ames. Idem [act. 5. scen. 1.] Iste Chærea &c. iste ephæbus frater Phædriæ.

Relatiuum quid. Relatiua sunt, quibus repetitio fit præcedentis in oratione cuiuspiam, quoties scilicet ipsum & non aliud intelligi uolumus, quod per aliam oratio-

orationis partem quàm relatiuum fieri commodè non potest. Si quis enim dicat: Emi *agrum, & agrum relinquam tibi, incertum ſit, an de uno eodémq; agro ſit ſermo. Sin, quem relinquam tibi, nemo dubitet de eodem eſſe sermonē.* Hanc *horum pronominum uim pragmatici recentiores cum ignorauerint, inſtrumenta omnia participijs illis, præfatus, prælibatus, prædictus, & ſimilibus dehoneſtarunt. Sunt autem relatiua (ut in proximo libro diximus) numero ſex, ſimplicia quinq;, & unum compoſitum, ut in ſubiectis exemplis uidere licet. Hic, ut* Florus *[lib.1.]* Poſtremus *omnium regum fuit* Tarquinius, *cui nomen* Superbo *ex moribus datum:* Hic *regnum auitum, quòd à* Seruio *tenebatur, recipere maluit, quàm expectare.* Ille, *ut* Cic. *in* Tuſc. *[lib. 1.]* Democritum *illum magnum quidem uirum, ſed leuibus & rotundis corpuſculis efficientem animum concurſu quodam fortuito, omittamus.* Nihil *eſt enim apud illum, quod non atomorum turba conficiat.* Iſte, *ut* Terent. *[in prol.* And.*]* Quorum *æmulari exoptat negligentiam, potius quàm iſtorū obſcuram diligentiam.* Is, *ut* Saluſt. *[con.Cat.]* Igitur *de* Catilinæ *coniuratione quàm uerißimè potero, paucis abſoluam.* Nam *id facinus in primis ego memorabile exiſtimo ſceleris nouitate atq; periculi.* Idem, *ut* Cic. *ad* Appium Pulch. *[li.3.epiſt.1.]* Omni-

no tibi agit gratias, sed idem scribit meas literas maximum apud te pondus habituras.

Hic, Ille. Priuatim de Hic & Ille obseruatum est, cum ad duo anteposita referuntur, Hic ad posterius & propius, Ille ad prius & remotius referri. Plin. [li. 8. cap. 47.] Ouium ad summum* genera duo, Tectum & Colonicum: illud mollius, hoc in pascuo elegantius. Colum. [li. 6. ca. 1.] Quasi sit agricolæ contrarium pastoris propositum, cum ille quàm maximè subacto et puro solo gaudeat, hic nouali graminosóq;. Ille fructum è terra speret, hic è pecore. Peculiariter, ille, sæpe cum coniunctione Quidem iungitur, cum uidelicet aliquid concedimus, à quo mox aliud remouebimus. Cic. [de amic.] Qui autem summum bonum in uirtute ponunt, præclarè illi quidẽ: Sed hæc ipsa uirtus amicitiam & gignit & continet. Legitur tamen & sine exceptione. Hic uerò & Is eleganter post prouocabuli sensum locantur. Salust. [de con. Cat.] Scilicet quem res tanta atq; tam atrox non permouet, eum oratio accendet? Teren. [And. act. 1. sc. 5.] Quam ego animo egregiè charam pro uxore habuerim, bene & pudicè eius ductum* atq; educatũ sinam coactum egestate ingenium immutarier? Idem in Eunuch.* Qui tibi nunc uidetur uir esse, hic nebulo magnus est, ne metuas. Virg. [eclog. 4.] Cui nõ risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata



dignata cubili est. In hoc tamen genere demonstratiua potius, quam relatiua uidentur. Ibi planè relatiua sunt, cum post copulatiuam coniunctionem quasi in epexegesi ponuntur, ut: Alexander paruis copijs fretus superauit Darium cum infinito exercitu, & id in adolescentia, uel & hoc in adolescentia. Item: Vestis pauca & ea detrita & sordida. &, Paucis nummis superbit, nec ijs suis. In his tamen ultimis proprium locum habet is, non hic.

THOMAE LINACRI ANGLI, DE EMENDATA STRVCTVRA, LIBER IIII. Siue de constructione Verbi & Participij.



VERBORVM Constructio, maximè non modò uaria, uerumetiam perplexa planè est, si quis genera ipsa à quibus constructionis ratio maximè ducitur, parũ ritè distinguat. Sunt autẽ ea in uniuersum tria: Nempe Actiuũ, Paßiuum & Neutrũ. Quæ enim Deponens & Cõmune uocant, uocis magis q̃ significationis gratia, diuersum sortita sunt nomen. Siquidẽ deponens, actiui uel neutri: Verborum tria genera.

Com-

Commune actiui & paßiui significationem obtinent. Qui igitur unam tantum in actiuis rationem contemplati, cæteras ad neutra relegant, ut genera ipsa confundunt, ita constructionis proprietates necessariò miscent. Idem faciunt et qui generalium constructionum præceptis uel omißis, uel satis adhuc sibi non perspectis, ordines quosdam comminisci sunt inducti, quibus omnem uerborũ constructionem explicarent, cum interim nec unius ferè ordinis uerba satis comprehendant, nec ullum penè ordinem constituant, sub quo alterius ordinis uerba non ueniant. Nos his incommodis mederi conati, primum genera quæ memorauimus, ita distinximus, ut triplicem statuerimus actiuorum rationem. Vnam eorum quæ omnibus numeris & personis paßiuam interpretationem recipiant, ut quæ in rem præditam loquela, uel (ut Priscianus interpretatur) in id quod fateri potest, quod in se fit, transeant, ut doceo, uerbero. Alteram eorum quæ in tertia utriusque numeri eiusmodi interpretationem recipiant, ut quæ in ea transeant, quæ quoniam fateri nequeunt quod in se fit, nec primæ nec secundæ personæ paßiuæ uocis usum dederunt. Tertiam eorum quæ in aliquid cognatæ duntaxat significationis transeant, si modò in aliquid, ut: Curro, nauigo. His paßiua triplicia in libro de Partibus, quem huic necessariò

Actiuorum triplex ratio.

sariò

sariò præposuimus, ex aduerso reddidimus. Quod reliquum uerborum est, quoniam nec actiui generis est nec paßiui, ipsa rei natura inducti in neutra meritò coniecimus. Ita tametsi deponẽtiũ & communium meminerimus, tamen constructionem eorum ad hæc tria genera referemus.

Rursus quo tota mihi expeditior ratio sit, generalibus uerborũ constructionib. (hæ sunt quæ omni uerborum generi adijci à tergo possunt) seorsum positis, proprias trium quæ memorauimus generum, per se reddidimus. Nec has confusè, uel utcunq; fors tulit, sed primum simplices, deinde compositas. Quo uerò adhuc dilucidior tota mihi tractatio sit, Impersonalium quæ uocant, numerũ astrinxi, ut quæ paucis demtis ad personaliũ normam omnia reuocarim. In quam sanè non tam meam quàm ueterum omnium sententiam, ut Priscianus & ante eum Apollonius autores sunt, gaudeo doctos quosdam ex Germanis Hispanísq; non alio quàm ipsa ueritatis ui impulsos quadantenos conceßisse. Ad hæc cum pleræq; præceptionum uarias & perplexas exceptiones recipiant, placuit quo minus generalium præceptionum claritatem turbarem, eas in unam ueluti summã includere, quam idcirco Idiomaton appellauimus, quod quorundam uerborum priuatas constructiones cõtinet. Hîc quoq; quoad potui, ordinis ratiõe aliqua captata, quũ

hæc

hæc ipsa partim in genera, partim in literarum seriem digesserim. Sed cum hæc fortasse ijs, qui res ipsas expectabunt, nimium uisus fuero præfatus, quod instat aggrediamur.

Actiui constructio. Omne igitur actiuum uerbum, quod utique est actiuum in accusatiuum patientis personæ transit: ut, Doceo puerum, aro campum, uiuo uitam. Quæ ratio adeò recurrit, ut quicquid in accusatiuum huiusmodi transit, etiam sit actiuum, quòd etiam paßiuum ex se declinari natura certè patiatur, præter admodum pauca, eáque ex usu, qualia sunt, Volo, malo, facio, & quæ ab eo composita seruant, a, ut Calefacio, liquefacio, præterea doleo. Priuatim uerò actiuorum quædam in actionem transire possunt, atque infinitum modum pro accusatiuo habere. Talia sunt hæc cum synonymis, Cupio, uolo, malo, nolo, paro, cogito, affirmo, nego, cogo, incipio, instituo, censeo, sentio, scio, iudico, existimo, puto, dubito, dico, ostendo, indico, audeo, timeo, suadeo, iubeo, impero, opto, disco, debeo: ut, Volo discere, & te discere. Nolo ire, & te ire. Puto te audisse. Horum autem quædam in infinitum feruntur modum, qui solui per, ut, uel quod potest. Talis autem infinitus est, qui accusatiuum ante se uel positum uel subauditum habet. Quippe is demum ita solui potest: ut Memini me somniasse. Aio illum redisse. Rogo te adesse.

te adesse. Memini quod somniaui. Aio quod redisti. Rogo ut adsis. Quædam in infinitum, qui solui sic non potest, ut: Incepi scribere, Audeo affirmare, quæ sic tantum dicuntur. Quædam in utrunq;, ut: Scio legere, & te legere. Doceo tacere, & te tacere. His generibus commune est, quoties infinitus modus ipsius personæ actio passióue est, quæ finitum uerbum præcedit, posse id & post se similem illi personæ casum per appositionem (ut ante est traditum) recipere, ut: Possum resistere solus. Videor scripsisse hæc primus. Spero uideri tibi amicus. Et cum nominatiuum habet post se, accusatiuum minimè habere præ se. Contráq;, cum infinitus modus non eius quæ finitum uerbum præcedit, sed alterius personæ actio est, ut nec nominatiuum post se recipere, ita planè ante se accusatiuum diuersæ illius personæ necessariò habere debere: Iubeo illum saluere, Volo te rescribere. Cæterum non ignorandum infinitum hunc uariè solui post uaria uerba solere. Modò (ut Græci uocant) εἰδικῶς, id est, ut uerbi generalitatem definit per, quòd, & uerbum aliâs indicatiuum uel subiunctiuum, ut Laurentio placet [lib.2.cap.20.] Video te sapere, uideo quòd sapis & sapias. Aliâs subiunctiuum duntaxat, Iubeo te redire, iubeo quòd redeas. In hoc genere censet idem Laurentius prioris rationis esse, Credo, opinor, puto,

gaudeo,

gaudeo, lætor, uoluptatem capio, cum similibus. Posterioris illa: Mando, iubeo, impero, exigo, uolo, postulo, moneo, sino, permitto, & synonyma. Tibul. [lib.1. eleg.6.] Hanc Venus ex alto flentẽ sublimis Olympo Spectat, et infidis quòd sit acerba, monet. Ouid. de Trist. [li.5. eleg.1.] Delitias si quis lasciuáq; carmina quærit, Præmoneo, nunquam scripta quòd ista legat. Idem in epist. Sapphus, Non ut ames oro, sed* quòd amare sinas. Modò (ut ijdem Græci dicunt) τελικῶς, quando aliquid ut finem significat, per ut, sicut hæc proxima: Iubeo ut pergas, Volo ut narres. Terent. [And. act.4. scen.2.] Orare iußit si se ames, hera, ut ad se uenias. Sunt ex priore genere, quæ cum in futurum infinitum transeant, honestam eius per infinitum, fore uel futurum esse, periphrasim accipiant. Confido, auguror, spero, suspicor, uel ominor homines aliquando ueterũ lectione delectandos esse. &, Confido, spero, suspicor, uel ominor fore uel futurum esse, ut homines ueterum lectione aliquando delectentur. Sunt ediuerso quædam tertiæ actiuorum personæ, quæ ut post se accusatiuũ, ita ante se infinitum loco nominatiui accipiunt. Ea sunt, Decet, delectat, iuuat. Virgilius [libro 3. Aen.] Iuuat euasisse tot urbes Argolicas. Liuius [in præf. bell. Maced.] Me quoq; iuuat, ueluti ipse in parte laboris periculiq; fuerim,

ad finem belli Punici peruenisse. Soluuntur autem eiusmodi infiniti per quod, & subiunctiuum [Virgil. lib. 3. Aeneid.] Iuuat euasisse, Iuuat quòd euaserim. His additur, Oportet, quod simili modo infinitum ante se pro nominatiuo habet: Meminisse oportet. Recipiunt tamen hæc nihilominus & alios nominatiuos. ut Ouid. in epist. [Sapp.] Tunc te plus solito lasciuia nostra iuuabat. Virg. [Eclog.4.] Non omnes arbusta iuuant. Ouidius [lib.2. de remed.] Lude, decent animos* mollia regna tuos. Senec. [lib.5. epi.35.] Agricolam arbor perducta ad fructum delectat. Decet uerò & cum datiuo nonnunquam legitur. Cic. de Orat.* Quandoq; id deceat prudentiæ tuæ. Terent. in Adel. [act.3.sc. 5.] Vt uobis decet.

Paßiua omnia cuiuscunq; sint generis, in ablatiuum agentis personæ cum A uel ab præpositione transeunt. Horat. [lib.1.sat.2.] Laudatur ab ijs, culpatur ab illis. Ouidius. [lib.1.trist. eleg. 6.] Non tamen illa legi poterunt patienter ab ullo. Plin. ad Arrium. [lib.1.ep.10.] Amariq; ab illo laboraui. Verti potest ablatiuus hîc in datiuum ubiq; Græco (ut Seruio placet) more. Virg. [lib.1. Aeneid.] Neq; cernitur ulli. Cic. [lib. 3. offic.] Honesta bonis uiris, non occulta quæruntur. Post paßiua uerò participia uel frequentior est datiui usus quàm ablatiui.

Paßiuorum constructio.

Virg. [lib.1. Aeneid.] Nulla tuarum audita mihi neq; uisa sororum. Idem [Eclog. 2.] Præterea duo nec tuta mihi ualle reperti.

Quæ paßiuorum naturam imitentur.

Paßiuorum naturam & quinq; illa imitantur Vapulo, ueneo, liceo, exulo, & fio. Quint. lib. 9. Instit. [cap.2.] An ab re fustibus uapulasset? Idem [lib. 12. cap. 1.] Fabricius respondit se à ciue spoliari malle, quàm ab hoste uenire. Macrob. Sat. lib. VII. [cap. 1.] Si propter hoc à conuiuijs exulabit Philosophia, procul hinc facessant & alumnæ eius, honestatem dico & modestiam, nec minus cum sobrietate pietatem. Cic. Tacitus* uerò ille finis teterrimus, ut quãti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Leguntur hæc & sine ablatiuis à tergo. Iuuenalis [Sat.3.] Si rixa est ubi tu pulsas, ego uapulo tantum. Plaut. Mene. Die septimi* auctio fiet Menechme manè sanè, septimi uenibunt serui, supellex, ædes, omnia quique licebunt præsente pecunia. Horat. [lib. 1. sat.6.] Contra Leuinum Valeri genus, unde Superbus Tarquinius regno pulsus fuit, unius aßis non unquam precio pluris licuisse. Mart. [lib.6.] Paruo cum precio diu liceret. Et Quint. illud [lib. 5. cap.10.] Proditionis damnatus cum aduocato exulet. Iuuen. [Sat. 2.] Hîc fiunt homines. Recipiunt paßiua & modos infinitos. Modò post se. ut Iuuen. [Sat. 3.] Contemnere fulmina pauper Creditur. Mo-

dò ante se, & nominatiui loco. Virgil. [libro 1. Aeneid.] Cur dextram iungere dextræ Non datur? Plin. in nat. histor. [lib. 11. cap. 51.] Locustas pennarum* attritu sonare creditur. Idem [lib. 8. cap. 32.] Qualem fuisse Quintil Sertorij ceruam traditur. Hic posterior modus, id est, ubi infinitus modus finitum uerbum præcedit, uerti in priorem, ubi scilicet is sequitur, potest sic: Locustæ pennarum attritu sonare creduntur. &, Qualis fuisse Quinti Sertorij cerua traditur. Rursus prior in posteriorem, hoc modo: Creditur pauperẽ fulmina contemnere. Vtranq; figuram contulit Plin. in eundem sensum, in II. [cap. 58.] Soluiq; rerum naturæ intellectum, & confundi omnia, si aut ipse sol lapis esset, aut unquam lapidem in eo fuisse credatur. Videor, tamen paßiuum, alteram tantum harum rationum recipit, id est, in qua infinitum sequitur, ut Ter. in Heaut. [act. 1. sce. 2.] Quod mihi uidere præter ætatem tuam facere, & præterquam res adhortatur tua. Et in Eunuc.* Multo formosior uidere mihi quàm dudum. Prisc. [lib. 8.] hoc significato absolutum uocat, pro δοκῶ Græcè.

Communia sicuti actiuorum paßiuorúmque significationem obtinent, ita utriusque generis constructionem sibi uendicant: Osculor te & à te, Criminor te & à te. Huius generis pauca à Grammaticis notantur, Criminor, Experior, Communium constructio.

Hortor, Interpretor, Largior, Moror, Osculor, Veneror, Stipulor. Quibus annumeratur, Fungor: ut Col. [lib. 1. cap. 5.] Sed quisquis ædificia uolet in decliuibus areis extruere, semper ab inferiore parte auspicetur: quia cum ex depreßiore loco fuerint orsa fundamenta, non solum superficiem suam facile sustinebunt, sed & pro fultura & substratione* fungentur aduersus ea, quæ mox, si forte uillam prolatare libuerit, ad superiorem partem applicabuntur.

Neutrorum constructio.

Ex neutris, ea quibus uel paßio intra ipsa significatur, quæ Idiopathe Græci uocant, uel actio in ipsis completa, deniq; absoluta omnia, nominatiuo à priori contenta sunt, nec transitũ in alium ferè casum faciunt, quòd scilicet per se sensum absoluant: ut Palleo, pallesco, nauseo, ructo, curro, ambulo, iaceo, sto. Quædam in infinitum ferri uidentur: ut Cesso, perseuero, desino, & pergo pro perseuero. Terent. [Eu. act. 5. sce. 6.] Cesso huc intro irrumpere? Idem [act. 5. sce. 1.] Pergin' scelesta mecum perplexè loqui? Idem [in prol. And.] Et desinant male dicere. Ouid. [in epi. Sapp.] Desinite ad citharas turba uenire meas.

Quædam nominatiuo ipso (quòd ferè is certus est) abiecto, seipsis sensum perficiunt: ut, Pluit, tonat, fulminat, ningit, coruscat, hyemat, disserenat, rorat, lapidat, gelat, uesperascit. Plini.

Plin. XVIII. [cap. 35.] Cum in cacuminibus montium nubes consident, hyemabit: si cacumina pura fient, disserenabit. Liuius [lib. 7. dec. 3.] Veijs de cœlo lapidauerat. Pluit tamen cum ablatiuo iunctum legitur, sed rei quæ alienæ sit significationis. ut Plinius [lib. 2. cap. 56.] Relatum est in monumenta, lacte & sanguine pluisse. Illud præcepto non obstat, quod apud eundem legimus [in præfat. ad Ves.] Quanto tu ore patris laudes tonas? Quippe quod per translationem dicitur. Rorat uerò cum accusatiuo legitur. Plin. [li.17.ca.10.] Mirúmq; dictu periculum tantum eo die est, si rorauerit quantulumcunq; imbrem, aut si afflauerit. Peculiariter absoluta, quæ motum totius corporis significant, quoties ut pleniorem efficiant sensum, in actionem transitum faciunt, participiale in tum uolunt, ut: Eo perditum, Curro adiutum. Quod etiam in aliud participiale cum præpositione uerti potest, ut: Eo uisum, et ad uidendum. Sunt & quæ infinitos uerborum modos recipiunt, paßiuis similiter, id est, tum à priore, tum à posteriore, ut: Apparet hic uir esse probus. &, [Teren. Eunu. act. 3. sc. 2.] Apparet hunc esse seruum domini pauperis miseríq;. Soluuntúrq; hi infiniti eodem modo quo hi qui paßiuis iunguntur: Apparet quòd hic uir sit probus. Apparet quòd hic sit seruus domini pauperis. Cæte-

rum absoluta omnia, quibus intra ipsa finita significatur actio, accusatiuum ἐπιβατικῶς recipere per se possunt, sed eius rei quae uel cognatae significationis sit, ut: Curro cursum, uiuo uitam. Vel ad mensuram pertinet huiusce significati, ut curro multum. Quantū percurristi? Percurri stadium. Vixi aetatem. Cic. Catone maiore: Tertiam enim aetatem hominum uiuebat. Idem pro Sylla: Cum Lentulo & Catilina & Cethego, foedißimam uitam & miserrimam turpißima morte proposita degeret. Quin. [li.5.cap.14.] Qui uitam beatam uiuere uolet, philosophetur oportet. Virg. [lib.4.Aen.] Longam incomitata uidetur Ire uiam. Mart. [lib.3.] Te tamen ut uideam, duo milia non piget ire: Vt te non uideam, quatuor ire piget. Qua ratione actiua nimirum censeri possunt, cum etiam paßiuam interpretationem recipiant, ut in multis uidere licet. Ouid. [lib.2.Met.] Iam tertia uiuitur aetas. Plin. in 12. [ca.1.] Sine quis uita degi non poßit. Cic. de finib. [li.4.] Eáq; uita quae ex summo bono degitur. Mart. [lib.13.] Tota mihi dormitur hyems. Teren. in Adel. [act.5.sc.4.] Decurso spatio. Quin etiam absolutè accepta, id est, citra ullum accusatiuum, haec eadem paßiuam uocem accipiunt, ut curritur, statur, itur. Ouidius [lib.1.Metam.] Viuitur ex rapto. Iuuen. [Sat. 7.] Curritur ad uocem iucundam & carmen

amicae

amicæ Thebaidos. Sic tamen idipsum subauditum habent pro nominatiuo, quod absoluta eorum in o, pro accusatiuo, ut curritur, pro cursus curritur. Sicut curro, pro curro cursum. Talia enim, qualia sunt, tum illud Ciceronis ad Trebatium: *Sed nihil à me inseruitum est temporis caussa. tum ad uxorem [ep.4.] Minus est erratũ à uobis. desiderare nominatiuum non uidentur. Sunt enim, nihil & minus, nominatiui, quod declarant actiua, Nihil inseruiui, Minus errastis. Ita uidelicet dicta, sicut aliquid uel multum inseruiui, uel erraui. Vocauimus hæc in tur finita, alibi tertium paßiuorum genus, sicut illa in o, tertium actiuorum. Ablatiuum tamen personæ actricis, modò his damus, quoties uidelicet ipsam definire in animo est, ut Cæs. de bell. Gall. [lib.3.] Cum ab hostibus constanter ac non timidè pugnaretur. pro eo quod est, cum hostes pugnarent. Modò omittimus, ubi uidelicet de ea definienda nõ laboramus, ut: [Virg.6.Aen.] Itur in antiquam siluam. Sic enim tralatitius ad omnem personam & numerum est sermo, ut ex interpretatione actiua patet. Statur enim cum per se pronunciatur, pro eo quod est, sto, stas, stat: sed & stamus, statis, stant, accipi indifferenter potest, pro ut materiæ conditio postulat. Nec tamen cum hoc genus paßiua per actiua interpretamur, protinus ea esse actiuæ significatio-

nis putabimus, ſicut ueteres Grãmatici cenſent. Non magis profectò quàm alia paßiuorum genera, quorum non minus ſignificatio reddi per actiua poteſt, ut: Cædimur ab hoſtibus, Cædunt nos hoſtes. Doceor à te, doces me, doceris à me, doceo te. Illud non omittendum, in huius generis paßiuorum temporib. ijs quæ Latini non aliter, quàm periphraſi, hoc eſt, circuitione explicãt, participium ſub neutro genere duntaxat uſurpari, ut [Cic. Att. li. 2. ep. 24.] Reclamatũ eſt. [Idem li. 10. fam. ep. 21.] Itum eſt. [Teren. Eun. act. 2. ſc. 3.] Conclamatum eſt. Mihi quoq; placet à pleriſq; per o finitis uerbis, non modò neutris, eiuſmodi paßiua uerba trahi poſſe, quando omnia quoq;, ſicuti alibi diximus, abſolutè, ideóque ut neutra uſurpari poſſunt. Ab actiuis, ut ſi quærenti, quid agatur, reſpõdeas, legitur aut ſcribitur. Ter. [in prol. Eunu.] Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius exiſtimat. Cic. ad App. [li. 3. ep. 7. fam.] Cum ad me aditum eſſet ab ijs, qui dicerent à ſe intolerabilia tributa exigi. Adeo enim Priſciano actiuum eſt, quod ex paßiuo eius probat, apud Ouid. in 4. Faſt. Sol aditus quam quæris ait, ne uana labores, Nupta Iouis fratri tertia regna tenet. Plinius de canibus [li. 8. cap. 40.] Quidam ſi unus gignatur, nono die cernere: ſi gemini, decimo, et ab ea quæ fœmina ſit, ex primipera genita, citius cerni.*

Idem

Idem quoq; in 18. [cap.19.] ait: Si inter arbores uitésq; aretur. Mihi uerò Aro actiuum est, tametsi in prima persona paßiuum non recipit. Et planè necesse est ab actiuis quoq; hæc deduci, tametsi non tanquam ab actiuis, sed absolutis, cum aliter respondere aptè ad quærentem quid agatur, subinde non poßis. A neutris uerò, præterquam fortasse ab ijs quæ in Sco desinunt, ut Virg. [lib.6.] Itur in antiquam siluam. Teren. [Eunu. act.2. sc.2.] Quid agitur? statur. Idem [And. act.1. scen.1.] In ignem posita est, fletur. Plaut. [Cap. act.1. sc.1.] Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent. Verum accusatiuus is, quem absolutis dedimus, in ablatiuum autoribus sæpe mutatur. Plaut. Mil. [act.3. sc.1.] Diu uideor uita* uiuere. Idem in Persa. [act.4. sc.3.] Vt memineris mei dum uita uiuas. Seneca: Non licet inquam ire recta uia. Suet. in Aug. Morte obijt repentina. Difficilior in reliquis neutris constructionis ratio est, nempe ijs quæ transitum in aliam personam faciunt: atq; haud scio an eiusmodi, quæ aliter quàm per singula tradi commodè non poßit. Quod tametsi promtum non est, non tamen ideo referendus pes est: cum haud frustra, ut auguror, ab æquis æstimatoribus ueniam sperauero, si plurima complexus, pauca relinquam, quæ haud difficulter studiosi suis locis inserant. Nec ignoro per quosdam lo-

cos à plerisq; solere hæc tradi dicentibus quæ ad fauorem, occursum, auxilium, famulatum, obsequium, resistentiam & similia pertinent, hæc datiuum poscere. Mihi satius uisum est singillatim ea recensere tentare, quàm nihil minus uerborum, si locos eiusmodi ponerem, exceptionibus consumere.

Neutra in datiuum.

Feruntur igitur huius generis in datiuum hæc, Parco, obedio, seruio, inseruio, placeo, displiceo, obtempero, satisfacio, benefacio, malefacio, acquiesco, subuenio, succurro, occurro, obsisto, obstrepo, reclamo, obsto, repugno, faueo, studeo, aspiro, noceo, officio, adsto, hæreo, adhæreo, incumbo, impendet, imminet, tempero pro moderor, propinquo, fido, confido, inuigilo, insto, succenseo, præsideo, præsto, præualeo, præniteo, benedico, maledico, consulo pro consilium do, & prospicio. Præterea quæ à uerbo Sum, componuntur, ut Adsum, obsum, desum, præter possum. Sunt & alia quæ in datiuum feruntur, sed ferè cum infinito à priore, de quibus mox. Ex ijs quæ enumerauimus, ea quæ per o finiuntur (sicuti absoluta quæ diximus) paßiuum tertiæ personæ recipiunt, ut Seruitur, placetur, reclamatur. Quibus illa etiam communia sunt, quæ tum de recto à priore desiderato, tum de ablatiuo cum præpositione à tergo & admisso & omisso in tertio paßiuorum genere

supra

ſuprà diximus, prætérq; datiuus ipſius neutri in o, ut Cic. de offic. [lib. 2.] Occurritur autem nobis & quidem à doctis & eruditis. pro docti & eruditi occurrunt. Idem ad Lent. [lib. 1. ep. 2.] Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum eſt. pro omnes reclamarunt. In horum numerum referuntur tria illa, tametſi ſub uoce actiua: Benefit, malefit, ſatisfit. Quibus autem neutris ſpacium interuallúmue ſignificatur, hæc accuſatiuum ſibi ſubijciunt eius dictionis quæ ſpacij uel interualli menſuram ſignificat, ut Patet, porrigitur, diſtat, abeſt cum ſynonymis. Virgil. [Eclog. 3.] Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cœli ſpacium non amplius ulnas. Cic. [lib. 15. ep. 4. fam.] Cum abeſſem ab Amano iter unius diei. Ouidius [lib. 4. triſt. eleg. 10.] Millia qui nouies diſtat ab urbe decem. Cic. ad Tyronem [lib. 16. epiſt. 4.] Is locus eſt citra Leucadem ſtadia centum uiginti. Curtius [lib. 5.] Aedificia non ſunt admota muris, ſed ferè ſpacium unius iugeris abſunt. Idem accuſatiuus & actiuis paßiuiſq; aliquando ſuccedit, ut Columel. [libro. 3. cap. 13.] Campeſtris locus altè duos pedes & ſemiſſem infodiendus eſt, accliuis regio tres, præruptior uero collis uel in quatuor pedes uertendus. Vbi etiam præpoſitio adiecta cernitur. Sæpe etiam hoc genus per ablatiuum interpretantur autores.

res. Ouid. in Ibin. Iugeribúsq; nouem qui summus distat ab imo. Virgil. [lib. 11.] Nec longis inter se paßibus absunt. Plin. in 5. [capite 20.] A tergo eius mons Libanus orsus, centum quinquaginta stadijs Zamyram usq; porrigitur. Idē de Palmira urbe [lib. 5. cap.25.] Abest à Seleucia Parthorum, quæ uocatur ad Tygrim, D. trigintaseptem milibus passuum. A proximo uerò Syriæ littore, C C. quinquaginta duobus milibus passuum. Et Damasco X X V I I. milibus.

Neutra in ablatiuum.

In ablatiuum uerò transeunt hæc, Affluo, abūdo, exubero, gaudeo, careo, egeo, indigeo, supersedeo. Plaut. [Pseud. act. 1. sc. 2.] Adeò ut frumento affluam. Quin. [lib.10. cap.1.] Abundat dulcibus uitijs. Virg. in Georg. [lib.2.] Nec requies quin aut pomis exuberet annus, Aut fœtu pecorum. Ouid. [li.15. Metam.] Morte carent animæ. Terent. [And. act.4. scen.1.] Vt malis gaudeat* alienis. Ouid. [in ep. Lean.] Arte egeo nulla. Valer. Max. [li.7. cap.2.] Malo uirum pecunia quàm pecuniam uiro indigentem. Huius quoq; paßiuum protulit Plin. de auibus Seleucidibus. [li.10. cap.27.] Nunquam conspectis nisi cum præsidio earum indigetur. Cic. Sulp. [lib.4. epist.2.] Supersedeas hoc labore itineris. Idem arte Rhetor. [lib. 1.] Exemplorum multitudine supersedendum est. Ex ijs nonnulla & genitiuum admittunt. Lucil. Quarum

abun-

abundemus rerum, & quarum indigeamus. Teren. * Omnes labores mei leues fuere, præterquam tui carendum quòd erat. Sed hæc antiquiora. Cic. [pro Rosc. Ame.] Quid est quod in hac caussa defensionis * egeat? Ter. [And. act. 5. sce. 3.] Quasi tu huius indigeas patris. Gaudeo uero et cum accusatiuo legitur, sed uetustè. Terent. [And. sce. ult.] Quem scio * mea solidè solum gauisurum gaudia.

At cũ infinito à priori intransitiuè iunguntur hæc, Accidit, Contingit, Euenit, Conuenit: ut Terent. [Eu. act. 3. sce. 2.] Non conuenit unà ire cum amica imperatorem in uia. Placet, libet, licet. Est, pro licet: ut Virgil. [lib. 6.] Cernere erat. Expedit, liquet, patet, constat, sufficit, uacat. Ouid. [lib. 2. Tris.] Non uacat exiguis rebus adesse Ioui. Restat, præstat. Sal. [de con. Cat.] Nonne emori per uirtutem præstat, quàm uitam per dedecus amittere? Superest, dolet. Terent. [Eu. act. 3. sce. 1.] Dolet dictum imprudẽti adolescẽti et libero. subauditur enim, esse. Et, certum est. Virg. [Eclo. 10.] Certum est in syluis inter spelæa ferarum Malle pati. Item Terentius. [Eu. act. 1. sce. 2.] Ita facere certum est. Et stat, pro certum est. Virgil. [libro 2. Aene.] Stat casus renouare omnes. Horum pleraq; cum datiuo, sicuti neutra illa, quæ singillatim enumeraui, iunguntur. Exempla horum à me desi-

derari

derari scio: sed cum dubia esse non arbitrer, non est consiliũ his quærendis tempus consume re, quod magis dubijs est reseruandum. Quod genus est, quod hoc loco æstimandum censeo, nunquid infinitus modus, quando eum datiuus sequitur, pro nominatiuo horum sit habendus? ut in illo Horat. [lib.1. sat.1.] Eia Quid statis? nolunt. Atqui licet esse beatis. cum datiuus ille beatis, cum datiuo, uobis, qui post uerbũ, licet, necessariò subauditur, eiusdem sit personæ. Sed plané hæc locutio naturalis non est, sed figurata, datiuo posteriore in accusatiui loco per Enallagen posito, & ad finiti uerbi datiuum pro infiniti accusatiuo relato: Licet esse beatis, pro licet esse beatos. Quo etiam modo autores paßim loquuntur. Ter. [He. act.2. sc.4.] Expedit bonas esse uobis, Et Quin. [li.4. ca.4. [Procuratorẽ* tibi esse non licuit. Non omittendum Laurentio (in Raudens.) autore, Est, cum pro licet accipitur, nisi cum negatione ab oratoribus non usurpari: sed docebimus in hellenismis etiam apud oratores tũ in affirmatione, tũ negatione legi. Sunt qui obseruent, stat & certum est, ex temporibus præsens semper poscere, ut tum in supra positis exemplis, tum in illo: [Vir.12. Aen.] Stat conferre manum. Fit tamen hoc in plerisq; uel per subauditionem alterius uerbi, uel per Enallagen, ut in figuris dicetur.

Priuatim

Priuatim uerbum, Sum, uariam præter cætera neutra constructionem recipit. Nam & in patrium casum fertur eius rei, quæ posidentis rationem exhibet, ut: Pecus est Melibœi. Exhibet autem posidentis personam, quicquid, modò loqui posit, de præcedente appellatiuo uel proprio posseßiuum pronomen, meus, affirmare potest: ut in proposito exemplo genitiuus, Melibœi, respectu nominatiui pecus, eiusmodi personam repræsentat: cum posit Melibœus dicere, Pecus est meum. Transit & in datiuum, cum id per, habeo, interpretari licet, ut: [Virg. Eclo. 3.] Est mihi iniusta nouerca. pro eo quod est, habeo iniustam nouercã. Virg. [Eclo. 2.] Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. Recipit autem & aliũ subinde datiuum ab hoc omnino diuersum, nempe significantem id quod accedit, aliâs super iam dictum, ut: Est mihi lucro, uoluptati, curæ, usui, honori, infamiæ. Aliâs solum, ut: Exemplo est Regulus. &, Ea res quæstioni diu fuit. Sed in his datiuus pro nominatiuo positus uidetur, quod nominatiuum eius loco positum in eiusmodi elocutione nõ raro inuenias, ut Plinius in præfatione: Et ob id magna inuidia fuere ea omnia. Cicer. ad Quint. frat. [lib. 3. epist. 3.] Tanta inuidia sunt Consules propter suspicionem pactorum à candidatis præmiorum. Ouidius in Fast. [libro 2.] At deus ob-

Constructio uerbi Sum.

obscœna nimium quoq; parte paratus, Omnibus ad lunæ lumina risus erat. Idem de tristib. [lib.4.eleg.4.] Quo uereare minus, ne sim tibi crimen amicus, Inuidiam si qua est, autor habere potest. Idem alibi [lib.2. de arte.] Tu procul absenti cura futurus eris. Terent. in Phorm. [act.3. scen.1.] Quantus metus est mihi, uenire huc saluum nunc patruum Geta? Cicero Attic. [lib.7.epist.2.] Me, in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi dedecus est meum.* Non dißimile certè uidetur & illud Ciceronis pro lege Manil. Veruntamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: uenia danda, quod reliquerunt. Videtur & accusatiuum sic usurpasse. Cic. ad Att. [lib.6.ep.1.] Accipiam equidem dolorē, mihi illum irasci, sed multo maiorem, non esse talem, qualē putassem. Sed hic aliud est uerbum. Cæterum frequentißimus est datiui usus, etiam alijs uerbis non paucis communis, ut: Do pignori, & do tibi pignori. Habet me despectui. Plinius nat. hist. [libro 10. cap.7.] Sanqualem auem atq; Minusculum* augures Romani magnæ quæstioni habent. Datur nuptui. Cano receptui. Plautus Menech. [act. 6. sc. 3.] Benemerentem tibi habes despicatui. Idem [act.4. scen.3.] Aliam posthac inuenito, quam habeas frustratui. Horatius [libro 1. Sat. 6.] Nec timuit sibi, ne uitio quis uerteret olim.

olim. Virg. [lib. 1. Aen.] Venturum excidio Libyæ. Terent. [And. act. 2. scen. 1.] Postulare* id sibi apponi gratiæ. Idem in Adelp. [act. 1. sc. 2.] Tu nunc id tibi laudi ducis, quod tum fecisti inopia. Virgil. [Eclog. 2.] Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim. Verum post hæc omnia uerba, datiuum per in uel ad, cum accusatiuo interpretantur aliqui, quasi octauus sit casus: In pignus, in despectum, ad nubendum, in uitium, ad opus, in excidium. Item, ut Donatus, [in Andria, act. 2. scen. 1.] uult, in gratiam. Qualis etiam interpretatio & post uerbum, sum, accommodari interdum potest, ut: Tere. [And. act. 2. scen 6.] Ne ea res infamiæ sibi esset, pro ad infamiam. Possunt nonnulla ex ijs & per proprium casum uerbi explicari, iuxta prius positum Ciceronis exemplum. Per accusatiuum sic: Do tibi pignus. Et: Venturum excidium Libyæ, Et: Id sibi apponi gratiam, Et: Tibi ducis laudem, Et: Quam mihi dedit donum, Et: Ne ea res sibi esset infamia. Transit non minus tum uerbum ipsum, tum etiam participium eius ens (quod tamen semper supprimitur) & in ablatiuum, eius appellatiui, quod personæ, quæ præcessit, omnino partem aliquam corporis animiue significet, utique cum adiectiuum aliquod adiunctum habet, quod qualitatem aliquam rei per appellatiuum significatæ demonstret, & cum ipso appellatiuo in-

transitiuè construatur. Et uerbum quidem, ut: Cæsar erat procero corpore, & acri ingenio. Suet. in Cæsare: Reliqua militia secundiore fama fuit. Terentius, [Adelph. act.2.sce.1.] Leno ego sum &c. at ita ut usquam fuit fide quisquam optima. Participium ens, ut Idem: [And.act.1. scen.1.] Forte unam aspicio adolescentulam forma & uultu Sosia adeò modesto, adeò uenusto, ut nihil supra. Quo genere etiam per habeo, exponitur, ut: Cæsar habebat procerum corpus, & acre ingenium. Et: Adolescentulam habentem formam, & uultum &c. Dixi eius appellatiui, quod personæ quæ præcessit, omnino partem aliquam corporis animiúe significet, ne quis sicut Gellius, [libro 5.cap.8.] rectè dictum putet, Picus quirinali lituo erat. De quo in syllepsi plenius. Et hic quidem per ablatiuum sermo, ferè perpetuus est oratorum. Quem tamen etiam per genitiuum sæpe prolatum legas, ut: Cæsar erat proceri corporis, & acris ingenij. Plinius* Animal stridoris horrendi. Columella, [lib. 6. cap.36.] Veruntamen ab aspectu non aliter probari debet, quàm ut sit amplißimi corporis, ceruice ualida, robustis ac latis costis, pectore musculoso et uasto, femoribus lacertosis, ceruicibus* compactis, coloris nigri uel maculosi. Vbi ambæ constructiones (ut sæpe alibi apud eum) sunt mixtæ. Interdum adiectiuum huiusmodi cum

aliquo

aliquo quod præcedit, intransitiuè construitur. Et appellatiuum ipsum in ablatiuo ponitur, quæ ratio historicis frequens est. Salustius, [de con. Cat.] At ex altera parte C. Antonius pedibus æger, quòd prælio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Et Cor. Cels. [libro 1. capite 2.] At imbecillis stomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnésque penè cupidi literarum sunt. Plinius, [libro 7. capite 16.] Inuenimus in monumentis Salamiam Eutimenis filium in tria cubita triennio adoleuisse, incessu tardum, sensu hebetem, & iam puberem factum, uoce robusta, absumtum contractione membrorum subita, triennio circumacto. Martialis, [libro 6.] Castus moribus, integer pudore, uelox ingenio, decore felix. Idem: [libro 12.] Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus. Nonnunquam in accusatiuo, sed Græco more & Poëtis duntaxat, ut: Virgilius, [lib. 1. Aeneid.] Nuda genu. Hic modus multorum etiam absolutorum & omnium paßiuorum cum suis participijs communis est, ut: Lædor uel læsus manum. Pallet uel pallens labra. Extenditúrque nonnunquam ad extrinsecus posita, præsertim per participia præteriti temporis, ut Ouid. [lib. 1. fas.] Illa super suras tunicam collecta ministrat. Horatius [lib. 1. epi. 1.] Hæc recinunt iuuenes dictata senésque, Læuo suspensi loculos

tabulámque ſiniſtro. Ouidius [lib.5. Metamor.] Viridéſque manu ſiccata capillos, Fluminis Alphei ueteres narrauit amores. Videnturq; per hæc participia explicari Græcorum indefinita tempora, quaſi συλλέξασα, & ξηράνασα, ut in ſuperiore libro diximus.

Defectiua neutra in genitiuum.

Tria neutrorum generis defectiua ſunt, quæ in genitiuos, ut Grammaticis placet, ferantur: Intereſt, refert, & eſt. Liuius: *Si nihil intereſt regis, peto ut dum dico, uinculis liberer. Saluſt. Iugurth. Faciendum aliquid, quod illorum magis quàm ſua retuliſſe uideretur. Cic. Att. [li.8. epi. 6.] Scio quanti reipub. ſit, omnes copias in unum locum primo quoq; tempore conuenire.

Deponentiū conſtructio.

Deponentium uerborum quæcunque actiuæ ſignificationis ſunt, actiuorum iure in accuſatiuos perſonæ patientis tranſeunt. Virg. [Eclog. 1.] Siluestrem tenui muſam meditaris auena. Talia ſunt: Aucupor, alloquor, conſolor, deprecor, æmulor, fateor, furor, gratificor, hortor, imaginor, lucror, metor, nanciſcor, operior, percontor, queror, reor, truncor, uenor. Quæ ſi quis colligere literarum ordine ad cōmunem utilitatem uelit, non inutilem laborem ſumat. Longé uero utiliſſimam, ſi omne deponentium genus ſic colligere tentet: cum doctis quoq; nonnunquam imponant, qui ea ſub actiuorum uoce nonnunquam uſurpent. Quædam infinitum poſt

ſe reci-

ſe recipiunt, ut: Molior, inficior, reor, opinor, uereor, hortor, gratulor. Virgil. [lib.2. Aene.] Hortamur fari. Ouid. [in epi. Deian.] Gratulor Oechaliam titulis accedere noſtris. Duo ſunt quæ in genitiuum uel accuſatiuum tranſeunt, Reminiſcor & obliuiſcor. Virgil. [lib.3. Aen.] Oblitúſque ſui eſt Ithacus. Idem: [lib.2. Aen.] Hinc iam obliuiſcere Graios. Terent. [Hecyra act. 3. ſcen.3.] Eius reminiſcor. Miſereor uero in genitiuum. Virgil. [lib.2. Aen.] Miſerere laborum. Rarißimè uero in datiuum. Cic. in Tuſc. [lib.2.] Patris peſtibus miſerere.

Sed quibus neutrorum abſolutorum ſignificatio eſt, ea quoq; quoniam ſignificato ſuo auditori ſatisfaciunt, nominatiuo à priori contenta, caſum in tranſitione non exigunt. Talia ſunt: Altercor, aurigor, bachor, cachinnor, crapulor, concionor, cunctor, digladior, defetiſcor, expergiſcor, epulor, fabulor, confabulor, frumentor, gradior, geſticulor, digredior, congredior, progredior, ingredior, progradior, graſſor, iocor, lachrymor, lingnor, labor, luctor, meridior, nictor, nugor, naſcor, renaſcor, orior, exorior, obſonor, ocior, proficiſcor, poëtor, prælior, pergræcor, prophetor, præuaricor, ratiocinor, reuertor, rhetoricor, rixor, ruſticor, ſcortor, ſpacior, ſermocinor, tumultuor, triſtor, uerſor, uillicor, uerecundor,

uociferor, uelitor. Huius etiam generis absoluta quæ motum significant, sicuti similia neutra in penultimum participale feruntur: Proficiscor, gradior, reuertor uisum: Soluto etiam hoc supino in alterum, sicuti in neutris, Reuertor ad uidendum.

Reliquum deponentium neutrorum genus, quod scilicet ab agente in aliam personam transitum facit, sicuti similia neutra, partim in datiuum fertur: Auxilior, assentior, assentor, adulor, aduersor, blandior, dominor, fœneror, famulor, grator, insidior, irascor, lenocinor. Plinius, [Cæcil. lib. 1. epist. 8.] Cum illi necessitas lenocinetur. Medeor, moderor, medicor. Virg. [lib. 2. Georg.] Et senibus medicantur anhelis. Hoc & accusatiuum recipit. Virgilius, [lib. 11. Aeneid.] Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum. Minor, minitor, obsequor, palpor. Plaut. [Amph. act. 1. scen. 3.] Obseruatote quàm blande mulieri palpabitur. Refragor, suffragor. Adulor autem & cum accusatiuo legitur. Tacitus, [lib. 18.] Tigillinum aut quem alium potentium adulatus est. Hoc & actiua uoce legitur. Valerius Maximus: Si Dionysium* non adulares, illa non esses. Et huius passiuum. Cicero in Officijs: [lib. 1.] Nec adulari nos sinamus. Palpo quoque pro palpor, accusatiuo iungitur. Iuuenalis, [Satyra 1.] Quem munere palpat Carus.

Gratulor

Gratulor quoque cum accusatiuo. Cic. in Verrem, [libro 2.] Et uoce maxima uictoriam gratulatur. Partim uero transit hoc genus in ablatiuum, ut: Vtor, abutor, fruor, fruiscor, pro fruor. Metell. Domit. Ego neque aqua nec igni careo, sed summa gloria fruiscor. Fungor. Liuius* Quod annixurus pro se quisque sit, ut cum suam uicem functus officio sit, parentum, etiam patriæ expleat desiderium. Defungor, uescor, potior. Præterea alia fortaßis ratione, Delector, lætor, ut: Virgilius [Eclog. 4.] Aspice uenturo lætentur ut omnia seclo. Hoc & accusatiuo iunxit Cicer. ad Marium: [lib. 7. Epist. 1.] Vtrunque lætor, & sine dolore corporis te fuisse & animo ualuisse, Alia etiam glorior. Cæsar de de bell. Galli. [lib. 1.] Quod sua uictoria tam insolenter gloriarentur.

Hactenus uerborum primas & simplices transitiones, per quinque uel potius tria genera perstrinximus. Deinceps geminatas (διαβάσεις Græci uocant) referemus, quæ tamen in uno actiuorum genere maximé spectantur. Ex ijs igitur quædam præter accusatiuum, etiam in genitiuum uel ablatiuum feruntur. Ea sunt quæ ad accusationem, criménque pertinent, ut: Arguo, accuso, ago, alligo, arcesso, astringo, damno, condemno, incuso, insimulo, postulo, pro accuso. Cicer. pro Pomp. Sylla. Qui alterum Constructiones actiuorū diabaticæ.

coniurationis accuset. Aemil. Probus: *Accusatus hoc crimine.* Idem in Pausania: *Accusatus capitis absoluitur.* Teren. [Eu.act.4.scen.7.] *Hic furti se alligat.* Plaut. [prol.Pæ. *Ita eum furto alligat.* Idem in Pænulo. [act.3.sc.4.] *Furti se astringit.* Suet. in Cæsar. *Ne hospitem aut negligentiæ aut rusticitatis uideretur arguere.* Solinus: *Peccato argutus.* Et in rhetor. ad Heren. [libro 4.] *Arceßitur Cepio maiestatis.* Cic. de Offi. [li.2.] *Ne quem unquam innocentem iudicio capitis arcessas.* Et in rhetor. ad Heren. [li. 4.] *Maiores nostri si quando peccati mulierem damnabunt.* Cic. in Tus. [li.1.] *Capite damnatos morte mulctauit.* Idem ad Tyronem:* *Etiam sceleris condemnat generum suum.* Idem ad Curionem. [lib.2.epi.1.] *Quare si in me iniquus es iudex, condemnabo ego te eodem crimine.* Plaut. [Truc.act.1.sc.2.] *Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.* Ter. [Phor.act.2.sce. 3.] *Si herum insimulabis auaritiæ, male audies.* Hypsipyle Iasoni: *Vtinam temeraria dicar Criminibus falsis insimulasse uirum.* Sue. in Cæsare: *Cousularem & triumphalem uirum repetundarum postulauit.* Similem his constructionem habet, absoluo. Cic. ad Heren.* *Cæcilius iudex absoluit iniuriarum illum, qui Lucium Accium poëtam in scena nominatim læserat.* Liui. *Latæ deinde leges*, quæ consulē regni suspicione absoluerent.*

rent. Sunt ex ijs et quæ Syncategorematicôs construantur. Gellius.* Quàm Thimarchum de pudicitia grauiter insignitérque accusauerit. Cicer. ad Heren. [libro.1.] Lex uetat eum, qui de pecunijs repetundis damnatus sit, in concione orationem habere. His accedit et mulcto. Q. Curtius. [libro 4.] Is quoque insulas præsidijs occupat, pecunia mulctat. Sunt tamen certa nomina, ut rectè Laurentius notauit, quæ post huiusmodi uerba non nisi in ablatiuo poni soleant. Qualia sunt huiusmodi partitiua, Vterq;, neuter, nullus, alter, alius, & ambo. Quibus fortasse accedant & superlatiua: ut, Accuses ne hunc furti, an sacrilegij, an utroque uel ambobus, uel neutro? Item: Accuses ne hunc furti, an sacrilegij, an incesti, an omnibus, uel an nullo, uel an maximo ex ijs? Ex quo apparet non inepta coniectura eorum, qui genitiuos post huiusmodi uerba per eclipsin ablatiui alterius appellationis, crimine, uel similis cuiusquam pronunciatos putant. Quædam in accusatiuum & genitiuum transeunt, ut Admoneo, commoneo. Salustius [Iugurt.] Sed quoniam tanti uiri tempus admonuit. Quint. [libro 1. cap. 10.] Grammaticos sui officij commonemus. Admoneo uero et cum præpositione συγκατηγορηματικῶς. Cic. in quarto epist. [epist. 10.] Putaui ea de re te esse admonendum. Quædam cum accusatiuo etiam dati-

uum recipiunt, sed eius rei quæ ad quæstionem cui, apte redditur, ut: Confero, comparo, do, reddo, impero, præcipio, ueto, prohibeo, nuncio, indico, uindico, addico, mitto, remitto, oppono, obijcio, spondeo, promitto, submitto, subijcio, cum synonymis. Item: Dedo, deuoueo. Cæsar Comment. [lib.3.bell.Gall.] Neq; adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret. Ouid. Deuoueo capiti tristia bella tuo. Et sine datiuo. Idem in Ibin: Illũ deuoueo quem mens intelligit Ibin. Præterea quæ à præ uel ante componuntur, utiq; actiua, ut: Præpono, antepono hunc illi. Idem faciunt & deponentia similis generis, ut: Loquor, fatur, testificor, polliceor, gratificor hæc amicis. Etiam obsequor, ut Terent. [Phorm.act.1.scen.2.] Cœpi his omnia facere, obsequi quæ uellent. Ex suprà dictis quædam pro datiuo accusatiuum cum ad, recipiunt: Scribo, rescribo, Mitto remitto.

Sunt quæ alterum recipiunt accusatiuum, cuiusmodi sunt hæc: Doceo, erudio, edoceo, peto, posco, reposco, postulo, rogo, oro, exoro, obsecro, precor, flagito, exigo, exuo, celo, induo, cingo, percontor, admoneo, hortor, moneo, ut Cicer. ad Trebat. [lib.7.Epistol.22.] Silij caussam te docui. Stat. [lib.10.] Theba. Et quæ te leges præceptáq; fortia belli Erudijt, genitrix

nimium

nimium didiciſſe queretur. Gellius, *Græcas literas eruditus.* Saluſtius, [de con. Cat.] Per legatos *cuncta edoctus.* Tacitus, [lib. 12.] Experimentis *cognitum eſt* Barbaros *malle* Romam* *petere reges, quàm habere.* Plinius, [lib. 3. capite 1.] Qui Luſitaniam & Taraconenſem accolunt, iura Cordubam petunt. Virgil. [lib. 11. Aen.] Pacem te poſcimus omnes. Plaut. [Curcu. act. 5. ſc. 2] *Quam tu uirginem me repoſcis?* Cic. [lib. 2. epi. 6. fa.] Hoc te *uehementer etiam atq; etiam rogo.* Terent. [Heaut. act. 4. ſce. 1.] Primum *hoc te oro.* Plaut. [Bacchi. ſcen. ult.] Hanc *ueniam illis ſine te exorem.* Cic. [pro Quintio.] Hoc te obſecrat. Luc. [lib. 2.] *Dux etiam uotis hoc te fortuna precatur.* Cic. pro Plancio. Dicendum *eſt id, quod ille me flagitat.* Idem de legib. [lib. 1.] *Te ueritatem exigant.* Virg. [lib. 5. Aen.] Troianos *exue ceſtus.* Ouid. [in epi. Cana] Hoc te *celauimus unum.* Hoc *aliter quoque* Cic. *in epiſt.* [21. lib. 7.] Baſſus *noſter de hoc me* celauit. Mart. [lib. 8.] *Dum mutat cultus induiturq́, togam.* Virg. [lib. 2. Aen.] Et *inutile ferrum* Cingitur. Plaut. [Pſeu. act. 1. ſcen. 4.] *Sunt quæ te uolumus percontari.* Teren. [Heau. act 2. ſc. 3.] *Ridiculum eſt te iſtud me admonere* Clitipho. Cic. *in* Catil. [1. orat.] Quod te iamdudum *hortor.* Terentius, [Andria. act. 5. ſcen. 4.] *Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod*

admoneam

admoneam probè. Sunt ex ijs non pauca, quæ pro altero accusatiuo ablatiuum cum præpositione recipiant. Cæsar de bell. Gall. [libro 7.] Qui de suo aduentu doceant. De ijs quibus peti aliquid significatur, mox plura.

Alterum etiam accusatiuum accipiunt et quæ uocandi actiua uocantur, ut: Vocas me Didymũ, Nomino te Iulium. Et cum his facio, & præsto, ut: Facio te arbitrum. Cicer. [lib.1.epi.6.fam.] Præsta te eum mihi, qui à teneris unguiculis es cognitus. Sunt & quæ accusatiuum ablatiuo excipiant, qualia sunt: Spolio, priuo, emungo, uiduo, sepono, onero, exonero, fraudo, leuo, uacuo, impartio, participo, impleo, compleo, expleo, imbuo, instruo, libero, munero siue muneror, dignor, afficio, prosequor, communico, expedio, oblector, delibuo, abdico, conficio, & conficior. Virgil. [lib.6. Aen.] Postquam illum uita, uictor spoliauit Achilles. Cice.* Graui teste priuatus sum patre tuo clarißimo uiro. Horat. [in arte.] Scimus inurbanum lepido seponere dicto. Terent. [Phor. act.4.sc.4.] Emunxi argento senem. Cicero. * Homines nequißimi quibus te onerarunt mendacijs? Terentius [Phorm. act.5.sce.6.] Nósq; amicos eius exonerastis metu. Idem: *Ego nunc mihi cesso, qui hunc humerum exonerem pallio. Virg. [li.4. Aen.] Quem regno Hesperiæ fraudo, et fatalibus aruis. Idem:

[Eclog.

[Eclog. 9.] Ego hoc te fasce leuabo. Terentius, [Eun. act. 2. sc. 2.] Plurima salute Parmenonem summum suum impartit Gnato. Plautus,* Nam ille non potuit, quin aliquem familiarem suo sermone participauerit. Hoc et in genitiuum. Idem [Cistel. act. 1. sce. 3.] Paternum seruum sui participat consilij. Virgil. *Impleuítq; mero pateram pinguisq; ferinæ. Idem, [lib. 2. Aen.] Vterúmq; armato milite complent. Terent. [And. act. 2. scen. 2.] Atque expleam animum gaudio. Columell. in IX. [cap. 14.] Quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit. Idem, [lib. 4. cap. 3.] Nonnulli strenuè fabricant nauigia, nec consummata proinde instruunt armamentis ministrisq;. Horat. [lib. 1. epi. 2.] Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem, Testa diu. Terent. [And. act. 2. scen. 2.] Obsecro te quam primum hoc me miserum libera metu. Et cum præpositione. Cicer. Nihil antiquius fuit, quàm ut te à sceleratorum hominum calumnijs liberarem. Macro. [lib. 1. cap. 7. sat.] Regni eum societate munerauit. Cic. in Oecono. Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur. Item, Virgil. [lib. 1. Aen.] Haud equidem tali me dignor honore. Cic. [lib. 2. epi. 15. fam.] Magno me dolore affecissent tuæ literæ. Hoc & absolutè regitur, ut: Hoc magis afficit. Sic & paßiuum eius, Colum. [lib. 6. cap. 13.] Pulmo totus afficitur.

tur. Cicer. in Verr. [lib. 4.] Iste iratus hominem uerbis uehementioribus prosequitur. Plautus, [Mili. act. 1. sc. 1.] Communicabo te semper mensa mea. Terent. [Hecy. act. 5 sc. 1.] Te hoc crimine expedi. Solinus: Vnguentis eum delibuit. Liu. [lib. 9. dec. 3.] Dictator magistratu se abdicauit. Cicer. *Plagis confectum ante oculos tuos cecidisse. Quædam ex ijs & cum genitiuo super accusatiuum construuntur. Plaut. [Stich. act. 1. sc. 1.] Hæres uitæ me soror saturant. Virg. Postquam dextera fuit cædis saturata. Liuius. [lib. 1. dec. 1.] Adolescentem suæ temeritatis implet. Plaut. Amph. [act. 1. sc. 2.] Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo. Cic. in Ver. [lib. 7.] Completus iam mercatorum carcer esset. Virg. [lib. 1. Aen.] Implentur ueteris Bacchi, pinguisque ferinæ. In ablatiuum super accusatiuum feruntur et quæ prælationem, excessumúe significant, sed eius rei quæ mensuram excessus demonstrat, ut: Præfero hunc multo. Paulò illum superat. Aliquanto cum præcedit. Iuuenal. [Satyr. 6.] Tota cohors pede non est altior uno. Item eius rei in qua est prælatio uel excessus, ut: Præcellit uirtute. Valeri. Maxi. [lib. 3. cap. 2.] Deforme existimans, quos dignitate præstaret, ab ijs uirtute superari. Non desunt ex actiuis & quæ præter accusatiuum, ablatiuum quoq; cum præpositione à uel ab, σωκατηγορηματικῶς suscipiant.

suscipiant. Talia sunt quæ ablationem, separationemúe significat, ut: Aufero, eripio, adimo, auello, furor à te. Idem ablatiuus & in datiuum mutari potest, ut: Adimo tibi. Item quibus peti, interrogatiúe aliquid significatur, quippe quæ pro altero accusatiuorum, ablatiuum cum præpositione nonnunquam recipiunt, ut: Peto, posco, postulo, rogo, oro, quæro, flagito, interrogo à te. Sicuti ex deponentibus, Sciscitor & percontor à te. Cicer. pro Sylla. Hanc à me orationem flagitassent. Plautus, in Bac. [scen. ult.] Ego quidem ab hoc certé exorabo. Virgilius, [lib. 11.] Veniámque oremus ab ipso. Lucanus, [lib. 3.] Vxor & à charo poscet sibi fata marito. Cicer. de respon. Arusp. Nisi à senato præsidium postulassent. Fab. in IX. [Cice. pro Mure. & ad Quirit. post reditum.] Quod precatus à dijs immortalibus sum. Cice. rhetor. II. Ab aduersarijs percontabitur accusator. Idem ad Memmium: [lib. 13. epist. 1.] Nunc à te illud primum rogabo. Salust. in Iug. A Metello petendi consulatum gratia mißionem rogat.

Eorum quæ hactenus memorauimus actiuorum, exceptis ijs quæ uocandi dicuntur, communis etiam paßiuis est casus, qui in diabasi est positus. Accusaris à me furti uel furto, Redduntur nobis à te literæ, Doceor à te literas, Spolior à te ueste, Superaris ab hoc multo, Aufertur à te uestis.

Casum in diabasi etiam paßiuis communem.

te ueſtis. Cum ſcilicet ſignificatur alterum auferre à te ueſtem. Induitur togam. Petor à te ueniam, nō autem petitur à te ueniam, propter cauſſam alibi aſsignatam.

COMMVNES OMNIVM VERBORVM CONSTRVCTIONES.

Communes in datiuum.

QVAE deinceps ſequuntur conſtructiones, omni uerborum generi communes ſunt. Quippe omne uerbum in datiuum ferri poteſt eius perſonæ, in cuius gratiam, uel commodum, uel horum contraria, uerbi actio cedit, ut Virg. [Eclog.3.] Neſcio quos teneros oculus mihi faſcinat agnos. Idem, [lib.1. Aen.] Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis. Ouid. [in epi. Pene.] Diruta ſunt alijs, uni mihi Pergama reſtant. Iuuenal. [ſatyr.6.] Mœchis foliata parantur. His emitur quicquid graciles huc mittitis Indi. Virgil. lib.2. Georg.] Tibi res antiquæ laudis & artis Ingredior. Terent. [Adelph. act.1. ſcen.2.] Si quid peccat Demea, mihi peccat. Itaque hunc datiuum ueteres per, in gratiam, uel in detrimentum, ſæpe interpretantur.

Communes in ablatiuum. In inſtrumentum.

Omne præterea uerborum genus ablatiuo iungi poteſt eius rei, quæ inſtrumenti rationem obtinet. Alo lacte, Cædo uirgis, Placeo obſequio, Curro pedibus, Coërceor uinculis, Premor

mor onere. Etiam alijs ſingulorum generum con
ſtructionibus adhibitis: Alo te lacte, Coërceor
à te uinculis. Placui illis obſequio. Similiter eius In caussam.
rei, quæ cauſſam ſignat, ob quam ſiue propter
quam uerbum de Nominatiuo dicitur, ut: Verbe
rat hunc odio. Vituperat inuidia. Non donat pe
cunia. Non prodit pudore. Pulſus eſt, uel exu=
lat inuidia. Qua fortaſſe ratione dicuntur illa,
Gaudeo, Lætor, Delector tuis commodis.

Iam omne uerborum genus Ablatiuum ſibi In pretium.
ſubijcere poteſt eius rei, quæ precij rationem
obtinet: ſed ita, ſi appellatiuum ſit, ut: [Virg. li.
6.] Vendidit hic auro patriam. Hor. [li.2.ep.
2.] Eritq; tuus nummorum milibus octo. Liuius
[li.3.Dec.3.] Multo ſanguine ac uulneribus ea
Pœnis uictoria ſtetit. Perſius [Sat.5.] Et centũ
Græcos uno centuſſe licetur. Mart. [li.6.] Par=
uo cum precio diu liceret. Pauci appellatiuorũ
genitiui ſunt, qui poſt nõ multa uerba precij ra
tionem habent, Flocci, nauci, nihili, lucri, pili,
aſsis, cũ uerbo facio, ut Floccifacio, nihilifacio,
lucrifacio. Plaut. in Curg. [act.1. ſc.2.] Reſpi=
cio uos nihili meam gratiam facere. Idem in Ru=
den. [act.3. ſc.4.] Minacias ego iſtas flocci non
facio. Virg. [in Pria.] Nõ aſsis faciunt. Catul.*
Nec pili facit. Legitur & in Plaut. [Caſ. act.2.
ſc.7.] Et præter operam reſtim ſumti fecerim.
Et terunci faciam. Simile accidit & uerbo, pen=

do. Teren. [Eun. act. 3. sc. 1.] Ego illum* floccipendere. Item: Aestimo. Cat. [ad Les.] Omnes unius æstimemus aßis. Cæterum ex adiectiuis octo uel nouem maximè notauit Laurent. [lib. 3. ca. 1.] quæ si secum appellatiuum adhibitum nõ habẽt, in genitiuo poni semper solent. Sunt autem simplicia quatuor: Tanti, quanti, pluris, minoris. Cõposita quinq;: Quantiuis, quantilibet, quanticunq;, tantiuis, & tantidem. Si modò postremum hoc adiectiuum est, ut: Res tanti ualet, quanti uendi potest. Liui. [li. 9. Dec. 4.] Mancipia minora annis uiginti, quæ post proximum lustrum decẽ milibus æris aut* pluris uenissent, ea quoq; decẽ tanto pluris, quàm quanti essent, æstimarentur. Iuuen. [Sat. 7.] Atq; ideo pluris quàm Cossus agebat. Plinius 35. [cap. 10.] Neminem minoris docuit talento. Horat. [lib. 2. Sat. 3.] Quanti emptæ? paruo. quanti ergo? octußibus, Eheu. Iuuen. [Sat. 3.] Tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi. Plin. tamen in 12. [cap. 18.] hoc in ablatiuo posuit, si recte scriptum est: Tanto nobis delitiæ & fœminæ constant. Iuuen. [Sat. 7.] Quanticunq; domus constet. Quin. In pastu cadauerũ. [Decla. 12.] Hoc unum supererat, ut deuectum tantidem uenderes. Cic. in Ver. [lib. 5.] Aiebat se tantidem æstimasse, quanti sacerdotem. De, tanti, tamen non inutile notatu sit, quod aliquando non tam pla-

nè ad precium referri uidetur, quàm aliquid qd' magni ponderis sit et æstimationis, ut in illo Didûs ad Aeneam: Non ego sum tanti, quod non mediteris inique, Vt pereas, dum me per freta longa fugis. Et, [Ouid. in epi. Pene.] Vix priamus tanti totaq; Troia fuit. Plin. [li. 7. cap. 7.] Tu qui te deum credis aliquo successo tumens, tanti tamen perire potuisti. Sin eiusmodi adiectiua appellatiuum, quo precium indicatur, secum habent, in ablatiuo usurpentur, præter tantidem, quod ablatiuo caret. Et item pluris, quod adhuc notarim. Liuius XXXII. Hic miles magis placuit, cum precio minore redimendi captiuos copia fieret. Iuuen. [Satir. 9.] Quanto metiris precio, quod ni tibi deditus essem, Deuotúsque cliens, uxor tibi uirgo maneret. Nec obstat præcepto, uel quod Liui. XXVII.* ait: Sed nequaquam tantū relictum est, quantæ summæ damnatus fuerat. uel Teren. in And. [act. 5. sce. 2.] Cū faciē uideas, uidetur quantiuis precij. uel Plaut. in Epid.* Fateor me esse minimi precij. Cum in illo Liuij non tam precium quàm mulcta significetur, ut etiam Laurentius [lib. 3. ca. 1.] monuit. In alijs apellatiuum aliquod, homo uel res, subaudiatur ut sit homo uel res minimi precij, quale est illud: [Ter. He. act. 1. sc. 1.] Agrum in his regionibus meliorem, nec precij maioris nemo habet. pro neque agrum maioris precij.

Quatuor item adiectiua sunt, quorum genitiui in precio significando post duo illa, interest & refert, usurpātur. Ea sunt duo ex iam dictis, quantus & tantus, & cum his magnus & paruus. Cic. Tyroni: [li.16.epi.3.] Quanquam magni ad honorem nostrū interest quamprimum ad urbem me uenire. Tere. in Phor. [act.4.sce.5.] Quid tua, malum, id refert? Magni. Rursus duo hæc posteriora cū tribus superlatiuis, Maximus, minimus, plurimus, alijs quoq; uerbis, cuiusmodi sunt Facio, æstimo, pendo, puto, curo, in precio indicando genitiuos suos subijciunt. Aemil. Prob. in uita Catil. Magníque opera eius existimata est in prælio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal frater Hannibalis. Terent. And. [act.3.sc.3.] Meritò semp te maximi feci Chreme. Idem Heaut. [act.1.sce.1.] Tu illū nunquam ostendisti, quanti penderes. Idem Adel. [act.5. sce.4.] Ego quoq; à meis amari & magni pendi postulo. Catul. [ad Furium [Noli spernere nec putare parui. Tere. [He. act.4.sc.3.] Tu quid * de me fiat, parui curas. Cic. in epistola [9. lib.1. Fam.] A me minimi putabantur. Duobus autem primis, Interest & refert, apté (ut Laurentius [lib.3.cap.3.] uult) iunguntur, siue accusatiuos siue etiam aduerbia dicere mauis, Multū, plus, plurimum, parum, paulum, pauxillum, nihil, aliquid, & similia: ut, Multū refert, plurimum interest.

terest. Plin. ad Pom. Fal. [lib. 1. ep. 23.] Plurimũ refert, quid esse Tribunum putes. Et in eadem: Plurimum interest, quid esse Tribunatũ putes.

Sané pauca quædam notantur, quibus addere appellatiuum uel demere pro arbitrio poßis. Magnus, paruus, minimus, paulus, nimius. Teren. [Eun. act. 1. sc. 1.] Quid agas, nisi ut te redimas captum, quàm queas minimo, si nequeas paululo, at quãti queas? Virg. [li. 2. Aen.] Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ. Horat. [lib. 2. Sat. 3.] Quanti emtæ? paruo. Senec. [in lib. de Paup.] Constat paruo fames, magno fastidium. Luc. [lib. 10.] Aere merent paruo. Tere. Hecyr. [act. 1. sc. 1.] Quam minimo precio suam uoluptatem expleat. Plaut. [Bach. act. 4. sc. 8.] Pacisci cum illo paulula pecunia potes. Valerius Max. lib. 5. [ca. 4.] Magno ubiq; precio uirtus æstimatur. Duo sunt quib. addi appellatiua non solent, caro & uili. Plaut. in Epid. [act. 1. sc. 1.] Quanti eam emit? uili. Declarat idẽ & uilipendo. Prioris loco aduerbium legitur, ut in epistola Bruti ad Cic. [in lib. ad Brut. ep. 16.] Valde caré æstimas tot annos. nisi caro scribẽdum est.

Rursus quatuor sunt comparatiua, quæ ad precium demonstrandum ipsa non adhibentur, sed loco suo aduerbia de se sufficiunt: Carius, uilius, melius, peius. Martialis [libro primo.] Carius ergo cacas.

In pondus liquidiue mensuram.

Huic affine præcepto est, quanquam non tam multorum uerborum commune, quòd post non pauca uerba dictio, qua pondus liquidiue mensura significatur, in Ablatiuo ponitur. Plinius nat. histor. [lib.26. cap.7.] Iocinori priuatim teucria bibitur, recens drachmis quatuor, in poscæ hemina. Betonicæ drachma una in aqua calida cyathis tribus ad cordis uitia: In frigida cyathis duobus. Idem [eod.cap.] Agaricum uictoriati pondere tritum & in mulsa quinq; cyathis datum. Idem: Aristolochia obolis ternis ex aqua calida aut lacte asinæ pota.

In præpositionem cum suo casu.

Præpositio quoq; cum suo casu omni uerborum generi succedit, ut: Sum in agris. Iaceo ante pedes, & iuxta muros, & prope flumen. Doceo & doceor in ludo, & cum alijs, et sub tecto. Occurri ante ædes, & circa meridiem. Lætor, iocor cum amicis, in festo, sine inuidia. Et sic de alijs præpositionibus.

Communis in certas præpositiones.

Priuatim uerò quæ ex his præpositionibus, A, ab, ad, con, de, é, ex, & in, componuntur, modò præpositiones ipsæ uim suam seruent, pleraque similem omnino præpositionem cum suo casu recipiunt, & actiua quidem præter legitimum suum accusatiuum, ut in subiectis autorum exemplis uidere licet.

Abstineo. Cicer. in Sal. Facilius se à uiris abstinuerunt.

Accom-

Accommodo. Idẽ de Orat.* Africano illi supe riori coronã in cõuiuio ad caput accommodant. Accommodo.

Addo. Idem ad Ruf. [lib.5. epist. 19.] Etsi meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi potest. Addo.

Adijcio. Plaut. Mercat. [act.2. scen.2.] Ne ad illam me animum adiecisse aliqua sentiat. Adijcio.

Adhibeo. Cic. in Tusc. Quod uetat Chrysippus ad recentes quasi * rumoris animi remedium adhibere quicquam, præter nasturcium. Adhibeo.

Aduoco. Teren. [Phor. act.2. sc.1.] Amicos aduocabo ad rem hanc. Aduoco.

Adiungo. Cic. in Philip. [5.] Cæsar se ad neminem adiunxit. Adiungo.

Admoueo. Cæsar de bell. ciuil. [libro 2.] Ad turrim hostium admouent. Adhortor. Cicer. in Philip. Vt ad defendendam rempublicam te adhortarer. Admoueo. Adhortor.

Affero. Plaut. Epid. [act.5. scen.1.] Non me ministi auream* ad te afferre natali die. Affero.

Appello. Terent. [Prol. And.] Poëta cum primum animum ad scribendum appulit. Appello.

Applico. Cic. de Ora. [li.1.] Si se ad aliquem quasi patronum applicuisset. Applico.

Auerto. Suet. in Ner. A Philosophia eum mater auertit. Impono. [lib.14. de Persico.] Auerto. Impono.
Imponique leues in stipite phyllidis umbras.
Plautus in Bacchid. [actus tertij scena tertia.]

In te ergo hoc onus omne impono.

Induco. Induco. Teren. [Heaut.act.5.sc.4.] Isthuc in animum inducas tuum.

Includo. Includo. Cic.in Ver. [lib.7.] Includuntur in carcerem condemnati. Idem [Eod.lib.] In paucis uillis inclusas esse uidetis.

Inijcio. Inijcio. Teren. [And.act.1.sc.1.] Quæ sese in ignem inijcere uoluit. Plaut. [Epid.act.5.sc.2.] Tragulam inijcere in te adornat.

Expedio. Expedio. Teren. in Hec.* Quin te citius expedias ab ijs ærumnis.

Expello. Expello. Cælius ad Cic. [epist.16.] Nam me cum expulisset ex Italia Pompeius.*

Extraho. Extraho. Terent. in Heaut.* Ex quanta ærumna extraxeris.

Exuo. Exuo. Statius Theb. 9. Magnóq; é uulnere telum Exuit ipse gemens.

Exonero. Exonero. Plaut. [Epid.act.3.sc.4.] Atq; ita profectò ut eam ex hoc exoneres agro.

Deest autem accusatiuus. Reliqua uerò ex iam dictis præpositionibus composita, quæ actiua non sunt, ipsam præpositionem cum suo casu sine accusatiuo omnino recipiunt, ut Absum. Cicer. [lib.15. epist.4.] Cum abessem ab Amano. Idem [lib. 5. Tusc.] Quomodo igitur iucunda uita potest esse, à qua absit prudentia, absit moderatio? Adsum. Cato [De re rustic. cap. 83.] Mulier ne ad rem diuinam adsiet.

Absum.

Adsum.

Quæ-

Quædam uerò actiuorum non utrunq; pariter ut iam dicta uerba, hoc est, accusatiuũ & casum cũ præpositione, sed ex ijs alterũ recipiũt.

Abhorreo. Suet. in Calig. Nec abhorret à ue- Abhorreo.
ritate. Catul. * Sæuáq; abhorrebas prisci præcepta Catonis.

Adeo. Suet. [in Calig.] Libera & fœderata Adeo.
oppida sine lictoribus adibat. Terent. [Eunu. act.3. scen. 5.] Edicit, ne uir quispiam adeat ad eam. Cic. in tert. epistolarum [epist. 10.] Ad me adire quosdam memini.

Aspicio. Virg. [lib.2. Aeneid.] Iuppiter om- Aspicio.
nipotens precibus si flecteris ullis, Aspice nos. Plaut. in Cap. Agedum aspice* nos.

Euado. Suet. in Tiber. Carmilius me euasit. Euado.
Cic. pro Sylla: Cum ex insidijs euaseris.

Exeo. Terent. [Hec. act.3. sc.3.] Cum limen Exeo.
exirem. Idem [And. act.1. sc.1.] Postquam excessit ex Ephebis. Cic. lib.4. epist. [epist.1.] Ne aut tibi exire ex urbe necesse sit.

Intro. Suet. in Vespas. Aedem Serapidis sum- Intro.
motis omnibus solus intrasset. Cic. pro domo sua ad Pont. In Capitolium intrare.

Inuado. Salu. in Catil. Tanta uis morbi, uti ta- Inuado.
bes plerosq; ciuium animos inuaserat. Cic. [pro Sex. Rosc.] Qui in fortunas huius inuaserant. Sic usurpari posse uidentur & composita ab inter. Cic. [Orat.1. in Cat.] Magno me metu libe-

rabis, dummodo inter me atq; te murus intersit.

Priuatim ex ijs quæ de, Ad, con & in, componuntur, tum actiuis, tum neutris, multa non modò præpositionem ipsam (ut dictũ est) cum suo casu recipiũt, uerum etiam loco eius datiuũ, ut:

Accedo.

Accedo. Ouidius [lib. 3. Metam.] Tum uerò postquam solitas acceßit ad iras Caussa recens. Idem [in epist. Did.] Accedit fatis matris miserabilis infans.

Accido.

Accido. Teren. [And. act. 5. scen. 3.] Isthuc uerbum uerè in te accidit. Cicer. in Lælio: Nihil mali accidisse Scipioni puto.

Accommodo.

Accommodo. Quintil. Auribus* accommodent curam.

De accusatiuo cum præpositione suprà dictum est exemplum, itaq; nec repeto. Sicut nec in subiectorum quibusdam.

Adhæreo.

Adhæreo. Plaut. in Pænul. [act. 2. sc. 1.] Ne ad fundas uiscus adhæresceret. Apuleius. [lib. 1. de asin. aur.] Quæ claustris adhærent.

Adhibeo.

Adhibeo. Virgilius in 8. Hos castris adhibe socios.

Adijcio.

Adijcio. Ouid. [li. 2. de remed.] Adijce præceptis hoc quoq; Naso tuis.

Adiungo.

Adiungo. Virg. [lib. 1. Georg.] Vlmisq; adiungere uites Conueniat.

Addo.

Addo. Ouid. in 4. Met. Additur his Niseus.

Admoueo

Admoueo. Valer. 7. [cap. 2.] Qui in æque geni=

genitalem partem manum missam* cum in eum locum uentum esset, naribus equi admouit.

Adesse. Virg. [lib.2. Aen.] Cum creber ad aures Visus adesse pedum sonitus. Cæsar:* Omnibus his pugnis Dolabella affuit. Hoc & ablatiuo cum, in, iungitur. Cic. de Orat. [lib.2.] In Pauli pugna non affuerat. Adesse.

Affero. Plaut. in Epid. [act.5. scen.1.] Affer domum auxilium mihi. Affero.

Appropinquo. Hircius lib.5. Donec ad ipsas portas ac murum appropinquaret. Cæsar de bell. Gall. [lib. 7.] Cum iam muro appropinquassent. Appropinquo.

Adscribo. Horat. [lib.3. od.3.] Et adscribi quietis ordinibus patiar deorum. Hoc & cum In, iungitur, ut Cic. in Philip. [2.] Tu uerò adscribe me talem in numerum. Adscribo.

Assuesco. Cæsar lib.6. Sed assuescere ad homines & mansuefieri ne paruuli quidem excepti possunt. Virg. [lib. 3. Georg.] Vbi libera colla Seruitio assuerint. Assuesco.

Comparo. Valer. lib.7. [cap.2.] Quàm porrò subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat. Comparo.

Confero. Cic. pro Cor. Cum legibus conferremus. Iuuenal. [Sat. 13] Confer & his, ueteris qui tollunt grandia templi Pocula. Cæcil. Plin. [lib. 3. epist. 5.] Quis ex istis, qui tota uita literis Confero.

ris aßident, collatus illi &c. Aliter quoq; con=*fert pro utile est, uel auxilio est, uel addit.* Fab. lib.3. [ca. 9.] Interim *confert admirationi mul tum etiam infirmitas.* Idem [li.2.cap.20.] Scio *quæri etiam, naturáne plus ad eloquentiam con ferat an doctrina.*

Immineo. Immineo. Cic. in Phil.7. *Qui in Gallia dele=ctus habent, qui in nostras fortunas imminent.* Ouid. [lib.1. Met.] *Imminet his aër.*

Incedo. Incedo. Tere. [And. act.4. sc.3.] *Vnde noua nunc religio in te isthæc inceßit, cedo.* Virgil. [lib.4. Georg.] *Regibus inceßit magno discor dia motu.*

Includo. Includo. Cic. ad Att. [lib.1. ep.8.] Topothesiam *quam postulas,* Miseni & Puteo=*lorum, includam orationi meæ.*

Impono. Impono. Iuuen. [Sat.6.] *Imponit finem sapi=ens & rebus honestis.*

Insideo. Insideo. Virg. [lib.1. Aen.] *Insideat quantus miseræ* Deus. Cic. pro Cor. *Sed in animis omnium penitus insedit.*

Incumbo. Incumbo. Cic. epistolarum 10. [epist.1.] *Vt in remp. omni cogitatione curáq; incumberes.* Idem [lib.10. epist.10. fam.] *Mi* Plance *incumbe toto pectore ad laudem.* Virg. [Eclog.8.] *In=cumbens teriti* Damon *sic cœpit oliuæ.* Plinius nat. hist. [lib.2. cap.64.] *Namq; in illo caua in se conuexitas uergit, & cardini suo, hoc est, un=diq; terræ incumbit.*

Insilio. Insilio. Plaut. in Rud. [act.2. scen.2.] *Ambæ in*

in scapham insiluimus. Luc. [*lib.*10.] *Sed cæca nocte carinis* Insiluit C*æsar.*

Insum. Terent. [*Eu. act.*1.*scen.*1.] In *amore* Insum.
hæc omnia insunt uitia. Suet. in Tito: *Cui non minus autoritatis inesset.*

Illabor. Virgil. [*lib.* 2. Aene.] *Mediæq; mi*= Illabor.
nans illabitur urbi. Idem: [Eodem *libro.*] *Sensit medios illapsus in hostes.*

Insisto. *Plautus in* Mil. [*act.*2.*scen.*4.] Age Insisto.
nunc iam insiste in dolos. Fabius: [*in proœ. lib.* 1.] *Simul ne uulgarem uiam ingressus, alienis demum uestigijs insisterem.* Terentius [*Eun. act.*2. *sce.*3.] Quam *insistam uiam. ubi legatur, qua insistam uia: ut dubitari poßit de illo, alienis uestigijs, datiuine sit, an ablatiui.* Idem accidit ali*quando &, de, præpositioni.*

Detraho. *Ouidius de* Tristib. [*libro* 5.*elegia* Detraho.
15.] *Detrahat autori multum fortuna licebit.* Et *sine accusatiuo eclipticôs.* Cicero *ad* Appium: [*lib.*3.*epist.*8.] Ego *si in prouincia detrahere de tua fama unquã cogitassem.* Idem *de responsis* Arusp. Qui *in concione detrahat de* Pompeio.

Ex *ijs uerò quæ de, ab, à, de, ex componuntur, non pauca ablatiuum citra præpositionem accipiunt.* Abstineo. Cicero [*lib.*7. *epist.*17. Abstineo.
fam.] Qui *me ostreis & murenis abstinebam, à beta & malua* * *captus sum.*

Auerte. Virgil. [*lib.*1.Aene.] Nec *posse ita*= Auerto.

lia Teu=

lia Teucrorum auertere regem.

Auello. Auello. Idem: [lib.2.] Fatale aggreßi sacrato auellere templo Palladium.

Absum. Absum. Suet. in Cæsar. Italia abesset.

Amolior. Amolior. Luci. [libro 5.] Humeris iam pondere feßis Amolitur onus. Detrudo. Virg. [lib.

Detrudunt. 1. Aene.] Detrudunt naues scopulo.

Desisto. Desisto. Idem: [Eod. libro.] Méne incepto desistere uictam? (spe deiecti.

Deijcio. Deijcio. Cæsar: [lib. 1. bel. Gal.] Heluetij ea

Emoueo. Emoueo. Virgil. [libro 2. Aene.] Emoti procumbunt cardine postes.

Egredior. Egredior. Idem: [Eod. lib.] Est urbe egressis tumulus.

Exire. Exire. Idem: [Eclo. 1.] Neq; seruitio me exire licebat.

Exigo. Exigo. Italia exigitur.

Similem constructionem habent, quanquam non ex similibus præpositionibus composita, Arceo, Sepono, Summoueo, Pello: ut, Italia pellerentur, Italia summouit. Virgil. [lib. 1. Aene.] Arcebat longa Latio. Suet. Domit, Philosophos omnes urbe Italiáq; summouit. Hor. [in arte] Scimus inurbanũ lepido seponere dicto. Sicuti quæ ex, Ad, con, in, um per, componuntur, etiam harum præpositionum qualibet non adhibita, casum tamen eius admittunt, ut.

Aduenio. Aduenio. Virg. [lib. 1. Aeneid.] Tyriam qui adueneris urbem.

Acced-

Accedo. Idem [eod.lib.] *Quas uento acces- serat oras.* Accedo.

Concludo. Teren. [And.act.2.sc.4.] *Vt ab illa excludar, hac concludar.* Concludo.

Infigo. Virg. [lib. 4. Aen.] *Hærent infixi pectore uultus.* Infigo.

Perlabor. Idem [lib.1. Aen.] *Atq; rotis summas leuibus perlabitur undas.* Perlabor.

Hac maximè ratione uidentur Exulo & Expedio, ablatiuum sibi subijcere.

Expedio. Teren. in Heaut.* *Téq; hoc crimine expedi.* Exulo. Cic. Tus. [lib.3.] *Telamonem pulsum patriáq; exulantem.* Teren. [Eun. act.3.scen.5.] *Domo exulo.* Expedio. Exulo.

Priuatim quoq; urbiũ & oppidorũ propria post quoduis accommodatũ uerbũ succedere citra præpositionem possunt. Vtiq; quod tanquã ad locũ significat, uel quod ad quæstionẽ factam per Quò, redditur, in accusatiuo, ut: Eo Romã, Tarentum, Carthaginem. Quorum naturã duo etiam appellatiua imitantur, rus & domus. Ter. [Eunu.act.2.sc.1.] *Ego rus ibo.* Ouid. [in epi. Laodom.] *Quò ruitis? uestras quisq; redite domos.* Virg. [Eclo.10.] *Ite domum saturæ, uenit hesperus, ite capellæ.* Quod uerò ueluti à loco significat, uel ad quæstionẽ Vnde respondetur, in ablatiuo: Veni Roma, Tarento, Thebis. Addo etiã, rure & domo. Eodem casu usurpantur Communis in urbem oppidúmue.

non-

nonnunquam & quæ ueluti per locum significant, siue quæ percōtanti Quâ, reddas, ut: Transiui Roma, Tarento, Rure, domo. Hoc tamen modo loquendi utimur & in alijs quàm urbium nominibus, ut Horat. [lib.1.sat.9.] Ibam forte uia *quadam, sicut meus est mos. Aliquando etiam præpositione cum urbium nominibus addita, ut Hircius de bel. Hisp. Et ad Cordubā se recepit.

At quæ in loco significant, uel ad quæstionē Vbi referuntur, si primæ nominū declinationis uel secūdæ sint, & singularis numeri, in genitiuo uerba sequi solent, ut: Fui Romæ, Tarenti, uel Londini. Quorū naturā appellatiua quatuor imitantur, Domi, militiæ, belli, humi. Horat. [lib.1.epi.ult.] Me primis urbis belli placuisse domiq;. Cicer. de offic.2. Præterea quibuscunq; rebus uel belli uel domi poterunt, remp. augeant. Salu. Sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiæq;, mari atq; terra præclara facinora fecit. Liui. [in præfatione operis.] Quibus artibus domi militiæq; & partū & auctum imperiū sit. Humi quoq; ad imitationē horum usurpatū est, non tamen eodē omnino significato, cū aliâs super humū significare uideatur, ut Virg. [Eclog.3.] Qui legitis flores & humi nascentia fraga. Hora. [in arte] Serpit humi, tutus nimium, timidúsq; procellæ. Aliâs in humum, uel ad humum, ut Idem: * Procumbi

cumbit humi bos. Stat. [lib.7.Thebai.] Sternet humi populos, miserúmque exhauriet orbem. Comprobat hanc interpretationem, quòd etiam autores sic loquantur. Curt. [lib. 3.] Plura in humum innoxia cadebant. Tacit. [lib.12.] Proiectus in humum. Ouidius, Vipereos dentes in humum pro semine iactos. Aliâs intra humum. Columel. [lib.2.cap.12.] Cumulísq; exaggeruntur, ut latius sese frutex humi diffundat. Sin uel pluralis numeri sint, uel genitiuum in is mittant, prosa scribentibus, ut Seruius obseruat, in datiuo uerbis succedunt. Plinius,* Cum spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisceret. Suetonius, [in Calig.] Lentulus Getulicus Tiburi genitum scribit. Cicer. ad Attic. [lib. 16. Episto. 3.] Conuento Antonio Tiburi. Idem ad eundem [ead. epist.] Sextum nunciauit cum una sola legione fuisse Carthagini. Liuius, [libro 5. dec. 1.] Neglectum Anxuri præsidium. Simili modo ruri. Columel. [lib.1.cap.2.] Ruri moretur. Terent. (ut cuius quanquam Poëtæ, prosæ quàm uersui propior sit oratio) Ruri ferè se continet. In quo Festus sentire cum Seruio uidetur. Eius uerba sunt: Ruri esse, non rure esse dicendum, testis est Terentius Phormione, [act. 2. scen. 3.] cum ait: Ruri ferè se continebat, ubi agrum de nostro patre colendum habebat. Poëtis uerò in ablatiuo. Horat. [lib.1.epist.8.] Ro-

mæ Tibur amem, uẽtosus Tibure Romam. Idem: [eod. lib. epist. 7.] Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum. Virgil. in quarto: Tyria Carthagine qui nunc Expectat. Pers. [sat. 3.] Rure paterno est tibi far modicum. Iuue. [sat. 6.] Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno Viuentis. Priscianus sine exceptione tum uersu tũ prosa scribentibus, in ablatiuo ponenda censet. Sed quàm uerè, facilè existimari ex propositis licet. Cæterum non infrequens est eorum in ablatiuo usus etiam apud oratores. Cicer. in Philip. [2.] Cum tu Narbone mensas hospitum conuomeres. Idem de natura deorum: Sepultus* esse dicitur Lacedæmone. Idem ad Seruium Sulp. [lib. 13. ep. 22.] Commendo tibi &c. domum eius, quæ est Sicyone. Plin. nat. hist. [lib. 35. cap. 10.] Effectum Sicyone primum, deinde in tota Græcia. Non est ignorandũm, quod eorum de quibus egimus, genitiuus, domi, quinq; tantum pronomina: Meæ, tuæ, suæ, nostræ, & uestræ, & unum nomen, alienæ, iungi secum patitur, ut: Domi meæ, tuæ, suæ. Domi alienæ.

Communis in datiuum gratiæ.

Omne præterea uerbum in datiuum ferri potest eius personæ, ut cuius gratiam uel detrimentum actio uerbi cedit, ut Virgil. [Eclog. 1.] Cui pendere sua petereris in arbore poma. Idem, Georg. [lib. 3.] Cuncta mihi Alpheum linquens lucósque Molorchi. Significatur enim, In cuius

gratiam,

gratiam, In meam gratiam uel honorem.

Dictio præterea qua tempus rei gerendæ significatur, si ueluti ad quæstionem, Quamdiu, redditum ponitur, cuicunq; uerbo succedit, & continuatum aliquod tempus necessario significare uidetur, & per accusatiuum uel ablatiuum efferri potest. Virgil. [lib.1.Aen.] Hic iam ter centum totos regnabitur annos. Cice. pro reditu suo: Qui totos dies de officio & de uirtute disserunt. Suet. in August. In lectum deinde transgressus, non amplius cum plurimum quàm septem horas dormiebat, & ne eas quidem continuas, sed ut in illo temporis spacio ter aut quater expergisceretur. Plin. nat. hist. Sub arctico uertice nemo sex mensibus uidet solem. Sueton. in Calig. Vixit annis XXIX. imperauit triennio & decem mensibus, diebúsq; octo. At si ueluti ad quæstionem Quando, redditur, in ablatiuo plurimum usurpabitur, ut: Veni hora prima. Cicer. Superioribus diebus ueni in Cumanũ. Idem pro Roscio: [Comœdo.] Criminatio tua, quæ est Roscium cum Flauio pro societate decidisse. Quo tempore? Ab hinc annis quindecim. Dicimus tamen tanquam eiusmodi quæstioni reddentes, etiam præpositione adhibita: Veni ad diem statutum, & in ipso tempore. Et in Epistola Ciceronis ad Terentiam: [Quinta.] Athenis ad quintumdecimum Calendas Nouembris. Rarum

Communis in tempus.

omnino in accusatiuo, ut Plin. ad Canid. Rufum: [lib. 3. epist. 7.] In hac tamen tranquillitate annum quintum & sexagesimum* decessit. Cicer. pro Milone: Profectus est id* tempus, cum iam Clodius, siquidem eo die Romam uenturus erat &c. Sed hîc Græca uidetur Eclipsis. Si tamen alicuius harum, Ante, post, intra, uel circiter, circunstantia in eiusmodi sermone est explicanda, ipsis præpositionibus omnino positis utendum, ut: Veni post uel ante festum, & circiter Calendas. Absoluam opus intra paucos dies. Hoc tamen ultimum & per ablatiuum honestè sæpe interpretamur. Terent. [And. act. 1. sc. 1.] Paucis diebus, quibus hæc acta sunt Chrysis uicina hæc moritur. Plinius, [lib. 18. cap. 6.] Felix biennio moritur, si frondem agere non patiaris. Cic. [de senect.] Qui his paucis diebus factus est pontifex. Idem, [pro Milo.] Triduo aut ad summum quatriduo periturum. Sic dicitur, memoria nostra & memoria patrum nostrorum. Cæsar: [lib. 1. bel. Gall.] Hic pagus cum unus cum domo exisset, patrum nostrorum memoria L. Cassium consulem interfecerat, pro intra memoriam. Videtur & præpositionem. post, cum suo accusatiuo, per ablatiuum interpretatus Cicero ad Cassium, [lib. 15. epi. 14.] cum dicit: Vt te quem iam diu plurimi facio, tanto interuallo uiderem, id est (ut mihi uidetur) post tantum interuallum.

Nullum

Nullum prætereà uerbum est, quod sensum, ut, cōiunctioni subiectum telicôs admittere posse non poßit: Doceo Grammaticam, ut alij discant. Doceor Grammaticam, ut emendatè loquar. Adsum ut doleas. Surgo ut sedeas. Ipse seruio, ut tu sis liber. Hunc sensum Poëtæ interdum per infinitum modum Græco more interpretantur, ut in Hellenismis dicetur. Virg. [li.1. Aeneid.] Hoc regnum dea gentibus esse, Si qua fata sinant, iam tum tenditq; fouetq;. Communis in Vt telicôn.

Quinq; numero defectiua notantur, quæ impersonalia uulgo Grammaticorum dicuntur: Pœnitet, tædet, miseret, piget, pudet. Hæc quoties infinita uerborum adiuncta non habent, in genitiuum & accusatiuum feruntur, ut: Miseret me fratris, Piget me laboris, Pœnitet illum impendij. Cum uerò infinitum adnexum habent, si quid post se recipiunt, in accusatiuo ponetur, infinito ipso nominatiui locum supplente, ut: Pœnitet nos te non affuisse, nisi quis infinitum hoc, genitiuum esse contendat, sic: Pœnitet nos huius rei, cuius? nempe te non affuisse. Quod utique à resolutione horum uerborum, quam Priscianus affert, alienum non est. Sic enim resoluit: Pœnitet, tædet, pudet, miseret me tui. Pœnitentia, pudor, tædium, misericordia habet me tui. Additur, miserescit, quod horum naturam imitatur. Terentius, [in Heaut. [act.5.scen.4.] Inopis te Constructio pœnitet, tædet &c.

nunc misereſcat mei. Item, *ueritum eſt*, pro *puduit* uel *puditum eſt*. Cic. de Finib. [lib.2.] Primum Ariſtippi Cyrenaicorumq; omnium, quos non ueritum in ea uoluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moueret, ſummum bonum ponere. Item in præſenti. Sed apud Actium ex Nonio: Veretur te progenitoris. Leguntur tamen & cũ nominatiuis aliqua horum intranſitiuè coniuncta. Mart. [lib.4.] Nulli Thai negas, ſed ſi te non pudet iſtud, Hoc ſaltem pudeat Thai, negare nihil. Terent. in Adelph. [act.4.ſce.7.] Hei mihi, non te hæc pudent? Luc. VIII. Semper metuit, quem ſæua pudebunt Supplicia. Plaut. [Capti. act.3. ſcen.5.] Neminis miſereri certum eſt, quia nemo miſeret mei. Teren. [in prol. Heau.] Neq; ſe id pigere. Vbi circa infinitum duo ſunt accuſatiui, quorum prior agentis eſt perſonæ. Cicer. Rhet. II. Deinde utrum facinus ſit, quod pœnitere fuerit neceſſe. Et in alio ſignificato, nempe pro, Parum eſt, uel uidetur, ut Gellius & Donatus interpretantur. Terent. [Heau. act.1. ſc.1.] Me quoq; *quantum hic operis fit, pœnitet. Idem: [Eunuch. act.5. ſcen.7.] An pœnitebat flagitij te autore quod feciſſet adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares? Cicer. [lib.12. epiſto.3. Attic.] Nec pœnitet me quantum profecerim. Mœrorem minui, dolorem nec potui, nec ſi poſſem, uellem. Item pro pudet. Virgilius,

gilius, [Eclog. 2.] Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Liuius,* Nec me eorum sententiæ esse pœnitet. Vel pro tædet. Cic. in Cato. Num igitur sic ad centesimum uixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret? Non ignorandum quibusdam ex ijs duplicia præterita dari. Legimus enim, puduit & puditum est. Sili. X. Mens abijt puduitq; fugæ. Plaut. [Bacchid. act. 3. sc. 1.] Neque me* neq; te tuis intus puditum est factis. Stat. VII. Nec pigitum paruósque lares humilésque subire. Quibusdam unicum & paßiuæ uocis: à miseret enim, misertum est: Et à tædet uel potius pertædet, pertæsum est. Terent. [Heautont. act. 3. scen. 1.] Sic me dij amabunt, ut tuarum misertum est fortunarum. Virgil. [lib. 4.] Si non pertæsum thalami, tædæq; fuisset. A miseret & tertij ordinis paßiuum legitur. Cicer. pro Liga. Cauete* fratrum pro fratris salute precantium uos misereatur.

Notantur & sex tertiæ uerborum personæ, quæ quoties infinitis uocatorum impersonalium, aut etiam tertij generis paßiuorum iunguntur, absolutorum formam suscipiunt. Ea sunt hæc: Incipit, Cœpit, Desinit, Debet, Solet, & Potest, ut Quintil. in VII. [cap. 1.] Vbi primum cœperat non* conueniri, quæstio oriebatur. Idem, [libro 10. capit. 1.] Sed ut perueniri ad summam* nisi ex principijs non potest. Idem:

[in prolo. lib.4.] Mihi quoq; profectò poterit ignosci. Tædere solet auaros impendij. Solet quæri à multis. Debet stari ante ostium Thaidis. Cicer. [lib.3. Tuscul.] Non potest iucunde uiui nisi cum uirtute uiuatur.

VERBORVM IDIOMATA.

NVNC quæ promisimus certorum uerborum, quæ uarijs casibus iunguntur, idiomata quædam, id est, priuatas quasdam rationes aggrediemur. Ea igitur in duplex genus diducimus: Alia enim pro diuersa significatione, in uarios casus feruntur: alia ex usu tantum autorum. Quorũ generum nonnulla quæ reperiuntur communia , sparsim in ijs duobus pro ut alterutrius magis uisa erunt, tractabuntur, seruato in generibus literarum ordine. Ergo quæ pro diuerso autorum usu in uarios feruntur casus, talia sunt:

Abstineo. Abstineo genitiuo. Horat. [lib.3.od.27.] Abstineo * dixi irarum calidæq; rixæ. Et ablatiuo. Ouid. [in epist. Helen.] Est uirtus placitis abstinuisse bonis. Iustin. [lib.1.] Contenti uictoria, imperio abstinebant. Ablatiuo & accusatiuo. Liui. *Romano bello fortuna Alexandrum Magnum abstinuit. Ablatiuo cum præpositione. Lucanus, [lib.4.] A trepido uix abstinet ira* magistro. Et cum accusatiuo adiuncto. Liuius: [libro 8.dec.1.] Bellum ab innoxia populo abstineat.

neat. Et datiuo, loco ablatiui cum præpositione. Plautus:* Abstine isti hanc tu manum.

Admoneo in genitiuum. Salust. Iug. Sed quoniam tanti uiri tempus admonuit. Ouid. de trist. [lib. 1. eleg. 6.] Ocia delectent, admoneántque mei. In accusatiuum. Cicer. ad Treb. [libro 7. epist. 13.] Sed ut ego quoq; te aliquid &c. admoneam. Terent. [Heautont. act. 2. sce. 3.] Ridiculum est te istud me admonere. In ablatiuum cum præpositione, de. Cicer. epist. libro IIII. [epistola 10.] Putaui ea de re te esse admonendum. Idem pro lege Manil. De quo uos paulò ante admonui. Admoneo.

Antecedo in datiuum. Cic. de officijs: [lib. 1.] Quantum natura hominis pecudibus reliquísq; bestijs antecedat. In accusatiuum. Suet. in Aug. Et magnificentia omnes antecessit. Antecedo.

Anteeo in datiuum. Plautus. Amphit. [act. 2. scen. 2.] Virtus omnibus rebus anteit profectò. In accusatiuum. Salust. in Iugurt. Et cum omnes gloria anteiret. Anteeo.

Antestat in datiuum. Gellius: [lib. 7. cap. 5.] Qui gestus & uocis claritudine & uenustate cæteris antestabat. In accusatiuum. Apul. [lib. 7. de as. aur.] Tunc inter eos unus, qui robore cæteros antestabat. Antestat.

Attendo in datiuum. Suet. in Galb. Inter liberales disciplinas attendit & Iuri. In accusatiuum. Attendo.

uum. Cicer. pro Archia: Quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis.

Affluo. Affluo in ablatiuum. Plautus, [Pseud. act. 1. scen. 2.] Atq; adeò ut frumento affluam. In datiuum. Ouidius: [lib. 1. de remed.] Affluit incautis desidiosus* amor.

Adscribo. Adscribo datiuo. Horat. [lib. 3. od. 3.] Adscribi quietis ordinibus patiar deorum. Et accusatiuo cum, in. Cic. Philip. [2.] Tu uerò adscribe me in talem numerum.

Assentio. Assentio & assentior datiuo. Cic. lib. 1. ep. 9. fam.] Senatus mihi assensus est. Et datiuo cum accusatiuo. Idem de orat. [lib. 1.] Cætera assentior Crasso. Idem, [lib. 3.] Namque ego assentior illud Theophrasto.

Celo. Celo & celor in accusatiuum. Ouidius in epistola Canac. Hoc te celauimus unum. In ablatiuum cum præpositione, ut Cicero pro Deiot. De armis, de ferro, de insidijs celare te noluit. Idem in Epistola ad Metellum: [lib. 5. Epist. 2.] Debes existimare te maximis de rebus à fratre esse celatum. In datiuum. Terentius, in Phormione: * Si hoc celetur patri, in metu sum. Aemil. Prob. Id Alcibiadi celari diutius non potuit.

Confido. Confido in datiuum. Cæsar. de bell. Ciuil. [libro 2. & lib. 1. de bell. Gall.] Cui maximé confidebat. In ablatiuum. Idem de bell. Gall. [lib. 3.] Multum natura loci confidebant.

Conduco

Conduco in datiuum. Colum. [lib.3. cap.13.] Id minimè conducit agricolæ. Cice. Lentulo, [libro 1. epist. 9.] Id reipub. rationibus putem conducere. In accusatiuum cum, ad Plaut. Ca. [actu 4. scen. 2.] Ad uentris uictum conducunt. Item in accusatiuum cum, in. Plaut. Cistel. [act.3. scena 1.] Quod tuam in rem bene conducat. In accusatiuum, sed alia significatione. Iuuenalis, [satyr.3.] Conducunt foricas. Conduco.

Compleo in genitiuum. Cic. in Ver. [lib.7.] Completus iam mercatorum carcer esset. In ablatiuum. Virg. [lib.2. Aen.] Vterúmq; armato milite complent. Compleo.

Conqueror accusatiuo. Suet. in Aug. Vicem suam conquestus est. Idem in Claudio, accusatiuo cum, ob: Ipse quodam libello conqueritur ob hanc eandem ualetudinem. Ablatiuo cum, de. Idem in Aug. Tiberio quoq; de eadem re sedulò uiolentius apud se per Epistolam conquerenti, ita rescripsit. Conqueror.

Decet datiuo. Tacit. Decere nobis terram. Cicero: de orator. Quandoque id deceat prudentiæ tuæ. Accusatiuo. Ouid. [li.1. de remed.] Lude, decent animos* mollia regna tuos. Huius compositum dedecet, & accusatiuo cum præpositione, ut Cic. Offic. [lib.1.] Vt si quid dedeceat in illos*, uitemus ipsi. Decet.

Discrutior in genitiuum. Plautus, in Aulul. Discrutior [act.1.

[act.1.sce.2.] Discrutior animi. In accusatiuum & ablatiuum, ut Diomedes ait: Discrucior animum & animo.

Do. Do accusatiuo et datiuo simul. Plaut. in Trinu. [act.2.scen.4.] Est ager sub urbe hic nobis, eum dabo dotem sorori. Virg. [eclog.2.] Dono mihi quam dedit olim. Item accusatiuo cum, in. Terent. [And. act.1. scen.3.] Me præcipitem in pistrinum dabit. Idem: [And. act.3. sc.4.] Vtinam mihi esset aliquid hîc, quo nunc me præcipitem darem, pro in quod.

Doleo. Doleo in accusatiuum. Ouid. de Tri. [lib.4. eleg.3.] Tu uerò tua damna dole. Stat. in Theb. [lib.3.] Bellorum extrema dolemus. Sueton. [in Tibe.] Se quoq; respondit uicem eorum dolere. Hoc tamen Priscianus pro inuicem exponit. In ablatiuum. Virg. [lib.1. Aen.] Et nostro doluisti sæpe dolore. In accusatiuum cum, propter, in eodem significato. Quin. in.9. Nec potest ei credere aut propter eum dolere & irasci iudex, cui putat hoc uacare. In datiuum. Terent. [Eunuch. act.1. scen.2.] Aut hoc tibi doleret, itidem ut mihi dolet. In ablatiuum cum, de, sed in significato, propter. Ouid. [lib.4. trist. eleg.10.] Sum miser & de me quod doluere nihil.

Dissentio. Dissentio tibi & à te. Quin. Instit. [libro 1. cap.10.] Huic opinioni neq; omnino accedo, neque planè dissentio. Columel. [lib.3. cap.3.] Sed ego

ego plurimorum opinioni dissentiens, preciosum uinitorem in primis esse censeo. Cicer. M. Marcello: [lib.4.epist.7.fam.] Non quin ab eo ipso dissentiam, sed quòd ea te sapientia esse iudicem, ut meum consilium non anteponam tuo.

Dico, in Epexegesi quiddam peculiare habet. Nam & in accusatiuo usurpatur. Cicer. ad Att. [lib.2.epist.3.] Nam fuit apud me Cornelius, hunc dico Balbum. Idem, [lib.4. Epist.16.] Itaque Cæsaris amici (me dico & Oppium) disrumparis licet. Et in alijs casibus. Quint. [lib.8. cap.6.] Incipiamus ab eo, qui cum frequentißimus est, tum longè pulcerrimus, translatione dico. Horat. Ser. [lib.1.sat.2.] Tutior at quanto merx est in classe secunda Libertinarum dico. Dico.

Facio genitiuo. Cic. ad Att. [lib.7.epist.7.] Tranquillißimus autem animus meus, qui totum istud æqui boni facit. Item infinito. Idem Philip. [12.] Facite hoc meum consilium, legiones nouas non improbare. In subiunctiuum cum, ut: Cum ueluti periphrasis alterius est uerbi. Cic. ad Attic. [lib.3. epist.7.] Non faciam ut enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam iniuriam. Terentius. [And. act.3. scen.4.] Ne faceres idem quod uulgus seruorum solet, dolis ut me deluderes. Cæsar comment. [lib.1. bell. Gall.] Omnibus Gallis idem esse faciendum quod Heluetij fecerunt, ut domo emigrent. Colu. [lib.8. Facio.

cap.3.]

cap.3.]Hoc enim & salubrius & elegantius est, quàm illud quod quidam faciunt, ut palis in parietes uehementer actis uimineos quallos superimponant, pro non enumerabo, Emigrandum est, Superimponere. Simili ratione usurpatur huius uerbi paßiuum Fio. Iuuen. [sat.4.] Vnde fit ut malim fraterculus esse gygantum. Horat. [lib.1.sat.1.] Inde fit ut raro, qui se uixisse beatum Dicat, & exacto contentus temporæ uitæ Cedat, uti conuiua satur, reperire queamus. Significat enim, Vnde malo, Vnde raro reperire quimus. Similis periphrasis & per uerbum Est inuenitur, ut Terent. Phorm. [act.2.scen.1.] Si est patrue, culpam ut Antipho in se admiserit, ex qua re minus rei foret aut famæ temperans. Idem: [Phorm. act.5.scen. 8.] Si uis mihi uxorem dare quam despondisti, ducam: Sin est ut uelis manere illam apud te, dos hic omnis maneat Demipho, pro Si admisit, Sin uis. Non dißimilis periphrasis est & in illo Catonis: [de re rust. in principio.] Est interdum præstare populo, mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet, pro Præstat interdum.

Fido. Fido in datiuum. Virg.9. Et fidere nocti. Et in ablatiuum. Idem in 7. Molliri iam tecta uidet, iam fidere terræ.

Fastidio. Fastidio in genitiuum. Plautus, Aulul. [act.1. sc.4] Abijt neq; me certiorem fecit, fastidit mei.

In accu-

In accusatiuum. Virg. in Buc. [Eclog. 2.] Inuenies alium, si te hic fastidit Alexis.

Fungor in accusatiuum. Sueton. in August. Fungor. Qui suam uicem præsidendo fungerentur. Idem [in eod.] Senatoria munera fugerentur. Terent. in Adelph. [act. 3. scen. 4.] Liberalis functus est officiũ uiri. In ablatiuum. Idem, [act. 4. scen. 3.] Et tuo officio fueris functus.

Gaudeo in datiuum. Cic. ad Basil. [lib. 6. epistola 15.] Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor. In ablatiuum cum præpositione. Terentius in Hecyr. [act. 1. scen. 2.] Vt tacita mecum gaudeam. In ablatiuum. Idem in Andria, act. 4. scen. 1.] Vt malis gaudeat, atque ex incommodis alterius sua ut comparet commoda. In ablatiuum cum de. Cicer. ad Marium: [libro 7. Epistol. 2.] De Sursa te gaudere certo scio. In accusatiuum cum, propter. Idem de finibus: [libro 2.] Est autem à te semper dictum, nec gaudere quenquam nisi propter corpus, nec dolere. Et ibidem: Vt is qui propter me aliquid gaudeat. In accusatiuum. Idem de claris oratoribus: Simul illud gaudeo, quod & æqualitas uestra &c. Plautus, in Mostel. [act. 1. scen. 3] Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono. Cælius Cicer. 8. epist. [epist. 2.] In Theatrum Curionis Hortensius introijt, puto ut suum gaudium gauderemus. Terentius, in And. [scen. ult.]

Hunc

Hunc scio me solidè solum gauisurum gaudia.

Grauor. Grauor in accusatiuum. Suet. in August. Ampla & operosa prætoria grauabatur. In ablatiuum. Virgilius, [lib. 9. Aen.] Pluuia cum fortè grauantur. Seruius: Grauor, grauiter fero.

Habito. Habito in ablatiuum cum, in. Terent. [And. act. 4. sce. 5.] In hac habitasse platea dictum est Chrisidis patrem*. In ablatiuum. Virgil. [lib. 3. Aen.] Habitabant uallibus imis. Propert. li. 2.] Et ipse Straminea posset dux habitare casa. Virgilius, [lib. 6.] Lucis habitamus opacis. In accusatiuum. Idem: [Eclog. 2.] Habitarunt dij quoque syluas.

Incido. Incido in æs & ære. Liuius tertio ab urbe cond. Leges in æs incisas in publico proposuerunt. Cicer. in Ver. [lib. 6.] Incisum in ære nobis tradiderunt. Cæcil. Plin. in Panegyr. Incidenda in ære censuistis. Frequentior est tamen accusatiui usus.

Inceßit. Inceßit in datiuum. Virgilius, Georg. [lib. 4.] Regibus inceßit magno discordia motu. Liuius. [libro 4. dec. 1.] Grauior cura patribus inceßit. Valer. Maxim. [in procem. lib. 1.] Nec mihi cuncta complectendi cupido inceßit. Et in accusatiuum. Liu. [lib. 2. dec. 1.] Magnus plebem metus inceßit. Idem, [lib. 1. dec. 1.] Timor deinde patres inceßit. Curtius, [lib. 3.] Non mediocres omnium animos formido incesserat. Et cum in, præpositione. Terentius, [And.

act. 4.

act.4.scen.3.] Vnde noua nunc religio in te isthæc inceßit, cedo.

Illudo in datiuum. Virgil. [lib 2. Aen.] Certantq; illudere capto. *In accusatiuum.* Idem alibi [lib.9. Aen.] Verbis uirtutem illude superbis. Illudo.

Insulto in accusatiuum. Salustius: Multos à pueritia bonos insultauerat. *In datiuum.* Suetonius in Cæsar. Ex eo insultaturum omnium capitibus. *Et absolutè.* Virgilius: [lib.10.] Cernis ut insultent Rutuli? id est, per cauillationem irrideant, ut Seruius interpretatur. Insulto.

Inuado in datiuum. Varro: Tanta porrò inuasit cupiditas bonorum plerisque. *Et accusatiuum.* Salust. Iugur. Milites Iugurthini signo dato castra hostium inuadunt. Virg. [lib.2. Aen.] Inuadunt urbem somno uinoq; sepultam. *Etiam cum præpositione, in.* Cicer. [lib. 9. ep. 9. fam.] Non potui magis in arcem illius caussæ inuadere. Idem: [pro Sext. Rosc.] Accusant hi, qui in fortunas huius inuaserunt. Salustius Catil. Tanta uis auariciæ in animos eorum, ueluti tabes inuaserat. Inuado.

Inuideo in genitiuum. Plaut. in Most. [act.1. scen. 3.] Qui inuident, ne unquam eorum quisquam inuideat prorsus commodi. * *In accusatiuum & datiuum.* Virgil. [Eclog.7.] Liber pampineas inuidit collibus* uuas. Cicer. [lib.3. Tus.] Optimam nobis naturam inuidisse uideantur. Inuideo.

Plinius: [lib.1.epist.10.] Neq; ut multi, inuideo alijs bonum, quo careo. In ablatiuum. Luc. [lib. 7.] Inuidet igne rogi miseris. In ablatiuum cum, in. Cicer. pro Luc. Flac. Purpuram* Tyriam, in qua tibi inuideo. Huius etiam paßiuum legitur. Plin.* Nonne si inuideris, maior es eo qui inuidet? Horat. [in arte.] Ego cur acquirere pauca, Si possum, inuideor?

Impleo. Impleo in genitiuum. Liuius: [lib.2. dec.1.] Adolescentem suæ temeritatis impleuit. Virgil. [lib.1. Aen.] Implentur ueteris bacchi pinguisque ferinæ. In ablatiuum. Idem: [eodem libro,] Impleuitq; mero pateram. Luc. [lib.1.] Implentur ualido tyrone cohortes. In ablatiuum cum, de. Martial. [lib.14.] Hos nisi de flaua* loculos implere moneta, Non decet, argentum uilia ligna ferant.

Interdico. Interdico cum datiuo & ablatiuo. Suet. August. Alteri ob ingratum et maleuolum animum domo & prouincijs interdixit. Et paßiué. Cic. in Catone: Male* rem gerentibus, patrijs bonis interdici solet. Cæcil. Plin. [lib.3.Epi.9.] Prisco in biennium Italia interdictum. Et ablatiuo sine datiuo, ut: Interdicunt aqua & igne. Et datiuo sine ablatiuo. Cicero ad Pontifices pro domo sua: Veluti iubeatis, ut M. Tullio aqua & ignis interdicatur. Sueton. Claudio: Hi, quibus magistratus interdicerentur. Actiuum uerò, & accusatiuo

accusatiuo cum datiuo. Sueton. Domit. Interdixit histrionibus scenam. Liuius XLIIII. Fœminis duntaxat usum purpuræ interdicemus. Iustin. [lib. 5.] Cui paulò ante omnem humanam opem interdixerant. Ouid. [lib. 6. Metamor.] Cui quondam regia coniunx Orbem interdixit. Item accusatiuo cum ablatiuo. Cæsar de bel. gal. [lib. 1.] Omni Gallia Romanos interdixisset. Et datiuo soli. Cicer. in Ver.* Pater improbus, cui nemo interdicere posset. Sed hîc pro obsistere uel obstare ponitur.

Impertio. Impertio & impartior in accusatiuum & ablatiuum. Terentius Adelph. [act. 3. scen. 2.] Cur cesso heram his malis impertiri? Idem Eunuch. [act. 2. sc. 2.] Plurima salute Parmenonem summum suum impartit Gnato. Et accusatiuo cum datiuo. Cicero: Huic rei aliquid temporis impartias. Item datiuo cum ablatiuo & de. Cicer. offi. [lib. 2.] Sæpe idoneis hominibus et indigentibus de re familiari impartiendum est.

Iubeo. Iubeo accusatiuo. Terent. Heautont. [act. 4. scen. 5.] Imò filium potius iube. Plaut. [Aulul. act. 1. scen. 1.] Si respexeris, donec ego te iussero. Et absolutè, ut: [Cic. ep. 4. ad Bru. & lib. 4. in Verr.] Populus iußit, pro decreuit. In hoc tamen aliquid subaudiri uidetur. Et infinito. Virgil. [lib. 2. Aen.] Infandum regina iubes renouare dolorem. Et datiuo: Macrob. Satur. [libro 1.

 cap. 12.]

cap. 12.] Sacrorum custodibus iußit, ne mulierem interesse permitterent.

Loquor. Loquor, datiuo & accusatiuo. Ouid. [lib.1. de arte.] Nec dubites illi uerba secunda loqui. Accusatiuo & ablatiuo, intercedente cum. Idem [lib.1. de pont. eleg. 2.] Et modò cum cara coniuge multa loquor. Et ablatiuo per se. Suetonius Claud. Etiam heroicis loquutus est uersibus. Et altero accusatiuo cum præpositione, ad. Plaut. Merc.* Decide caput, si falsum ad te loquor.

Ludo. Ludo in accusatiuum. Sueton. Cæsar. Troiam lusit turba duplex maiorum minorúmq; puerorum. Idem August. Aliquando ut uincat, ludit aßiduè aleam. In ablatiuum. Idem: Vel talis, uel par impar ludere. Idem Claud. Alea studiosißimè lusit. Plautus in Mostel.* Scis solere illac ætate tali ludo ludere.

Miror. Miror in accusatiuum. Virgilius, [libro primo Aeneid.] Miratur portas. In genitiuum. Idem, [lib.11. Aeneid.] Iustitiæne prius mirer, bellíne laborum.

Misceo. Misceo, datiuo. Luc. VI. Turbæ sed mixtus inerti. Et ablatiuo, interposito cum. Columella, [lib.6. cap.4.] Nonnulli pellem serpentis obrutam* cum uino miscent. Et interposito, in. Virgilius: [lib. 5. Aeneid.] Craßúmque cruorem Ore reiectantem, mixtósque in sanguine dentes. Et sine præpositione. Ouidius, [lib.4. Metamorph.]

tamorph.] Quæ sanguine mixta recenti Coxerat ære cauo.

Moderor in accusatiuum. Sueton. in August. Nec successum uictoriæ moderatus est. In datiuum. Salust. in Catil. Fortuna, cuius libido gentibus moderatur. Cicer. pro Cælio: Quod & pudor tuus moderatur orationi meæ. Lucil. Syderibus quæ sola fuga moderantur olympi. Moderor.

Misereor in genitiuum. Virg. [eclog. 2.] Nil nostri miserere, mori me denique cogis. In datiuum rarißimè. Cic. in Tusc. [lib. 2.] Perge, aude, nate illacryma, patris pestibus miserere. Misereor.

Nitor in ablatiuum. Virg. [lib. 6. Aene.] Ille uides pura iuuenem qui nititur hasta. In accusatiuum cum, ad. Quintil. [in procem. lib. 1.] Altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur. Nitor.

Obliuiscor accusatiuo. Cicer. ad Attic. [li. 6. epist. 1.] Suauißimam habui recordationem clarißimi iurisiurandi, quod ego non eram oblitus. Virgilius, [lib. 2. Aeneid.] Hinc iam obliuiscere Graios. Cicer. Attic. [lib. 9. episto. 11.] Quòd laudas, quia obliuisci me scripsi ante facta & dicta nostri amici. Ego uerò ita facio. In genitiuum. Virgil. [lib. 3. Aeneid.] Oblitúsque sui est Ithacus. Obliuiscor.

Obtrecto in datiuum. Sueton. in Tyb. Germanico usque adeò obtrectauit. Cicer. pro lege Manil. Qui huic obtrectant legi. In accusati- Obtrecto.

uum. Valer. Maxim. lib. VII. Quod stultum & inutile sit eas obtrectare uires, quas ipse foueris.

Occumbo. Occumbo in datiuum. Virgilius: [lib. 2. Aeneid.] Seu certè occumbere morti. In accusatiuum. Sueton. in August. Voluntariam occubuisset necem.

Oleo. Oleo in accusatiuum. Cicero in Antonium: [Inuec. 2.] Vinum redolentibus. Plaut. in Most. [act. 1. scen. 3.] Metuo ne oleant argentum manus. In ablatiuum. Ouidius: *Per lucos sacros & olentia sulphure fertur. Virgil. [lib. 1. Aeneid.] Redolentq; thymo fragrantia mella.

Palpo & Palpor. Palpo & Palpor in accusatiuum. Iuue. [Sat. 1.] Quem munere palpat Carus. In datiuum. Plaut. in Amphit. [act. 1. scen. 3.] Obseruatote quàm blandè mulieri palpabitur.

Pertæsus. Pertæsus in genitiuum. Macrobius: Pertæsus necessitatis. Virgil. [lib. 4. Aeneid.] Si non pertæsum thalami tædæq; fuisset. In accusatiuum. Sueton. in August. Pertæsus, ut scribit, morum peruersitatem eius. Et in Cæsare: Quasi pertæsus ignauiam suam.

Potior. Potior genitiuo. Cicer. [lib. 1. epist. 7. fam.] Illius regni potiri. Salust. Iugurth. Priusquam legatos conueniret, Atherbalis potiretur. Idem [eod. lib.] Romani signorum & armorum potiti sunt. Ablatiuo. Virgilius: [libro 1. Aeneid.]

Egreßi

Egreßi optata potiuntur Troës *arena.* Ouidius: [*lib.13.* Metamorph.] T*uq; tuis armis nos te potiremur* Achille. Accusatiuo, *sed antiquè:* Hic *potitur gaudia.*

Præire in datiuum. Cicer. pro Milone: *Incitati sunt, ut uobis uoce præirent.* Quintilianus:* Doctores non posse semper præire singulis legentibus. In accusatiuum. Liuius: [libro 8. decad.1.] Agedum pontifex publicus populi Romani præi uerba, quibus me pro legionibus deuouam. Præire.

Præstolor in accusatiuum. Terentius in Eunuch. [act.5. scen. 6.] *Quem præstolare* Parmeno. Plautus in Caß. [act.3. scen. 3.] *Te ecastor præstolabor.* In datiuum. Cicero libro primo Inuect. *Qui tibi* ad forum Aurelium præstolarentur.* Præstolor.

Recordor *in accusatiuum.* Cicer. *in* Philip. [1.] *Recordare igitur diem* M. *Antoni illum, quo dictaturam sustulisti.* In ablatiuum cum, de. Idem pro Plancio: *Quoniam istis uestris lacrymis de illis recordor, quas pro me sæpe & multum profudistis.* Recordor.

Refertio genitiuo. Cice. [pro Rabirio.] *Referto prædonum mari.* Et ablatiuo cum, de. Idem:* De *nugis referti libri.* Refertio.

Saturo in genitiuum. Plaut. in Sticho: [act.1. sce.1.] *Hæ res uitæ me soror saturant.* Et ablati- Saturo.

uum. Varro de re Rust. [lib.2.cap.2.] Dum agnoscant matrem agni, & pabulo se saturant.

Subeo. Subeo in datiuum. Virgil. [lib.9. Aeneid.] Iamq; propinquabant tectis, muroq; subibant. In accusatiuum. Idem, [lib.8. Aeneid.] Hæc inquit limina uictor Alcides subijt. In accusatiuum cum ad. [Virgilius, eod. lib.] Ad tecta subibant Pauperis Euandri.

Satisfacio. Satisfacio in datiuum & accusatiuum, ut: Satisfaciet tibi hæc. Et accusatiuo per se. Cato de re Rust. * Quin pecuniam satisfaceret. In datiuum quoq; & ablatiuum cum, de. Seneca: [lib.2. de ira.] Lacrymas solicita mater abstergit, cui de pædagogo satisfactum est.

Vtor. Vtor hac re & hanc rem. Cicer. [de amic.] Præposteris utimur consilijs. Terentius: * Mea bona utantur.

Vlciscor. Vlciscor accusatiuo. Cicer. [lib.9. episto.15. Attic.] Sed illum ulciscentur mores sui. Terent. [Eun. act.4. scen.4.] Vt te ulciscar scelus.

IN SECVNDO GENERE EX MVLTIS HAEC ANNOTAVIMVS.

Ausculto. Ausculto pro obtempero, datiuo. Ter. And. [act.1. sc.3.] Pamphilum ne adiutem, an auscultem seni? Et datiuo uel accusatiuo pro audio, ut Idem: Ausculta pauca*.

Accedo. Accedo pro aduenio, uel adeo, accusatiuo cū præpo=

præpoſitione. Terentius: And. [act.1.ſcen.1.] Accedo ad pediſſequas. Et ſine præpoſitione. Virgil. [lib.1.Aene.] Vos & Scylleam rabiem, penitúſq; ſonantes Acceſtis ſcopulos. Pro addor uel adiungor, datiuo uel accuſatiuo cum præpoſitione, ad. Ouid. [libro 3. Metamorph.] Poſtquam ſolitas acceßit ad iras Ira* recens. Aliquando datiuo & ablatiuo cum præpoſitione, à uel ab. Liuius: [lib.6.dec.3.] Hæc tibi à me dotalia dona accedent. Pro aſſentior, datiuo tantum. Fab.* Nec Celſo accedo.

Animaduerto pro obſeruo uel aduerto, in accuſatiuum. Cato de re Ruſt. [cap.1.] Vicini quo pacto niteant, id animaduertito. Pro punio, accuſatiuo cum, in. Sueton. in Auguſt. Peruſia capta in plurimos animaduertit. Animaduerto

Caueo pro prouideo, datiuo. Cice. ad Appium: [lib.3. epiſt.1.] Melius enim ei cauere uolo, quàm ipſe alijs ſolet. Et accuſatiuo, pro uito uel declino. Sueton. in Galba: Caueret periculum. Ablatiuo cum præpoſitione, pro defendere uel munire ſe. Idem in Calig. Vt à Caßio caueret. Ablatiuo cum, de, pro meminit ad cautionem. Idem in Auguſt. Cum de numero & de conditione ac differentia eorum, qui manu mitterentur, curioſe cauiſſet. Et in Tiberio: Quod nihil de ijs Auguſtus teſtamento cauiſſet. Caueo.

Cedo pro diſcedo, ablatiuo, ut: Cede bonis, Cedo.

& Cedo iure. Et datiuo cum ablatiuo, ut: Cedo tibi bonis. Hic ablatiuus in accusatiuum uerti potest, ut Virg. [lib. 11. Aen.] Cedat ius proprium regi. Papin. [lib. 1. Achil.] Hortantur ceduntq; locum. Sed tum pro concedo ponitur. Item pro discedo uel abeo, ablatiuo cum ex. Lucil. Quandoque pudor ex pectore cessit. Pro contingit, tantum datiuo. Virgil. [lib. 12. Aeneid. Cesserit Ausonio si fors uictoria Turno. Item pro dare locum uel parêre. Virgilius, [lib. 5.] Cede Deo. Pro loco alicuius esse, ablatiuo cum pro. Columella XII. [cap. 14.] Nam pro pulmentario cedit sicuti ficus. Diuersum omnino ab hoc uerbum est quod pro Dic, uel Da legitur, ut Terentius [And. act. 4. scen. 4.] Cedo, cuium puerum hîc apposuisti? &, [Phorm. act. 5. scen. 8.] Quin tu mihi argentum cedo. Non dissimile est & illud eiusdem in Heautont. * Dum nos sermones cedimus, relictæ sunt mulieres.

Consulo. Consulo te illud & de illo, pro peto consilium. Plautus in Menech. [act. 4. scen. 3.] Ibo & consulam hanc rem amicos, quid faciendum censeant. Luc. in VIII. Rectorémque* nauis de cunctis consulit astris. Consulo huic rei, pro prouideo, uel prospicio. Idem in IIII. Consulite extremis angusto in tempore rebus. Consulo in te isthuc, pro statuo uel instituo. Terentius, [Heautont. act. 3. scen. 1.] Pessime isthuc in te atque in illum

illum consulis. Consulo boni, pro in bonam partem accipio. Plinius, [lib.33.in proœm.] Quærebat argentum auaritia, boni consuluit interim inuenisse minium, rubentisq; terræ excogitauit usum.

Conduco.

Conduco hoc, pro eo quod est, precio ad tempus accipio. Iuuenal. [Sat.3.] Conducunt foricas. Conducit huic uel in hoc, pro utile esse. Cicero ad Lentul. [lib.1. epist. 9.] Id reipublicæ rationibus putem conducere. Plautus, [in Cap. act.2.scen.3.] Vt potißimum quod in rem rectè conducat tuam, id petam.

Contingere.

Contigere tibi uel in te, pro accidere. Virgilius: [lib.1.Aene.] Quîs ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis Contigit oppetere. Cicero: [lib.1. Offic.] Atq; in magnis animis ingenijsq; id plerunque contingit. Contingere hoc, pro tangere. Virg. [lib.2.Aeneid.] Funémque manu contingere gaudent.

Conuenit.

Conuenit, pro conueniens uel aptum est, datiuo. Ouidius: [in epist.Sap.] Conuenit illa tibi, Conuenit illa mihi. Datiuo & accusatiuo cum, inter, pro conuenientia uel concordia est, ut Iuuenal. [sat.15.] Sæuis inter se conuenit ursis. Et datiuo cum ablatiuo præposita præpositione, cum, ferè eodem significato, pro cōsentiens est. Terent. Adelph. [act.1.scen.1.] Hæc fratri mecum non conueniunt. Et ablatiuo cum præpositione,

tione, de. Quint. [lib. 5. cap. 10.] Quanquam de hoc parum conuenit.

Deficit. *Deficit tibi, pro deest. Virgilius:* * *Quin etiam glandes atque arbuta sacræ Deficerent siluæ. Deficit te aliquid, pro destituit. Cicer. pro Roscio: Tempus te citius quàm oratio deficeret. Et paßiuè. Colum.* * *Quibus si deficitur agricola. Deficio à te ad hunc, pro eo quod est à partibus tuis discedo. Sueton. Prius à Galba ad senatum defecerat.*

Differt. *Differt, pro dißidet uel aliud est, ablatiuo cum præpositione, ab, cuius paßim sunt exempla. Et datiuo. Horat. [lib. 1. sat. 4.] Nisi quòd pede certo Differt sermoni sermo merus.*

Euado. *Euado hunc & ex hoc, pro effugio. Sueton. in Tiber. Camilius me euasit. Cicer. pro Sylla: Cuius ex insidijs euaseris. Euado gradus uel ad gradus, pro ascendo. Virgil. [lib. 4. Aeneid.] Sic fata gradus euaserat altos. Idem alibi:* * *Euado ad summi fastigia templi.*

Impono. *Impono tibi & in te aliquid, pro superpono uel do. Virg. [lib. 4. Aeneid.] Vidit thuricremis cum dona imponeret aris. Idem: [eod. lib.] Finémque imponere curis. Plautus in Bacch. [act. 3.] In te ergo hoc onus omne impono Lyde. Impono huic nomen. Tacit. [lib. 12.] Cui ut degeneri pseudo Philippi nomen impositum. Impono tibi, pro decipio. Quintilianus: [decla. 16.]*

16.] Spes tibi perpetuæ laudis imposuit.

Incumbo, pro inhæreo & innitor, datiuo. Incumbo.
Virgilius: [Eclog. 8.] Incumbens tereti Damon sic cœpit oliuæ: Idem: [lib. 10. Aeneid.] Validis incumbite remis. Non autem in remos uel ad remos, autore Valla. Et pro obnixe operam do, uel impense me comparo, accusatiuo cum, ad. Cicer. [lib. 10. epist. 10.] Mi Plance incumbe toto pectore ad laudem. Idem: [pro l. Manil.] Ad illud bellum incumbite. Idem: [lib. 2. Epistol. 16.] Attic.] Quare incumbamus ô noster Tite ad illa præclara studia. Accusatiuo cum, in, non multum diuerso significato à iam dicto. Cicer. [lib. 10. Epist. 1. famil.] Vt in rempub. omni cogitatione curáq; incumberes. Item: [eod. libro, epistol. 3.] Incumbe per deos immortales in eam curam & cogitationem, quæ tibi laudem & dignitatem afferat. Idem: [li. 1. de orat.] Pergite adolescentes, & in hæc studia in quibus estis, incumbite. Et in malam partem. Idem Marco*Catoni: Incumbit in eius perniciem. Item accusatiuo cum, in, pro uiolēter incidere uel irruere. Quintilianus: [lib. 5. cap. 9.] Magna uis uenti in mare incubuit. Et datiuo. Virgilius: *Incumbere mari. Eidem casui iungitur & pro superiaceo. Virgilius: [lib. 4. Aeneid.] Incubuitq; thoro, dixitq; nouißima uerba.

Intereſt pro in re eſt uel utile eſt, genitiuo Intereſt.
rei

rei animatæ, ut Cicero: [lib.2. de finibus.] Interest omnium recte agere. Idem ad Curio. [lib.2. epist.3.] Quod* nostra aut ipsorum interesset. Plinius [lib.2. cap.1] Nec interest hominum, nec capit humanæ coniectura mentis. Et genitiuo mensuræ uel precij. Cice. [lib.11. epist.16. fam.] Permagni interest, quo tempore hæc Epistola tibi reddita sit. Accusatiuo cum, ad. Idem ad Luceium: [libro 5. Epist.12.] Equidem ad nostram laudem non multum uideo interesse, sed ad properationem meam interest, non te expectare dum ad locum uenias. Et absoluté. Plinius, [lib. 19. cap.8.] Seri etiam radices illitas fimo interest. Interest uerò ab inter & sum, cum præsens esse significat, datiuo. Cicer. Bruto: [libro 11. Episto. 7. famil.] Qui nostro sermoni interfuit. Et ablatiuo cum præpositione, in. Idem ad Plancium: [libro 10. Episto. 2.] Si quid erit, in quo me interesse necesse sit, nunquam deero. Et accusatiuo cum præpositione. Cicer. Rhetor. [libro 1.] Si quo die Romæ ista cædes facta est, ego Athenis eo die fui, interesse in* cædem non potui. Et pro interponi, absoluté. Liuius: [libro 1. decad.3.] Id morari uictoriam rati, quod interesset amnis. Præterea pro differentia est, accusatiuo cum, inter. Cicero: [libro primo Offic.] Inter hominem & belluam hoc maximé interest. Aliquando sine, inter. Seneca: Nihil interest hos &

hos & illa, nisi diuisim legas. Item pro differt, datiuo. Terentius: [Eunuc. act.2. scen.2.] Stulto intelligens quid interest? Et cum ablatiuo. Idem: [Adelph. act.1. scen.1.] Hoc dominus ac pater interest. Et cum genitiuo. Cicer. Attic. [lib. 5. epist. 19.] Quoniam νεμεσᾶν interest τῷ φθονεῖν.

Laboro de ijs, pro solicitus uel anxius sum, Laboro.
uel curo. Cicer. pro Deiot. Sed cum de illo laboro, tum de multis amplißimis uiris. Laboro ex hoc, pro æger sum. Idem ad Papir. Petum: [lib. 9. epist. 23.] Quòd ex pedibus laborares. Ter. [And. act.1. scen.5.] Laborat è dolore.

Maneo, ablatiuo. Virg. [lib.2. Aen.] Tu mo- Maneo.
dò promißis maneas, seruatáq; serues Troia fidem. Et datiuo. Idem: [lib.1. Aen.] Parce metu, Cytherea manent immota tuorum Fata tibi. Et accusatiuo. Idem: [lib.3. Aen.] Maneat nostros ea cura nepotes. Tibul. [lib. 1. Eleg. 8.] At te pœna manet, nisi desinis esse superba.

Metuo te et à te, pro timeo. Teren.* Hei mihi Metuo.
metui à Chryside. Idem: [Eu. ac.3. sc.1.] Metuebant omnes iam me. Metuo tibi, id est, in commodum uel utilitatem tuam, uel solicitus sum de te.

Opus esse, pro carere uel indigere, ablatiuo & datiuo. Cicer. in epist. [lib.9. epist.26.] Autoritate tua nobis opus est. Item ablatiuo & accusatiuo cum præpositione, ad, datiui loco.

Terent.

Terent. [And.act.1.sc.1.] Nihil isthac opus est arte ad hanc rem, quam paro. Et ablatiuo tantum. Idem: [ead. scen.] Quid uerbis opus est? Et datiuo cum ablatiuo sub præpositione, in, si locus rectè est scriptus. Cic. [lib.3. Epistol.24. famil.] Si qua in re opus ei fuerit, iuueris. Aliquando pro necessarius accipitur, & post uerbum intelligitur, alio nominatiuo uel accusatiuo numerum uerbo conferente. Cic. [lib.2.ep.5. fam.] Dux nobis & autor opus est. Ter. [Heau. act.4. scen. 8.] Alia quæ opus sunt, comparet. Cicer. ad Teren. [epist.18.] Si quid opus erit, si quid acciderit noui, facies ut sciam. Liu. [lib.10. dec. 3.] Ad comparanda ea, quæ* opus erant. Cic. ad Att. [lib.15.ep.9.] Video mihi opus esse uiaticum. Idem: [lib.6.ep.9. Att.] Dices numos mihi opus esse ad apparatum triumphi. Potéstque altera ratio mutari in alteram, sic: Dices mihi opus esse numis, &: Video opus esse uiatico, &: Ad hanc rem nihil opus est ars.

Parco. Parco pro remitto, condono, uel ignosco, datiuo. Virg. [lib.6.] Parcere subiectis & debellare superbos. Item pro abstineo. Sueton. In Tiber. Neq; tormentis neq; supplicio cuiusquam pepercit. Virg. [lib.1. Aen.] Parce metu Cytherea. Pro seruo autem, accusatiuo & datiuo. Virgil. [lib.10.] Argenti atque auri memoras, quæ multa talenta Gnatis parce tuis,

Pepigi

Pepigi tibi & tecum, pro pactum feci, uel pacto promisi. Suet. in Cæs. E competitoribus non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quàm qui sibi pepigissent propugnaturos absentiam suam. Idem in eodem: Cum aduersarijs autem pepigit ut dimissis octo legionibus &c. Pepigi.

Pergo, accusatiuo. Cic. ad Att. [lib.3.epist. 15.] Sed pergo præterita. pro prætereo. Et infinito. Terent. [And. act.3. scen.2.] Tu tamen has nuptias perge facere, ita ut facis. Pergo.

Præstat cæteris & cæteros, pro præualet. Cicer. de Oratore [lib.1.] Multum cæteris hominibus omnium gentium præstiterunt. Quint. [lib. 1. cap. 1.] Præstat tamen ingenio alius alium. Et pro melius est, absolutè. Virgil. [lib. 1. Aeneid.] Sed motos præstat componere fluctus. Præsto me talem, pro exhibeo uel præbeo. Cic. Lent. [lib. 1. epist. 6.] Sed præsta te eum, qui mihi à teneris, ut Græci dicunt, unguiculis es cognitus. Præsto hæc, pro confero. Cæcil. Plin. Plura hic mihi præstitit, quàm parentes. Et præsto uitium, pro eo quod est prohibere, ne cui ex uitio rei acceptæ fiat damnum. Et absolutè, pro caueri & prohiberi, ut Cic. in Tusc. [lib.3.] Cum id quod ab homine non potuerit præstari, euenerit. Præstat.

Recipio me ad urbem, uel ad meos, uel in castra, uel proximo castello: alibi pro fero, ali- Recipio.

bi pro colloco. Hircius de bel. Alexand. Victor se Brundusium incolumi exercitu & classe recepit. Idem de bel. Hispan. Et ad Cordubam se recepit. Et ibidem: Proximo se recepit castello. Idem de bell. Afric. Se ad suos recepit. Et ibidem: Se recepit in castra. Aliter uerò construitur, cum uel promittere, uel quasi cum fideiußione promittere significat. Cic. ad Crassum [lib. 5. epist. 8.] Quæ tibi promitto, ac recipio sanctißimè esse obseruaturum. Et ad Brut. [lib. 13. ep. 11. fam.] In ea* caussa exponenda satis etiam de probitate dixi, sed tamen separatim ex me recipio fore eum tibi & uoluptati & usui.

Renuncio. Renuncio, datiuo & accusatiuo, pro apertè nuncio & ostendo. Teren. [And. act. 3. scen. 2.] Quasi non tibi renunciata sint hæc sic fore. Et accusatiuo per se, pro declaro. Cicer. pro lege Manil. Nam cum propter dilationem comitiorum ter Prætor primus centurijs cunctis renunciatus sum. Et datiuo per se, pro recuso uel renuo, ut: Renuncio liti.

Respondere. Respondere pro dicere quod rogatur, et pro consentire & parem esse, datiuo uel accusatiuo cum, ad. Terent. [Eun. act. 4. sc. 7.] Iam tu hoc responde mihi. Cæcil. Plin. Cum ad eos breuißime respondissem. Plin. nat. hist. [lib. 36. cap. 2.] Structuram ad normam & libellam fieri & ad perpendiculum respondere oportet. Virgilius [lib.

[lib.1.Aen.] Dictis respondent cætera matris Cic. Tusc. [lib.1.] Nec tamen si qui magnis ingenijs in eo genere extiterunt, Græcorum gloriæ responderunt. Virg. [li.1. Geor.] Illa demum seges uotis respōdet auari Agricolæ. Aliter quoque & absolute. Virg. [li.6.] Contrà elata mari respondet Gnosia tellus. pro offert uel ostendit se, uel obijcitur. Sapiò & absolutè legitur, quasi sapiens uel intelligens sum. Mart. [li.9.] Nubere uis Prisco, non miror Galla sapisti. Et trāsitiue pro intelligo. Plau. in Pseud.* Ego meam rationem sapio. Aliter quoque, ut in talibus, Sapit mel. [Pers. sat.1.] Sapit demorsos ungues, pro saporem habet, uel repræsentat. Sapio.

Sufficio pro satis sum, datiuo. Virg. [li.9.] Nec sufficit ictibus umbo. Luc. [li.9.] Sufficitque omnibus unda. Et modò infinito. Virg. [lib. 5.] Nec nos obniti contrà, nec tendere tantum Sufficimus. Item accusatiuo cum præpositione. Quin. [li.1. cap.20.] Ad quas nec mens nec corpus nec dies ipsa sufficiat. Pro subministro, datiuo & accusatiuo. Virg. [li.2. Aen.] Ipse pater Danais animos uiresq; secundas Sufficit, atq; Deos in Dardana suscitat arma. Idē: [lib.2. Geor.] Ipsa satis tellus cum dente recluditur unco, Sufficit humorem. Pro substituo uero, accusatiuo duntaxat. Virg. in Geor. [lib.3.] Atq; aliam ex alia generando suffice prolem. Sufficio.

Super esse. Superesse pro reliquum esse uel restare, datiuo. Ennius: Inde sibi memorat unum superesse laborem. Aliter quoq;, ut Plaut. Asinar. [act. 1. scen. 1.] Sicut tuum uis unicum natum tuæ superesse uitæ sospitem atq; superstitem. Et pro uincere. Virgil.* Ferrea quæ blando nequeant superesse labori. Et pro adesse: ut, Ego illi supersum. Pro, abunde esse, uel abundare, absolutè. Virg. [lib. 11.] Auxilióque urbes Italæ populiq; supersunt. Nam datiuus ille, auxilio, alterius est rationis & multorum uerborum communis: ut, Sum auxilio, Venit auxilio. Et pro durare. Virgil. [libro 3. Georg.] Primus ego in patriam, mecum modò uita supersit.

Sto. Sto, ablatiuo. Virgil. [lib. 2. Aeneid.] Omnis spes Danaûm & cœpti fiducia belli, Palladis auxilijs semper stetit. Item cum, per, pro impedimento esse. Cæsar Comment. [lib. 1. bel. ciuil.] Vbi cognouit per Affranium stare, quo minus prælio dimicaretur. Liuius. [libro 3.] ab urb. cond. Per duces non per milites stetisse ne uincerent.

Studeo. Studeo pro do operam & faueo, datiuo. Quin. [lib. 7. cap. 3.] Abdicatus medicinæ studuit. Ouid. [lib. 9. Metam.] Cui studeat, Deus omnis habet. Item ablatiuo cum, in. Gell. [lib. 11. cap. 2.] Si quis in ea re studebat.. Item accusatiuo cum, in. Quintil.* Poëtæ ut pictores in id solum

ſolum ſtudent, ut deſcribere fabulas menſuris ac lineis ſciant. Pro cupio, uolo, uel affecto, accuſatiuo. Terent.* Vt omnes mulieres æque ſtudeant ac uelint omnia. Cic. Philip. [6.] Vnum ſentitis, unum omnes ſtudetis. Terent. [And. act.1. ſcen.1.] Horum ille nihil egregiè præter cætera ſtudebat.

Timeo hunc ut inimicum. Virgil. [libro 2. Aeneid.] Timeo Danaos & dona ferentes. Timeo tibi, ut amico. Terent. [Heaut. act.3. ſcen. 2.] Syre tibi mala timui. Timeo de te, utroque modo. Cic. ad Treb. [lib.7. epiſt.10.] Valde me hercle de te timueram. Luc. [lib.7.] De ſuperis ingrate times? Timeo.

Tollo ſuſtuli, pro aufero & accipio & nutrio, in accuſatiuũ, ut: [Suet. in Nero.] Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem. Horat. [lib.1. Sat.4.] Cum flueret, lutulentus erat, quod tollere uelles. Teren. [And. act.1. ſc.3.] Quicquid peperiſſet, decreuerunt tollere. Pro aufero uero, & in ablatiuum cum, de. Cic. in Læl. Solem enim de mundo tollere uidentur, qui amicitiam è uita tollunt. Pro ſuſcipio uel accipio, in ablatiuum cum, ex, ut Suet. [in Neron.] Deceßitq; Pyrgis, morbo aquæ intercutis ſublato filio Nerone ex Agrippina Germanico genita. Tollo.

Vaco in hoc & ad hoc, pro do operam, uel potius otium habeo. Ouidius de Ponto. [lib.3. Vaco.

eleg.3.] In nullum mea mens grande uacauit opus. Et in eodem [li.3.eleg.1.] Corporis ad cultum uix uacat illa ſui. Seneca in 1. epiſt. Non uaco ad iſtas ineptias. Vaco culpa & à culpa, pro uacuus ſum. Cic. [li.1.off.] Nullum eſt [illegible]s, quod iuſtitia uocare debet. Senec. ep. XCVIII. Nulla ætas uacauit à culpa. Etiam abſolutè, pro uacuus ſum. Cæſar in Comment. [li.1.bel. Gal.] Id ea ratione fecit, quòd noluit eum locum unde Heluetij diſceſſerant, uacare. Et ſine ullo nominatiuo pro ociũ eſt. Iuuen. [Sat.1.] Si uacat & placidi rationem admittitis, edam. Sic & infinito iungitur. Virg. [lib.1. Aen.] Et uacat annales noſtrorum audire laborum.

Valeo. Valeo uiribus, prò potens ſum. Cic. [lib.1. offi.] Alios uidemus uelocitate ad curſum, alios uiribus ad luctandum ualere. Valet tanti, uel minimo, precium ſignificat. Paulus: Sed æſtimandum fundum quanti ualet. Vlpian. Quaſi minimo ualeret hæreditas. Varro tamen [lib.4. de ling. Lat.] in precij ſignificatione accuſatiuo iunxit, dicens: Denarij, quòd denos æris ualebant: Quinarij, quòd quinos. Sæpe etiam per Metalepſin uerba conſtructionem mutant, ut Virg. [Eclog.3.] Nam me decedere* fleuit. pro doluit. Eſt enim natura abſolutum. Et per Enallagen appellatiui pro adiectiuo, ut ſi dicas: Da te mihi uirum. Præſta te mihi uirum. pro eo

quod

quod est fortem. Non enim accipiunt hæc duplicem accusatiuum natura.

RELIQVORVM AB INDIcatiuo modorum & participiorum ac participialium constructio.

INdicatiui transitionem reliqui etiam uerbi modi sibi uendicant. Itémq; participia propriè dicta, & participialia uerba, siue gerundi modus, quem etiam participijs annumeramus. Itaq; si quædam participia pro uerborum constructione confirmanda aliquando citauimus, nihil sit miri. Cæterũ participia utranq; sibi constructionem defendunt, Tautoprosopicen siue Ametabaton: ut, [Horat. lib. 1. od. 1.] Mecœnas atauis edite regibus. Et: res audita mihi, non credita. Et Metabaticen: Amans uirtutẽ, Superaturus hostem, Auditus & audiendus à me & mihi, Paratus decernere, Volẽs abire, Vadẽs uisum.

Est participijs alia quoq; intransitiua constructio adeò propria, ut nisi ipso posito, uel subaudito, constare non possit, nempe ablatiui consequentiæ, quod nomen ex eo uidetur sortitus, quòd semper intransitiuam primam, quæ tamen sit ex nominatiuo & uerbo finito, sibi reddi postulat. Hoc præterea obseruato, ut eiusmodi nominatiuus diuersæ omnino rei sit, quàm

cuius est ablatiuus, nisi Græco more loquare, ut alibi dicetur. Et participio quidem posito, ut: Henrico octauo Anglos regēte, hæc scripsimus: Subaudito uero, ut Henrico rege hæc prodidi. Aliquando solum participium in consequentiæ ablatiuo legitur, sed in præterito & in neutro genere. Plin.*De satu arborū abunde monstrato. Idem alibi [lib. 8.cap.36.] Cerebro ueneficium esse Hispani credunt, occisorum in spectaculis capita cremant, testato, quoniam potum in ursinam rabiem agat. Quint. [lib. 9. cap. 4.] Excepto, quòd pedes mihi trissyllabos non uidetur excedere. Sal. Audito regem in Ciciliam tendere. Quanquam in his posterioribus exemplis, sensus qui participia sequuntur, nominum uicem supplere uidentur. Obseruat Laurentius præsentis Participiū sub hoc casu per e, quàm per i, potius esse proferendum. Soluitur hic ablatiuus uarijs modis, per cum, ut Iuuen. [Sat.1.] Animante tuba galeatum sero duelli Pœnitet. pro cum animat tuba. Per Dum, ut Iuuen. [Sat. 3.] Ad cœnam si Intestatus eas, adeo tot fata, quot illa Nocte patent uigiles te prætereunte fenestræ. pro dum præteris. Aliquando per Si, ut Iustin. [lib. 5.] Sperans ut aut concordante ciuitate, dux belli ab omnibus legeretur, aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium uocaretur. pro si concordaret, & si

facta

facta esset. & Ouid. [lib. 1. de arte] Proximus ad dominam nullo prohibente sedeto.

Modò per Quanquam uel Quamuis. Plin. de uiris illustribus: Lex resistente Appio Claud. tamen lata est. pro quamuis resisteret. Cic. pro Milone: Qui nondum libera ciuitate, tamen populi Rom. comitijs liberatus est. pro quamuis nondum libera esset ciuitas. Modò per postquam uel Cum pro postquam, præcipuè in præterito. ut Cic. ad Att. [lib. 15. epist. 8.] Etsi mihi uidetur iste qui umbras timet, ad cædem spectare, tamen nisi explicata solutione non sum discessurus. pro postquã explicuero. Et Plin. [lib. 18. ca. 35.] Etenim prædicta ratione uentorum, ne sæpius eadem dicantur, transire conuenit ad reliqua tempestatum præsagia, id est, postquam prædicta est. Ouidius [lib. 2. de Pont. eleg. 6.] Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto Qua mea debuerat currere cymba uia? pro postquam factum est naufragium.

Quod autem ad Participiorum Metabasin attinet, sunt quædam præterita, quæ in accusatiuum feruntur: Exosus, perosus, pertæsus. Virgil. [lib. 5. Aen.] Iuppiter omnipotens, si nondũ exosus ad unum Troianos. Suet. in Cæs. Et quasi pertæsus ignauiam suam. Colum. 9. [cap. 5.] Neq; ea curatorem fraudulentum tantum, sed etiam * immundam segnitiem perosa est. Suet. (Præterita quædam in accusatiuum)

in Aug. Pertæsus, ut scribit, morum peruersitatem eius. Horum duo & cum datiuo leguntur, Perosus, & Exosus. Suet. in Tiber. Deos obsecro, ut te nobis conseruent, ut ualere nunc & semper patiantur, si non populo Romano perosi sunt. Gell. 2. [cap.18.] Non omnes modo dijs exosos non esse. Sunt rursus alia, quæ in ablatiuum sine præpositionibus his, à uel ex, Græco more transeunt. Ea sunt, Natus, Prognatus, Satus, Cretus, Creatus, Ortus, Editus. Plinius 12. [in Procem.] Restant &c. terra edita. Terent. [Phor. act. 1. sc.2.] Bonam, bonis prognatam. Virg. [lib.6.] Sate sanguine diuûm. Idem [lib. 2. Aen.] Quo sanguine cretus. Ouid. [in epist. Sapp.] Venus orta mari, mare præstet eunti. Non est hoc loco prætereundum compendium quod affert orationi participiũ, cum duo, quorum alterum tempore præcedit, quæ aliâs per duo uerba & cõiunctionem sunt dicenda, ipsum multò aptius sine copulatiua interpretatur. Salust. Iugurth. In primis Adherbalem cruciatum necat. pro eo quod cruciat & necat. Aliter etiã copulatiuæ uicem supplet, ut in ea figura quam Laurentius [lib.1.ca.34.] notauit: Circundedimus castris fossam & uallum, ne uenientes hostes nos opprimant. quod aptius est quàm ut uulgus loquitur, Veniant & opprimant.

Participialia uerba (quæ etiam Gerundi modum

dum & Supina ueteribus appellari alibi diximus) quæcunq; à uerbis ducuntur non paßiuis, seu malis, paßiuam significationem nõ habentibus, uerborum suorum constructiones (ut dictũ est) seruant. Hoc illustrius fiet ijs, quæ subijciuntur, exemplis. Genitiuus, qui post appellatiua & quædam adiectiua succedit, ut Cicer. [De senect.] Equidem efferor studio patres uestros, quos colui & dilexi, uidendi. Idem* Hic dies attulit initium dicendi, quæ uellem. Virg. [Eclog. 1.] Et quæ tanta fuit Romã tibi caussa uidendi? Plin. [lib. 18. cap. 27.] Oues lauandi, hoc idem tempus. Huius participialis loco, infinitus nonnunquam ponitur modus, ut Virg. [li. 2. Geor.] Et iam tẽpus equûm fumantia soluere colla. Idẽ [lib. 1. Georg.] Studium quibus arua tueri. Cæsar Comment. [lib. 7. bel. Gall.] Postero die consilium ceperunt ex oppido profugere.

Participialiũ actiuorũ constructio.

Datiuus, ut Quint. declam. [9.] Placeamus licet nobis fortuna pater, pauperi soluendo non sumus. Idem [Decl. 8.] Maximi tamen uirorum, & quibus artis suæ soluendo non sit humanitas. Et sine transitione. Cic. Phil. [2.] Nec tu soluendo eras. Idem de Orat. [li. 2.] Cum est inficiando reus. Apul. [lib. 8. de asin. aur.] Cum Charite nubendo maturuisset. Dubitari poßit, inquit Laurentius. [lib. 1. cap. 29.] an hæc dandi casus sint, an auferendi. Cæterum paßiua interpre-

tatio

tatio per participium, declarat datiui potius esse. Cor. Cel. [lib.7.cap.13.] Et transeundum ad medicamenta, quæ puri mouendo sunt. Et Liuius [lib. 2. decad. 1.] Portorijs quoque & tributo plebe liberata, ut diuites conferrent, qui oneri ferundo essent. Plinius [libro 11. cap. 2.] Telum uero perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio? Atq; ut in capaci (cum cerni non poßit exilitas) ita reciproca generauit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendóque fistulosum esset. Columel. [libro 1. capite 9.] Mediastinus qualiscunque status potest esse, dummodo perpetiendo labori sit idoneus. In his, Mouendo, ferundo, perfodiendo, & perpetiendo, paßiua participia dandi casus sunt, simili plané figura cum prædictis enunciata. Imò uerò illa, Soluendo & Inficiando, non minus fortasse paßiua sunt per duplicem eclipsim dicta, sicut in figuris indicabimus, ut ex omnibus quæ dicta sunt forte illud tantum, Nubendo, participiale sit. Quod etiam datiui esse casus uidetur ex illa non omnino dißimili constructione. Plin. [lib.12.cap.27.] Ita enim uocatur, priusquam cibo matura sit. Quæ similiter (ut mihi uidetur) figurari potuisset, sic, Priusquam comedendo matura sit.

Accusatiui, cum Præpositioni subijcitur, transitio rara reperitur, propterea quòd libentius

tius id in paßiuum participium, præsertim ubi in accusatiuū foret transitus, autores uertunt. Succedit hic casus quatuor præpositiōibus. Ad, ut Cicer. [pro Luc. Manil.] Hic autem locus ad agendum amplißimus, ad dicendum ornatißimus est uisus. Inter, ut Virgil. [Eclo. 9.] Et inter agendum Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. Verum post hanc Præpositionem aliquando Participiale hoc transitum in aliud facit, propterea quòd in paßiuum Participium mutari raro solet. Liuius: [lib. 2. decad. 1.] Et ipse inter spoliandum corpus hostis ueruto percussus. Idem:* Inter accipiendum de suis commo dis rationes. Ob, ut Cicer. in prima Verrin. A quo pecuniam ob absoluendum hoc acceperas. Iureconsf. XLVIII. dig. Lege Iulia repetundarum tenentur, qui cum aliquam potestatem haberent, pecuniam ob iudicandum, uel non iudicandum decernendúmue acceperint. Ante, ut Virg. [lib. 3. Georg.] Nanque ante domandum Ingentes tollent animos.

Alterius generis in Dum finiti duplex est transitio. Altera in datiuum, à quocunque uerbo genus hoc sit deductum: ut, Vigilandum est nobis, Seruiendum est mihi, Gaudendum est illis. Altera uerbi à quo ducitur propria: ut, Seruiendum est mihi amicis, Gaudendum est nobis hac re, Vtendum est mihi hac ueste. Hanc transi-

transitionem, quæ ab actiuis trahuntur, rarius admittunt: sed mutat potius eam autorũ usus in participium paßiuum, pro Alendum est canes, Alendi sunt canes, dicentes rarißime aliter.

Ablatiuum in Do, uerbi sui casum subijcit ad hunc modum: Hos accusando, illós occidendo, totam ciuitatem labefactasti. Hic multis præpositionibus subijcitur. In, ut In denegando. Cic. pro Milone: Huius interfector si esset in confitendo. Et cum transitione: In tribuendo suum cuiq;. De, Cic. ad Attic. [li. 9. epist. 1.] Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sané uelim. E, uel Ex: ut, Ex defendendo, quàm ex accusando uberior gloria comparatur. A, uel ab, Cic. [De amic.] Ex quo ardescit siue amor siue amicitia, utrunq; enim dictum est ab amando. Et alibi: [li. 2. de Orat.] In quo isti nos iureconsulti impediunt, à discendoq; deterrent. Cum, ut Quin. [li. 1. cap. 5.] Sed ratio recte scribendi iuncta cum loquendo est. Pro, ut Plaut. in Aul. [act. 3. scen. 3.] Heu senex pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam.

Accusatiui in Tum uel Sum constructio. Item accusatiuus in Tum uel Sum, qui post uerba motus adhibetur, ut Virg. [lib. 2. Aen.] Aut Graijs seruitũ matribus ibo. Teren. [And. act. 1. scen. 1. Cur te is perditum? Virgil. [lib. 2.] Suspensi Eurypbilum scitatũ oracula Phœbi Mittimus. In illis enim, Do uenum, Do nuptum

ptum filiam, & similibus, latens subest motus, ut Horat. [in art.] Spectatum admißi risum teneatis amici? Plaut. in Aul. [act.3. scen.3.] Coctum ego, non uapulatum dudum cõductus sum. Hoc participiale & per participium in Rus nonnunquam Græco more effertur, ut: Venio petiturus, Venio oraturus. Et per participiale in Dum, Venio ad orandum.

Ablatiuus autem in Tu uel Su actiuus, à quo scilicet futurum participium trahitur, raro aliâs in usu, absolutè tantum legitur, ut Cato in re Rustic. [capite 5.] Primus cubitu resurgat, postremus cubitum eat. Plautus in Menechm. [act. 2. scen. 2.] Obsonatu redeo. Statius in Achil. [lib.1.] Quem tunc uenatu rediturum in limine primo. Ablatiui in Tu uel Su constructio.

At quæ à paßiuis participialia ducuntur, omnia (quod sciam) absolutè leguntur. Subiungitur autem quod in Di finitur, nominibus. Iustinus [in Exordio.] Quod ad te Imperator Antonine non tam cognoscendi, quàm emendandi caussa transmisi. Idem [libro 17.] Athenas quoq; erudiendi gratia missus. Pro Vt emendaretur, Vt erudiretur. Rarum tamen hoc aliàs inuentu, nisi illud Cic. in Offic. [lib.1.] eiusmodi est. Ad rem autem gerendam qui accedit, caueat ne id modò consideret quàm illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. Participialium paßiuorũ constructio.

Vbi

Vbi uidetur, efficiendi, paßiuè dictum, atq; ad rem gerendam referri, pro Vt efficiatur, uel effici poßit. Cum si ad hominem referas, uideatur desiderari pronomen, ipse. Et aliâs nisi Vt pro quemadmodum accipiatur, non commodè succedet uerbo, Considero. Iam quæ sub illa figura prolata sunt, qualis est Plaut. [Cap. act. 4. scen. 1.] Nominandi tibi istorum magis erit quàm edundi copia. Et Cic. [lib.2. Diuin.] Dolebas tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. Et Cæsaris de bell. Gallico [lib.6.] Vsq; eò ut qui sub ualle tenderent mercatores recipiendi sui non haberent potestatem. Teren. [in Prolo. Heaut.] Date crescendi copiam nouarum. Liui. [lib.1. Dec.3.] Non uereor, ne quis hoc me uestri adhortandi caussa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Quis non uidet paßiuæ significationis gerundi, & pro ueterum sententia incerti generis & numeri esse?

*Accusatiuus in Dum, qui post adiectiua locum habet, & post præpositionem Ad usurpatur, etiam absolutè legitur. Salust. in Iugurth. Pauca suprà repetam, quo ad cognoscẽdum omnia illustria magis, magisq; in aperto sint. pro Vt cognoscantur. Item ablatiuus in Do, qui uerba sequi citra præpositionẽ solet, ut Virg. *Alitur uitiũ, crescitq; tegendo. Idem [lib.2. Aen.]*

Aegres-

[lib.2.Aen.] Aegrescitq; medendo. Idem [lib.3. Georg.] Vritq; uidendo fœmina. Idem [Eclog. 8.] Cantando rumpitur anguis. Idem [lib.2. Georg.] Lentescit habendo. Quint. lib.11. cap.2.] Sed memoria excolendo, sicut alia omnia augetur. Pro, Cum uel dum tegitur uitium, Cum curatur æger, Cum uidetur fœmina, Cum cantatur, Cum habetur, Cum excolitur. Varro tamen de re Rustic. [lib.2. cap. 9.] uidetur præpositionem addidisse in illo: Quàm paucißimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt propter copiam lactis. Et Columel. [lib.5. cap.7.] Atq; ita cum suo cespite planta eruatur, qui cespes in eximendo ne soluatur.

Accusatiuus in Tum uel Sum, paßiuè non legitur, nisi fortasse aut à talibus uerbis, cuiusmodi est Vapulo, ut in suprà posito Plauti exemplo [Aulul. act.3. scen.3.] Coctum ego, non uapulatum dudum conductus sum. Aut ante infinitum iri, in talibus, quale est illud Terent. [And. act.1. scen. 2.] Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem. Et Quint. [lib.9. cap.2.] Reus parricidij, quòd fratrē occidisset, damnatum iri uidebatur.

At ablatiuus in Tu uel Su, ferè semper paßiuè accipitur, ac nomina sequitur, ut: Res digna memoratu. Virgil. [lib.3. Aeneid.] Nec uisu facilis, nec dictu affabilis ulli. Salust. [de con. Ca-

tilin.] Optimum factu ratus fortunam bello* tentare. Pro Quae memoretur, qui uideatur, quod fiat. Et si rectè scriptum est, dictu affabilis, non dicto, pro Qui conueniatur, siue affetur communi genere.

Participiale uerò nomen, quod per Dus finitur, datiuum agentis personae plerunq; postulat, ut: Frater est expectandus mihi. & [Teren. And. scen. 1.] Restat Chremes, qui mihi exorandus est. Raro ablatiuum cum praepositione, ut Cicer. [lib. 12. epist. 9. fam.] Neq; enim quae tu propter magnitudinem & animi & ingenij moderatè fers, à te non ulciscenda sunt, etiam si non sint dolenda.

THOMAE LINACRI ANGLI, DE EMENDATA STRVCTVRA, LIBER V. SIVE DE NON DECLINATARVM CONSTRVCTIONE.



EC indeclinabiles partes utcunq; fors tulit, in seriem orationis dispensantur, sed earum quoq; nō paucis legitima quaedam (nam Syncategorematicen appellauimus) debetur cum alijs constructio. Nam sunt ex ijs, quae promiscuè coniungi cum multis possunt: quaedam cum certis maritari

maritari recusant. Quæcunq; enim in sua significatione constructionis accidentium cuiusquam uim aliquam præferunt, declinatarum uocum quibus eiusmodi accidentia uarijs uocibus significantur, eas duntaxat iungi sibi patiuntur, quibus maximè consimilè aliquid adsignificatur, ut quibus si dißimilem addas, ea statim à simili sit redarguenda. Rursus quæ nullius eiusmodi accidentis uim aliquam in sua significatione subindicant, hæc nullius uocis societatem, ea scilicet ratione recusant, sed omnibus iungi citra uitium possunt. Sed hæc quando generatim sic tradita, sicut omnia quæ in uniuersum sunt præcepta, confusiora obscurioráque sint necesse est, age membratim ea clarius explicemus. Heri nanque & Vtinam aduerbia sunt: quorum alterum, quod præteritum tempus sua significatione definit, præteritis tantum uerborum iungitur, Heri scripsi: alijs temporibus non iungitur, nõ enim, heri scribo, aut scribam dicas. Alterum quoniã optantis est aduerbium, ac certam modi differentiam suo significato repræsentat, ex modis admittere nisi optatiuum non potest: Vtinam sis, utinam uelis, non autem, utinam sum, aut uolo. Rursus hoc, quia nullam temporis differentiam sua significatione præscribit, ex temporibus nullum respuit: Vtinam uelim, uellem, uoluerim, uoluissem. Illud, cum nullius quatuor saltem mo-

dorum uim ullam subindicet, omnibus illis astrui translaticiè potest: Heri feci, utinam heri fecissem, cum heri fecissem, heri fecisse. Imperatiuos propterea quòd diuersam ab ipso naturam omnino habent, addi sibi non patitur. Nemo enim, heri lege, legátue dixerit. Spectant enim in futurum Imperatiui omnes: quo factum est, ut futurum his ex temporibus non detur, sicut alibi docuimus. Vtrunque horum aduerbiorum, quoniam nullius numeri, personæ, generísue discrimen sua significatione insinuat, omnibus iungi numeris & personis rectè potest: Heri feci, fecisti, & fecit. Sed & fecimus, fecistis & fecerunt. Vtinam uideam, uideas, uideat: Vtinam uideamus, uideatis, uideant. Iam qualitatis & quantitatis aduerbia, quando nullius modi, temporis, personæ, generis, numeríue differentiam agnoscunt, omnibus iungi modis, temporibus, personis, generibus et numeris indifferenter possunt: Bene uel satis habeo, habebam, habebo. Item, bene uel satis habeto, Vtinam bene uel satis habeas, Cum bene uel satis habeas, Bene uel satis habere. Præterea bene uel satis exercitat, uel exercitatur. Habitus est, & habiti sunt. Habita est, & habitæ sunt. Eandem rationem in declinatis quoq; partibus seruari deprehendet quisquis rite eam in ijs examinabit. Ego namq; pronomen, quoniam primæ tantum personæ est, pri-
mis

mis demum personis uerborũ additur: Ego scribo. Idem pronomen cum nullum generis discrimen significatione sua determinat, cum omnium generum uocibus coniungi potest: Ego æger, ego ægra, ego ægrum, Si per Prosopopœiam neutrum aliquod fingatur loqui. Rursus, sui, cum nec generis, nec numeri differentiam ullam in significato præferat, utriusq; numeri & omnis generis uoces secum admittit: Sui ipsius, & sui ipsorum, uel ipsarum, seipsum uel seipsam, & seipsos, uel seipsas. Ex nominibus quoq; Centum, cum pluralis sit tantum numeri, solis pluralibus iungitur: cum omnis sit generis, nullum meritò genus respuit: Centum uiri, Centum oues, Centum iumenta. Idem contemplari in participijs licet. Arans enim quoniam omnis est generis, & numeri tantum singularis, omnibus addi generibus potest, sed duntaxat singularibus: Vir arans, Mulier arans, Iumentum arans. Atque his iam puto clarescit, quod obscurius esse suprà est propositum. Nunc ad singularum indeclinabilium partium constructionem propius accedamus.

PRAEPOSITIONVM constructio.

PRæpositiones cum uerbis uel aduerbijs se coniungi nisi in cõpositione non patiuntur autore Donato, qui derepente, exaduersum, de-

 inde,

inde, cum similibus, cuiusmodi sunt insuper, desuper, circūsecus, aforis, compositiones censet. Et Prisciano, qui præpositiones quoties casu carentibus iunguntur, dictionis uim amittere ait: contrà, cum solis casualibus iunctas, dictionis uim seruare. Nos rarò id quidem, sed tamen aliter esse deprehendimus: nisi quis ad pridie, ad postridie, & in ante (de quibus alibi præcipiemus) compositas uoces putabit. Præpositiones quæ accusandi casum exigunt, etiam quocunque significato accipiātur, modò præpositionis uim seruent, hæ sunt: Ad, apud, ante, aduersus uel aduersum, cis, citra, circum, circa, circiter, contrà, erga, extra, intra, inter, infra, iuxta, ob, penes, per, pone, post, prope, propter, præter, secundum, supra, secus, trans, ultra, uersus. Annumeretur his &, usq;, ut Celsus: [li.3.cap.3.] Itaque si qua sunt, quæ exasperatura eorum animos sunt, optimum est ea dum* ægrotant, eorum notitiæ subtrahere: Si id fieri non potest, sustinere tamen post cibum usq; somni tempus. Idem: [lib.3.cap.22.] Sed ieiunis etiam usq; sudorem. Quorum exempla, etiam dictis autorum confirmata, ex præcedente libro, ubi significata earum collegimus, petentur.

Præpositiones ablatiui.

Quæ uerò auferendi casum uolunt, hæ sunt: A, ab, abs, absq;, cum, coram, de, é, ex, pro, præ, palam, sine, tenus.

Quæ

Quæ reliquæ sunt, & modò accusatiuum, modò ablatiuum pro uario significato uolunt, in hunc locum tractandas seruauimus. Sunt autem hæ, In, sub, super, subter, clam & tenus.

Præpositiones utriusq; casus.

Quarum, In, accusandi casum tum petit, cum per eam transitus uel mutatio in aliquid significatur. Virgil. [Eclog. 9.] An quo uia ducit in urbem. Plautus [Capt. act. 1. scen. 2.] Dabo te in caueam. Terent. [Phorm. act. 4. scen. 3.] Dic quid uelis tibi dari in manum, ut herus his desistat litibus. Plautus [Trin. act. 4. scen. 2.] E manibus dedit ipse mihi in manus. Mart. [lib. 1.] Dicas in aurem. Differt ab, ad, quòd hæc ingressum termini significat: Ad, tantum ad hunc accessum. Huc esse talia referenda liquet, qualia sunt, Redijt in gratiam. Et Ouidius [libro 1. Metamorph.] In noua fert animus, mutatas dicere formas, Corpora. Idem [in epi. Pen.] Versa est in cineres sospite Troia uiro. &, Versa in Latinam linguam. Et [Virgil. lib. 2. Aeneid.] Scinditur incertum studia in contraria uulgus. Et, Sectus in minima: cum similibus. Et cum uerba sequitur, quorum actio in futurum spectat. Liuius [li. 1. dec. 1.] Bellum in trigesimum diem indixerunt. Idem [lib. 3. deca. 1.] Designati consules in eum annum fuerant. Terent.* Olimq; in hunc diem sunt constitutæ nuptiæ. Plaut. Stich. [act. 3. sc. 2.] Alium conuiuam quærito in hunc

diem. Cum ad uel pro ſignificat. Plinius [lib. 16. cap. 1.] Multis fortuna parcit in pœnam. Item Catul. In bonam accipias partem rogamus. Cæcil. Plin. [lib. 1. epiſt. 10.] Sed annuos ſumtus in alimenta ingenuorum policebamur. Terentius [in prol. Adelph.] Et aduerſarios rapere in peiorem partem. Plin. nat. hiſt. [lib. 6. cap. 30.] Pars quædam Aethiopum locuſtis tantum uiuit, fumo & ſale duratis in annua alimenta. Terentius.* Emtos obolo in cœnam ſeni. Colum. [lib. 7. cap. 8.] Cratibus in hoc factis. Plin. de Ladano: [lib. 12. cap. 17.] Precia ſunt laudatiſsimo in libras, aſſes quadraginta. Idem de Serichato: [libro 12. cap. 21.] Permutatur in libras 16. Item de Hammoniaco: [lib. 12. cap. 23.] Precium optimi in libras, aſſes 40. Varro de re Ruſt. [lib. 2. cap. 9.] Alij precia faciunt in ſingula capita canum. Idem [lib. 2. cap. 5.] Numerus de tauris & uaccis ſic habendus, ut in ſexaginta unus ſit anniculus, alter bimus. Cum Erga ſignificat uel uerſus. Virg. * Accipit in Teucros animum regina benignum. Celſus [li. 2. cap. 2.] Ante aduerſam autem ualetudinem quædam notæ oriuntur, quarum omnium eſt commune, aliter ſe corpus habere atq; conſueuit, neq; in peius tantum, ſed etiam in melius. Cum Apud. Cicer. Paradox. Non probantur in uulgus. Tacit. [lib. 17.] Celebrata in uulgus Celſi laus. Cicer. Att. [lib. 9. epiſt.

epist. 4.] Alter religiosus nunc dies, alter in uulgus ignotus. Cum Contra. Virg. [li. 1. Aen.] Quid meus Aeneas in te cõmittere tantũ? Quid Troës potuere? Sic dicitur, inuectus in illum. Quint. [lib. 2. cap. 17.] Nam quidam uehementer in eam inuehi solent. Cicer. in Salust. Nam quòd ista inusitata rabie petulanter in uxorẽ & filiam meam inuasisti. Cum quasi loco uel uice significat. quod tamen frequens non est, ut Plin. de urtic. [lib. 9. cap. 45.] Ora ei in radices* esse traduntur. Quint. Curt.* Igitur rex Babyloniæ Agaticen in præsidem esse iußit. Cum ad similitudinẽ uel in formam significat. Virg.* Portus ab Eoo fluctu curuatus in antrum. Idem [Eclog. 6.] Tum uerò in numerũ Faunósq; ferásq; uideres. pro in similitudinem uel formam antri, & similitudinem numeri, id est, rhithmi, ut Seruio placet. Apul. [lib. 2. de asin. aur.] Lapis Parius in Dianam factus. Virg. [li. 1. Geor.] Continuo in siluis magna ui flexa domatur In burim, & curui formã accipit ulmus aratri. Cum Vsq; ad. Varro. [li. 2. ca. 5.] Pleræq; pariunt in decẽ annos, quædam etiam in plures. Mart. [li. 1.] In lucẽ semper Acerra bibit. Cum Ante significat. Teren. [Adel. act. 2. sc. 4.] Vereor coram in os te laudare. Hoc tamẽ & per ablatiuum effertur. Curt. [li. 9.] In oculis maiora duo omnium nauigia summersa sunt. Cum super significat, ut

Dormit in aurem. Et Varr. [de re rust. lib. 2. ca. 10.] Qui onera extollere in iumenta poßit. Simili modo cum ad interpretamenta refertur, ut Donatus in Terentium, Seruius in Virgilium: si modò hæc loquēdi ratio apud probatos inuenitur. At ablatiuo iungitur, cum pro Inter accipitur. Vt Salustius: Igitur imperator omnes res ferè asperas per Iugurtham agere, in amicis habere. Quintilian.* Neq; Tiburcinabundum iam in nobis quisquam dixerit. pro inter. In hac tamen significatione & in accusatiuo legitur. Cic. de nat. deorum [lib. 1.] Homines morte deletos reponere in deos. Item cum intra locum uel rem consistere uel agi aliquid significat, ut Virg. [libro 1. Georg.] Lucus in urbe fuit media lætißimus umbra. Idem [eod. lib.] Tum cornix plena pluuiam uocat improba uoce, Et sola in sicca secum spaciatur arena. Ad hunc modum dicimus, Terentius in Andria, Virgilius in Aeneide. Et Venisti in ipso tempore. Aliter quoq;, ut Plin. [libro 18. cap. 29.] Alterutrum quidem fore in caussa, hoc est plenilunium aut interlunium, non erit dubium. Vbi significatur uel pro caussa, uel planè caussam in accusatiuo.

Sub. Sub, accusatiuo iungitur, cum uel paulò antè uel circa significat. Cæsar [lib. 5. bell. Gall.] Dies cōtinuos triginta sub brumam esse noctes. Suet. in August. Sub horam pugnæ tam arcto repente

pente ſomno deuinctus, ut ad dandũ ſignum ab amicis excitaretur. Liui. [li.1.dec.1.] Vtrinq; legati forte ſub idem tempus ad res repetendas miſsi. Hoc modo & cum ablatiuo legitur. Plin. de ceruis [li.8.ca.32.] Cornua mares habent ſoliq; animalium omnibus annis ſtato ueris tempore amittunt: Ideo ſub ipſa die quàm maximè inuia petunt. Item cum paulo pòſt ſignificat. Cic. ad Planc. [lib.10.epiſt.16.] Cum is frigidas ſanè & inconſtantes recitaſſet literas Lepidi, ſub eas ſtatim recitatæ ſunt tuæ. Et cum Per. Virg. [lib. 1. Georg.] Et ſimulacra modis pallentia miris Viſa ſub obſcurum noctis. Idem [libro 1. Aeneid.] Et ſub noctem cura* recurrit. Et cum pro In. Idem [eod.lib.] Namq; ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo. Item cum pro ὑπὸ ſiue ſubter ponitur, ſed cum motu ad id, cui præponitur, ut Virg. [li.2.Aen.] Poſtéſq; ſub ipſos Nituntur gradibus. Nam ſine tali motu ablatiuum uult. Virg. [li.1.Geor.] At illum Sub pedibus Styx atra uidet manéſq; profundi. Hor. [in arte] Et adhuc ſub iudice lis eſt. Videri poteſt & cũ motus aliquis intelligitur, ablatiuo coniungi, ut: [Virg.li.8.] Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu. In illis autem, Sub die, ſub manu, neſcio an pro Intra interpretere. Senec. ad Lucil. [li.10.epiſt.72.] Conſilium naſci ſub die debet: hoc quoque tardum eſt nimis. Sub manu (quod

(quod aiunt) nascatur. Suetonius in August. Et quo celerius ac sub manu annunciari cognoscique posset.

Super, cum Subter præpositionis contrariũ significat, item cum pro, uel de, uel ob, uel post significat, ablatiuo iunctum reperitur. Virgil. [Eclog. 1.] Fronde super uiridi sunt nobis mitia poma. Idem [libro 4. Aeneid.] Nec super ipse sua molitur laude laborem, id est, Pro sua laude. Idem [lib. 1. Aene.] Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. pro de Priamo. Cic. Attic. [lib. 16. epist. 3.] Hac super re scribam ad te. Idem: Hac super re scripsi ad te. Tacitus [lib. 4.] Multus ea super re uariúsque rumor. Quomodo Gellius feré loquitur. Virg. [li. 1.] His accẽsa super iactatos æquore toto, Troias relliquias Danaûm &c. id est, Ob hæc uel post hæc. Accusatiuo uerò cum Prope significat, ut Liuius [lib. 1. dec. 1.] Situs est, quemcunq; eum dici ius fasq; est super Numicum amnem. Et pro In, ut ad interpretationem refertur, ut cum dicimus, Seruius super Virgilium. Et cum ultra significat uel inter, quasi in tempore. Virgil.* Ille super Gangem, super et Garamantas & Indos Proferet imperium. Liuius [libro primo decad. 1.] Super ripas Tyberis effusus. pro ultra utrobique. Sueton. in Cæsare: Pridie quàm occideretur, in sermone nato super cœnam apud

pud Marcum Lepidum, quisnam esset finis uitæ commodißimus, repentinum inopinatúmq; pretulerit. Aliquando tamen ablatiuo pro Vltra, iungitur: ut [Virg. lib. 9. Aeneid.] Nocte super media. Sicuti rursus in prima & propria significatione, nempe ut est contrarium, subter, interdum accusatiuo. Virg. [lib. 1. Aenei.] Furor impius intus Sæua sedens super arma.

Subter, uno significato modò accusatiuo iungitur apud autores, modò ablatiuo. Liuius: [lib. Subter.
9. decad. 4.] Pugnatum est super subtérq; terram. Stat. [libro 12. Theb.] Desilit in campum, qui subter mœnia nudos Asseruat manes. Virg. [lib. 9. AEneid.] Cum tamen omnes Ferre libet subter densa testudine casus.

Similiter, Clam, accusatiuo, ut Cicer. [in Salust.] Timens ne facinora eius clam uos essent. Clam.
Plaut. in Mer. [act. 2. scen. 3.] Ratus clam patrem meum posse habere. Ablatiuo. Idem: [in prolog. Amphit.] Is amare occœpit Alcumenã clam* uiro. Cicer. Attic. libro 15. epist. 1.] Quin etiam paulò clam ijs eam uidi.

Tenus, ablatiuum post se tum singularem Tenus.
tum pluralem recipit, ut [Virg. lib. 3. Aen. [Pube tenus. [Ouid. li. 5. metam.] Pectoribus tenus. Genitiuum uerò tantum pluralem, ut [Vir. 3. Georg.] Crurum tenus. Sic tamen Seruio præpositio non est sed aduerbium. Priuatim, tenus &

uersus,

uersus, præter reliquarum naturam, sequuntur dictiones quibus inseruiunt, ut Romam uersus, Pube tenus. Earúmque naturam & cum imitatur post prouocabulum & quædam pronomina, ut Qui cum, quocum, quibuscum, mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum. Sunt qui ijs addant Procul, quod tum ablatiuo iungitur, ídque frequentius. Tacitus: Nec procul cæde aberam. Tum accusatiuo. Plin. nat. hist. [lib. 6. cap. 53.] Villa est Campaniæ haud procul Neapolim. Liui. [lib. 1. dec. 3.] Locus procul* muros satis æquus agendis uineis fuit.*

Procul.

ADVERBIORVM.
constructio.

ADuerbia quoq; partim in quosdam casus, partim uerborum modos temporáue, partim in quædam priuatim nomina ius habent, ut per species contemplari licebit. Ex ijs igitur quæ loci esse diximus, genitiuis iuncta legimus, Vbi, ubinam, nusquam, eò, & longé, ut Vbi gentium, ubinam gentium, nusquam gentium, longé gentium. Cicer. ad Attic. [libro sexto epistola tertia.] Tu autem abes longé gentium. Eò loci. De procul uerò, siue præpositio sit, siue aduerbium, mox dictum est.

Aduerbia in genitiuum.

Vsque, quod tum loci tum temporis aduerbium est, his præpositionibus coniunctum legitur: Ab, ut [Vir. lib. 7. Aen.] Siculo prospexit ab usque

Vsque.

ab usq; Pachino. Ad, ut [Virg.eclog.5.] Hinc usq; ad sydera notus. Ex, ut [Teren.Eun.act.3. sc.2.] Ex Aethiopia est usq; hæc. In, ut Vsq; in flumen. Sub, ut Vsq; sub obscurum noctis. Item ex his quæ tempus significant, genitiuo iunguntur: Tunc, interea, pridie, postridie, ut: Tunc temporis. Interea loci, nisi hoc compositum dicas. Pridie eius diei. Iustin. [li.1.] Tunc temporis Persarum Cambysi mediocri uiro. Idem in Aemilio Probo legitur, sed locus non succurrit. Teren. [Eunuch.act.1.sc.2.] Te interea loci cognoui. Cicero ad Lentulum [libro 1. epist. 4.] Quod illam sententiam Bibuli de tribus legatis, pridie eius diei fregeramus. Cæsar de bell. Gall. [libro primo] Postridie eius diei Cæsar præsidium utriusq; castris, quod satis esse uisum est, reliquit. Nam quod hæc posteriora cum accusatiuis leguntur, uel Enallage est. Cicer. ad Attic. [libro 2. epistola tertia.] Tu pridie compitalia memento, balneum calefieri iubebo. Liuius [libro sexto decad.1.] Etiam postridie Idus rebus diuinis supersederi iussum est. Vel eclipsis præpositionum, ante & post. Dudum, pridem, & nuper, præteritis uerborum iungi postulant. Terentius [Andria actus 3. scena 4.] Narro huic,* quæ tu dudum narrasti mihi. Plinius nat. histor. [libro septimo capite decimosexto.] Ipsi uerò pridem uidimus eadem fermé omnia præter

Aduerbia iuncta præteritis

ter pubertatem, in filio Cornelij Taciti equitis Romani. Cic. [de amic.] Neque enim assentior his, qui nuper hæc disserere cœperunt. Hoc tamen & cum præsenti iunxit Terentius in Heauton. [act.1. scen.1.] Quanquam hæc nuper inter nos noticia admodum est. Iamdudum & iampridem præsens magis uolunt: sed ubi manere adhuc actio, non cessasse intelligitur. Terentius [Eunuch. act.4. scen.7. Iamdudum animus est in patinis. Virgilius [libro 1. Georg.] Iampridem nobis cœli te regia Cæsar Inuidet. Idem [Eclog.2.] Iampridem à me illos abducere Thestilis orat. Sed nonnunquam & præteritum admittunt, ut Plautus [Menech. act.2. scena tertia.] Iamdudum mulier tibi non imprudens aduersabar. Plinius [libro 19. capite 1.] Iamdudum ex eadem Hispania Zoëliton uenit in Italiam plagis utilißimum. Idem: Quod maiores nostros iampridem fecisse manifestum est. Salustius [de con. Catilin.] Iampridem equidem nos uera uocabula rerum amisimus. Iamdudum uerò pro continuo uel quamprimum, omnibus modis & temporibus iungi potest. Similem his constructionem habet Iamolim. Quintilianus [decl. 3.] Olim iam imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locum quærit. Pro iam longo tempore. Virgil. [lib.2. Georg.] At iamolim seras posuit cum uinea frondes.

Iamdudum.

Iampridem.

Iamolim.

Donec

Donec pro quamdiu, finitiuos uerborum adsciscit modos. Ouid. [lib.1.trist.eleg.1.] Donec eram sospes. Et pro quoad uel quousque, modò item finitiuos. Liui. [in præfat. operis.] Donec ad hæc tempora, quibus nec uitia nostra, nec remedia pati possumus, peruentum est. Virg. [lib.1. Aeneid.] Donec regina sacerdos Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem. Idem: [Eclog.6.] Cogere donec oues stabulis numerúmque referre iussit. Modò subiunctiuos. Columel. [lib. 12. cap. 26.] Donec ea aqua, quam adieceris decocta sit. Donec.

Dum, de re præsenti non perfecta, fatendi modo iungitur. Teren. [Eu. act.3. scen.5.] Dum apparatur, uirgo in conclaui sedet. Idem* Dum hæc mecum reputo. Etiam pro donec. Virgil. [Eclog. 9.] Tityre dum redeo, breuis est uia, pasce capellas. Cic. [lib. 10. epi. 3. Att.] Ego in arcano operior, dum ista cognosco. Idē Att. [lib.10. ep.10.] Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem dum quid de Hispanis agamus, scitur, expecta. Et pro quamdiu. Terent. [Heaut. act.1. sc.1.] Ego te meum dici tantisper uolo, dum quod te dignum est, facis. Pro dummodo uerò aliâs potentiali. Idem [And. act. 5. scen.1.] Dum id efficias quod cupis, neq; modum benignitatis, neq; quid me ores, cogitas. Idem [And. act.4. scen.1.] Dum prosim tibi. Salust. Dum.

[de con. Catil.] Neq; id quibus artibus assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Aliâs subiunctiuo. Tere.] And. act. 5. scen. 3.] Dum ne ab hoc me falli comperiar Chreme. Et pro donec subiunctiuo. Virgil. [libro 1. Aeneid.] Tertia dum Latio regnantem uiderit æstas.

Quoad. Quoad pro quandiu, indicatiuis. Terentius Phorm. [act. 1. sc. 2.] Quid senem quoad expectatis uestrum? Et subiunctiuis. Cic. [de amic.] Vt quoad possem & liceret, ab eius latere nunquam discederē. Pro donec, subiunctiuis. Planc. Cic. [lib. 10. epist. 21.] Omnia ut integra seruem dabo operam, quoad exercitus huc submittatis.

Non. Ex negandi aduerbijs, Non omnibus modis præter imperatiuum iungi potest, ut: Non facio, utinam non faciam, non fecissem, cum non facerem, non facere.

Ne. Ne uerò prohibendi aduerbium, secundis personis non solum subiunctiuorum (ut Seruius præcipit) sed etiam imperatiuorum. Et horum quidem, ut Virg. [lib. 6. Aeneid.] Ne sæui magna sacerdos. Idem [libro 7.] Ne pete connubijs. Idem [eodem libro.] Ne fugite hospitium, neue ignorate Latinos. Liuius [lib. 3. decad. 1.] Crastino die oriente sole in aciem redite, erit pugnandi copia, ne timete. Subiunctiuorum uero, ut Teren. [Eun. act. 2. sc. 1.] Ego quoq; unà

pereo,

pereo quod mihi charius est, ne istuc tam iniquo patiare animo. Plin. ad Suet. [libro 8. epist. 18.] *Aut si tutius putas illud, cautißimi cuiusque præceptum quod dubites, ne feceris, id ipsum rescribe.* Terent. [Eu. act. 4. scen. 7.] *Hic nebulo magnus est, ne metuas.* Ne tamen pro non, etiam alijs modis & personis meritò adiungitur. Optatiuo, ut Cic. [lib. 7. epi. 24.] *Sed ne uiuam, si tibi concedo.* Mart. [lib. 6.] *Ne ualeam, si non multo sapit altius istud.* Terent. [Phor. act. 1. sce. 3.] *Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem uenisset.* Subiunctiuo, ut Terent. [And. act. 5. scena. 3.] *Hoc modo te obsecro, ut ne credas à me allegatum hunc senem.* Equidem (ut Seruius notat) cum non solum pro Ego quidem, ut apud Virgilium ubiq;, sed etiam pro Quidem accipiatur, non immeritò diuersis personis iungitur. Virg. [li. 1. Aene.] *Equidem per littora certos Dimittam.* Persius: [Sat. 5.] *Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo Consentire deos.* Idem: [Sat. 1.] *Per me equidem sint omnia protinus alba.* Cic. Att. [lib. 13. epi. 23.] *Equidem id erat primum & maximum Clodiæ.* Iurandi aduerbijs finiendi modus, uel potentialis maximè conuenit. Ter. [And. act. 3. sc. 2.] *Perecastor scitus puer natus est Pamphilo.* Et, *non hercle fecissem.*

Equidem.

Iurandi aduerbia.

Quæ uero hortandi uocantur, imperatiuos

Hortandi aduerbia. omnia poscunt, ut Dic sodes, Vide sis. Quædam tamen cum discretione. nam Age, singularem ferè postulat. Terentius. [Andria. act. 4. scena 2.] Age si hic non insanit, satis sua sponte instiga. Rarius plurali iungitur, ut Val. Flac. [lib. 3. Argo.] Vos age funereas ad littora uoluite syluas, Plaut.* Age licemini. In Persa. [sce. ult.] Age sultis Agite, plurali. Virg. [lib. 1 Aeneid.] Quare agite ô tectis iuuenes succedite nostris. Agedum utrinq;, Plautus. Asin. [act. 4. scen. 1.] Agedum istum ostende, quem conscripsisti syngraphum. Cic. [pro Sylla] Sic agedum conferte nunc cum alijs uitam Pub. Syllæ, uobis populóq; Romano notissimam. Quint. [Decla. 12.] Agedum si uidetur, extra portas prospicite. Agitedum, plurali. Liuius. [libro 8. Decad. 1.] Agitedum ite mecum.

Vocandi aduerbia. Vocandi aduerbia nominũ iunguntur uocatiuis, ut O Melibœe, O scelestе. Amabo & amabote, siue aduerbia sunt hortantis, siue interiectiones blandientis, libet singularium speciem præbeant, tamen singularibus & pluralibus accommodantur. Singularibus, ut Cic. ad Quintũ fratrem: [lib. 2. epist. 8.] Amabote aduola, consolabor te. Pluralibus. Plaut. Trucul. [act. 2. sc. 4.] Properate, afferte mensam amabo. Idem Rud. [act. 1. scen. 3.] Quo amabo ibimus? Idem [act. 4. sc. 4.] Ite inquam domum amabo.

Optandi

Optandi aduerbia ut optatiuorum sunt propria, ita meritò ijs solis iunguntur. Teren. [Eu. act. 4. scen. 3.] Vtinam sic sint, qui mihi malè uolunt. Virg.* O si remeasset in urbem. Idem [lib. 6. Aeneid.] Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat. Idem [Eclog. 2.] O tantum libeat mecum tibi sordida rura Atq; humiles habitare casas. Quantitatis aduerbia genitiuos post se recipiunt, ut: Satis sapientiæ, Parum animi. Præterea multum, paulum, & paululum, si modò aduerbia sunt, ut: Multum eruditionis, Paulum otij. Optandi aduerbia. Quantitatis aduerbia.

Quæ diuersitatis appellauimus, nempe Aliter & secus, in ablatiuum generalis qualitatis feruntur, Multo aliter, Paulo secus. Quorum naturam duo illa temporis imitantur, Ante & post, ut: Multo ante, Paulo post. Varro de re rust. [libro 2. cap. 1.] Præterea habenda ratio, quanto ante, quàm incipiat admissura fieri, mares à fœminis secretos habent. Quibus addi, ut uidetur, potest Clam, ut Cic. Att. [lib. 15. ep. 1.] Quinetiam paulo clam ijs eam uidi. Diuersitatis aduerbia.

Quæ comparatiui & superlatiui gradus sunt, nominibus his à quibus proxime ducuntur similem constructionem habent, ut: Doctius illo, & doctißimè omniũ. Propius illo, Proximè omnium. Propius uerò & cũ datiuo legitur. Virg. [li. 1. Geor.] Propius stabulis armẽta tenerent. Comparatiui & Superlatiui gradus aduerbia.

Vtrunq; uerò tam propius quàm proxime, accusatiuo, sicut prima eorum origo, iunctum reperitur. Cic. ad Octa. Cur medio castra itinere longius aduersariorum castris, & propius urbem mouentur? Idem pro Mil. Proximè deos accessit. Idem Att.* Officium meum esse putaui quàm proximè hostem esse. Hircius. [lib. 8. bell. Gall.] Cum propius hostem accessisset, Legimus & propius ad deos, & propius à terris. Cicer. pro Ligario: Homines enim ad deos nulla re propius accedere, * quàm salutem hominibus dando. Idem de natura deorum [lib. 2.] Infra autem hanc propius à terra Iouis stella fertur.

Intensionis aduerbia.

Hæc intensionis aduerbia, Per & Quàm, illud Latinæ cōstructionis ius proprium habent, quod, Per, absolutis iunctum legitur. Ter. [Eu. act. 3. scen. 2.] Perpulcra credo dona haud nostris similia. Item quibusdam uerbis, ut: Peruelim, perplacet. Rarißimè superlatiuis, ut Colu. [lib. 3. cap. 20.] Adhuc perpaucißimis contigit agricolis. Quàm uerò superlatiuis. Terent. [in Prol. Eu.] Si quisquam est, qui placere se studeat bonis quàm plurimis. Quint. [ad Triphonem.] Vt in manus hominū quàm emendatißimi ueniant. Rarißimè aliter. ut Plin. [lib. 33. cap. 11.] Quare quæso, nisi ut quàm multi eas conserui inferrent. Sed cum talia rarißima sint (quod dicendum semel fuerit) qui similiter ueteribus

teribus loqui studebit, non committet, ut ea frequenter, in quibus si non per incuriam sunt admissa, certè illi fuere parcißimi. Quàm, pro quantum positiuis iungitur, siue infinitè legatur, ut Cicer. Videte, quàm ualde malitiæ suæ confidat. Siue interrogatiuè, ut Teren. [And. act.1.scen.1.] Reiecit se in eum flens quàm familiariter. Quibusdam tamen interpositis uerbis, cuiusmodi sunt Possum, ualeo, & synonyma, tum superlatiuis tum positiuis additur. Et superlatiuis, ut Salust. [de bell.Iugur.] Iugurtha quàm maximas potest, copias armat. Cæsar comment. [lib.1.de bel.Gal.] Re frumentaria quàm celerrime potuit comparata. Positiuis, ut Cic. Phil. [2.] Sed*reliquum cursum uitæ, quàm quidem possum breuiter perstringam. Cum ijsdem uerbis & Vt pro quàm uel quantum subinde positum legas. Cic. de Orat. [lib.2.] Hæc ut breuißimè dici potuere, ita à me dicta sunt.

Etiam non minus eleganter nomen ipsum, Quantum, ut Cicer. de amicitia: Tanta est inter eos, quanta maxima potest, morum studiorúmq; distantia. Quintil. [lib.2. cap.8.] Cum aliquid adhibitáq; quanta maxima potest cura, diligenter elimauerit. Ex aduerbijs ijs, quæ rei non planè peractè appellauimus, Ferè, & cum uniuersali signo & apposito & omisso, idem subinde ualet: ut In festis ferè hac utor ueste, pro ferè

Quantum.

Rei non peractæ aduerbia.

ſemper. Et, Sic ferè uiuitur. pro ubique uel ab omnibus. Et, Romani ferè orbem ſubegerunt. pro ferè totum orbem. Cicer. [lib.2.de Orat.] Neganda ferè ſunt omnia. Quint. [li.2.cap.5.] Nam in omnibus ferè minus ualent præcepta, quàm experimenta. Idem [lib.2.cap.4.] His ferè ueteres facultatem dicendi exercuerunt, pro ueteres omnes.

Perquam, ſanequam, ualdequam, & alia.

Illa uerò complexa, Perquam, ſanequam, ualdequam, admodumquam, minuſquam, oppidoquam, & oppidoperquam, abſolutis nominum maxime iunguntur, & quibuſdam uerbis. Seruius Sulpitius ad Cic. [lib. 4. ep. 5.] Sanequam pro eo ac debui, grauiter moleſtéq; tuli. Decius Brut. ad Cic. [lib.11.epiſt.13.] Nam ſuos ualdequam paucos habet. Tit. Liuius [lib.9.Dec.4.] Nec enim multa ſolum, ſed etiam pleraq; oppidoquam parua erant. Cæſar in Comment. [de bell. Africano.] Quibus rebus oppidoperquam pauci ſub pellibus acquieſcebãt. Cic. ad Q. fratrem [li.2.epiſt.6.] Sanequam refrixit. Cælius ad Cic. * Sanequam literis Cæſaris ſumus commoti. Plin. ad Suram [lib.7.epiſt.27.] Perquam uelim ſcire eſſe phantaſmata, ſeu habere propriam figuram numénq; aliquod putes. Rariſſimè autem iunguntur ſuperlatiuis, ut Curtius [libro 4.] Beſſum quoque Bactrianorum ducem perquam maxime poſſet exercitu coacto, deſcendere

re ad se iubet. Pom. de origine iuris: Nam ante eum Seruius duos libros ad Brutum perquam breuißimos ad edictum subscriptos reliquit. Similem his & illa naturam habent, In primis, in paucis, cum paucis, inter primos, inter paucos, super omnes, ante alios, præter cæteros, ut quæ absolutis frequenter iungantur. Salu. [De con. Catilin.] Tamen in primis arduum uidetur res gestas scribere. Idem [eodem libro.] Id facinus ego in primis memorabile existimo. Superlatiuis raro iuncta legas, sicut in illo Cic. in Verr. Homini in primis gloriosißimo respondet. Et Plinius de absinthio. [lib. 27. cap. 7.] Conuenit dicere herbæ facilimæ atq; inter paucas utilißimæ. Et Virg. [lib. 7. Aeneid.] Petit ante alios pulcerrimus omnes Turnus. Raro etiam comparatiuis, ut in illo Virg. [lib. 1. Aeneid.] Scelere ante alios immanior omnes. Et Suet. in Galba: Præter cæteras altiorem & dealbatam crucem statui iußit.

Longe uerò pro ualde, comparatiuis additur & superlatiuis. Quint. * Longe omnium quos quidem mihi uidere contingit, præstantißimus Domitius Afer. Virg. [lib. 9. Aeneid.] At pedibus longe melior Lycus. Præterea his quibus diuersitas significatur, partim aduerbijs, cuiusmodi sunt Secus, Aliter, ut: Longe aliter, Longe secus. Cicero de amicitia: Quod longe se- Longe.

 cus

cus est. Partim nominibus, ut Alius, diuersus, dissimilis, alienus. Salust. [de con. Catil.] Longe mihi alia mens est patres Con. Pari modo ijs quæ superlationem quandam important: siue ea uerba sint, ut: Vinco, supero, & quæ ex Præ, post, & ante componuntur, ut: Præcello, præsto, posthabeo, antecello. Quint. [li.10. cap.1.] Sed eum longe præcedunt ingenia uiuentium. Siue nomina sint, ut: Princeps, præcipuus, primus. Idem Quintil. [eod. lib.] Nouem uerò Lyricorum longe Pindarus princeps. Cum his autem proximis nominibus, & generaliter superlatiuis etiam, Facilé, pro haud dubié sæpe iungitur. Cic. pro Rab. Virum unum totius Græciæ facilé doctissimum Platonem. Idem pro Rosc. Non solum municipij larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius & uicinitatis uirtute, existimatione, nobilitate facilé princeps. Quintil. de Eurip. [lib.10. cap.1.] In affectibus* tum omnibus, tum in ijs quæ miseratione constant, facilé præcipuus & admirandus maxime est. Dicimus etiam, Facilé secundus, sed pari modo ad dignitatem referentes magis quàm ordinem. Alia quoque quæ ad intensionem referuntur, superlatiuis iunguntur, ut: Eximié, egregié. Colum. [lib.8. cap.17.] Stagnum censemus eximié optimum, quod sic positum est.

Facilè.

Eximiè.
Egregiè.

Ex similitudinis aduerbijs, quæ imaginem potius

tius innuunt, uerbi quidem subsistendi subiun- Similitudinis aduerbia.
ctiuis iunguntur, fréque si præsens præcedit
præterito imperfecto, ut: Incedis, ueluti rex
esses. Aliorum uerò uerborum potentialibus
potius: Incedis, ueluti rex incederet. &, Facis,
ueluti uir probus faceret. Minaris, quasi læde-
re poßis. Plin. nat. hist. [lib.2. cap.63.] Tan-
quam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam
irascatur. Quæ uerò similitudinem significant,
indicatiuis, ut: Fremis, sicut uel sicuti leo fre-
mit, uel fremere solet. In hoc genere sunt, quæ
inter se natura præcedant & sequantur. Præ-
cedunt, Sic, ita, & itidem. Sequuntur. Vt, uti,
sicut, sicuti. Sueton. [in Augusto] Centuriones
statione deserta, itidem ut manipulares capitali
animaduersione puniuit. De Sic, adiurantis ali-
bi dicetur. Ex his duo, Vt atq; Ita, superlatiuis Vt, Ita.
sæpe iungi solent, & paria esse uolunt. Nam si
prius superlatiuum sortiatur, reliquum quoque
superlatiuum postulat. Cic. de Orat. [lib. 1.]
Vt enim quisq; optimè dicit, ita maxime dicendi
difficultatem, uariósq; euentus orationis, expe-
ctationémque hominum pertimescit. Idem de
Officijs [libro 1.] Vt quisque animi magnitudi-
ne maximè excellit, ita maximè uult princeps
omnium, uel potius solus esse. Quint. Quod ut
longè optimum, ita difficilimum est. Similem Tam &
his naturam habent, Tam & quàm, siue pro quàm.

iam dictis accipiantur, ut Salust. [de bell. Iug.] Quàm quisq; peßime fecit, tã maxime tutus est. Teren. [Heau. act. 5. scen. 2.] Namq; adolescens quamminima in spe situs erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet suas. Siue pro tantum & quantum accipias, maximè præcedente Tam, ut: Hic est tam omnium optimus, quàm nobilißimus. Sic tamen etiam comparatiuos, tametsi raro, admittunt. Virg. [lib. 7.] Tam magis illa fremens & tristibus effera flãmis, Quàm magis effuso crudescũt sanguinæ pugnæ, id est, tanto magis, quanto magis. Nam quòd absoluta hoc significato recipiunt, sicuti tantum & quantum, quorum uicem explent, nemo dubitet. Non sit hoc loco inutile monitu, quædam ex similitudinis aduerbijs sæpe amphibologiam in oratione creare, quæ aliter quàm ex circumpositis discuti uix poßit. Sicuti Quemadmodum & Quomodo, ut in illo Quint. [lib. 2. cap. 13.] cum similibus: Lumina non inter umbras, quemadmodum Cicero dicit, sed planè in tenebris clariora sunt. Incertum enim est ex ipsa dictione, quid affirmare Ciceronem Quintilianus uelit.

Demonstrandi aduerbia.

Demonstrandi aduerbia nominatiuis frequentius iunguntur. Quintilianus: En improbitas. Virg. [lib. 1. Aene.] En Priamus. Cic. Ecce tibi status noster. Idem ad Att. [lib. 2. epist. 8.] Ecce tibi nuncius pueros uenisse Romam. Rarius

accusa

accusatiuis. Plaut. in Bacch.*Opúsne erit tibi
aduocato tristi, iracundo? Ecce me. Iuue. [Sat.
2.] En habitum. Prisci ex his aduerbialia nomi
na declinarunt, Eccus, ca, cum, quod ecce hic Eccus.
significat. Et Ellus, la, lum, quod ecce illic signi Ellus.
ficat. Construitur autem utrunque intransitiuè
cum eo quod demonstratur. Terent. [Eu. act. 2.
scen. 2.] Eccum Parmenonem. Idem: *Sed ecca
ipsa egreditur. Idem: [And. act. 5. sce. 2.] Ellum
confidens & catus, cum faciem uideas uidetur
esse quantiuis pretij. pro ecce illic uirum: hoc
enim subintelligitur. Quæ negatæ solitudinis, Negatæ soli-
siue congregandi diximus, ut Non solum, non tudinis aduer
modò, non tantum, nedum, ea duos sensus ferè bia.
postulant. Quorum secundus, si horum aliquod
sine altera negatione priorem occupat, per Sed
etiam, uel uerum etiam, uel sed ne, uel sed nec,
redditur, ut Cor. Balb. Cicer. [libro 9. epist.
10. ad Att.] Nedum hominum humilium, ut nos
sumus, sed etiam amplissimorum uirorum consi-
lia ex euentu, non ex uoluntate, à plerísque pro-
bari solent. At si additur illis alia negatio, succe
dunt ferè, Sed nec, uel sed ne quidem. Cicer. Att.
[libro 10. epist. 4.] Horum ego summorum im-
peratorum non modò res gestas non antepono
meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi
florentissima, nos duriori conflictati sumus.
Aliquando tamen sic quoq; succedit, sed etiam.

Cicero

Cicero Dolabel. [lib. 9. epist. 14. famil. & lib.14.epist.13.Att.] Contingit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modò non inuidiosa, sed etiã popularis esset. Dixi suprà, duos hæc sensus ferè postulare, propter elegãtem illam figuram, qua utitur Quintil. [lib.12.cap.10.] Primi quorum quidem opera non uetustatis modò gratia uisenda sunt, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus, atq; Aglaophon. Idem [lib.1.cap.1.] Et Quinti Hortensij filiæ oratio apud triumuiros habita, legitur non tantum in sexus honorem. Horum aduerbiorum peculiaris quidem autorum usus à Laurentio [li.2.ca.18.] obseruatur. Nedum enim cum posteriorem clausulam tenet, in affirmatione minoris momenti rei iungitur: ut, Effunderem pro te sanguinem, nedum pecuniam. In negatione contrà: Non effunderem pro te pecuniam, nedum sanguinem. Reliquorũ contrarium huic notat usum, ut & priorem sensum occupent, et clausulas, quæ res tum imparis tum paris momenti sunt, coniungant: & quæ impares sunt, contrario ordine committant: ut, Non solum, uel non tantum, uel non modò pecuniam pro te effunderem, sed etiam sanguinem, uel sed etiam mortem oppeterem. Et negatiuè: Non solum non moriar pro te, sed nec effundam pecuniam. In rebus paribus: Non solum

Obseruatio de Nedum.

solum uestes à me accipies, sed etiam libros. Videtur tamen hic horum aduerbiorum usus nonnunquam confundi. Nam & Nedum in priore clausula pro non solum uel non tantum legimus, ut Cicero Attico [libro decimo epistola decimasexta.] Tu quoniam quartana cares, & nedum morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te uegetum nobis in Græcia siste. Et non modò, secundo loco positum pro nedum. Plinius natur. histor. [lib. 18. capit. 24.] Cum res inter rusticos geratur literarum expertes, non modò syderum. Est enim tanto maius esse literarum expertes quàm syderum, quanto ad earum peritiam facilius peruenitur. Trebonius Ciceroni [libro undecimo epistola 16.] Non enim nescis, quanti te faciam, & quàm pro nostro ueterrimo uerißimóque amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tam magno * gaudeam. Hoc uerò & inter paria, ut idem notat, in secundo loco legitur. Cicero [libro 1. offic.] Ad quod est adhibenda actio quædam, non solum mentis agitatio. Quanquam potest in his intelligi imparitas. Non solum, uerò inter paria & in posteriore loco inuenitur, ut Cicero Att.* Vestrum iam consilium est, non solum meum, quid sit uobis faciendum.

Vt (quod Græci apostaticon uocant) hæc ferè sequitur, Tam, talis, tantus, tot, adeò, sic, ita. Vt apostaticon.

ita. Et subiunctiuum postulat uerbi, quòd ferè tum à superiore est diuersum, tum eius intentionem declarat. Vnde fortasse Apostaticon est dictum, quod eiusmodi digressum ad aliud uerbum facit. Quintilian. [Declam. 7.] Nunquam adeò pro nobis solicita lex est, ut quod præstat, extorqueat. Plinius. [lib. 34. cap. 8.] Signis quæ uocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, ut secum circunferant. Idem [libro octauo, cap. 22.] Nullum est tam impudens mendacium ut teste careat. Cicero [libro 7. epist. 27. famil.] Cum ita ieiunus fuissem, ut ne aquam quidem gustassem. Idem de Senectute:* Senectus plerisque sic odiosa est, ut onus AEtna grauius dicant se in humeris portare. Huc spectant & elocutiones illæ, quæ per Tantum abest & adeò nō figurantur.

INTERIECTIONVM CONSTRVCTIO.

INteriectionem uerbis cohærere non posse affirmat Seruius, atque inde adeò factum, ut diuersa pars ab Aduerbijs constituta sit.

Sunt

Sunt tamen quæ nominum uarios exigunt casus. Hei namq; & Veh datiuis hærent. Virg. [lib. 2. Aeneid.] Hei mihi qualis erat. Mart. [lib. 5.] Veh tibi causidice. Terentius* Veh capiti tuo. Hei uerò et nominatiuo. Idem:* Hei misera. Heu & proh modò accusatiuis, ut: Virg. [lib. 7. Aeneid.] Heu stirpem inuisam. Terent. [And. act. 1. sc. 5.] Proh deûm atq; hominum fidem. Modò nominatiuis. Virgil. [lib. 6. Aeneid.] Heu pietas, heu prisca fides. Plin. Heu dementia allatoris aduentus semper est gratus. Teren.* Proh Iupiter nunc est tempus profectò interfici me. O quoq; modò accusatiuis iungitur. Cic.* O te felicem Marce Porci. Virgilius [libro 1. Georgic.] O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas. Modò nominatiuis. Idem [libro 1. Aeneid.] O fortunati, quorum iam mœnia surgunt. Senec. [lib. 1. natur. quæst.] O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit. Teren. in Phorm. [act. 2. scen. 2.] O uir fortis atq; amicus. Modò uocatiuis. Cicer. O nox illa, quæ* tenebras attulisti. Minime ignorandum tamen easdem in oratione absolutè quoq; posse interseri. Virgil. [Eclog. 1.] Spem gregis ab silice in nuda connixa reliquit.

Hei, Veh.

Heu, Proh.

O.

CONIVNCTIONVM CONSTRVCTIO.

A Con-

Coniunctionis præcipua uis in iungendis longioris sermonis sensibus est. Itaq; nullam constructionis speciem efficit, qualem hactenus tractatæ partes inter se constructæ. Sed est & alia uis eius, qua nimirum in uerba ius habet, ut quorum modum nonnunquam mutet. In alias partes sola fortaßis opinione, qua scilicet uidetur etiam casus, generis, numeri, & temporis rationes attingere. Quorum tamen leges ex alijs si quis penitus inspiciat, omnino pendere deprehendet. Prior eius uis ex definitionibus specierum feré patet. Alteram hoc loco tractabimus, adiectis nonnullis quæ ad Latini sermonis proprietatem pertinent. Copulatiuæ igitur & disiunctiuæ, casualium dictionum, quæcunq; ad unum referuntur uerbū, similes omnino casus nectunt: Xenophon & Plato fuere æquales, Socrates docuit Xenophontem & Platonem. Nisi obstet ipsius casualis dictionis ratio ulla priuata, ut in his: Emi equum centum numis & pluris. Fui Romæ & Thebis. Horat. in arte Poët. In Meti descendat iudicis aures, Et patris & nostras. Aut in illa dicendi figura, qualis est Plin. in 7. [cap 2.] Choromandorum gentem uocant Tauroni, * siluestrem sine uoce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dētibus caninis. Qua figura Columella nō semel utitur. Nec si copulatiua particula Hic desideratur, quic-

Copulatiuæ & disiunctiuæ.

quicquam id refert, cum necessariò subaudiatur. Parem his uim & illa quatuor habent, Quàm, nisi, an, præterquam: ut, Alterũ uides an utrunque: Est minor natu quam tu. Nemini placet nisi sibi, uel præterquã sibi. Eædem copulatiuæ & disiunctiuæ in adiectiuis præter casum, generis quoq; & numeri similitudinẽ exigunt, ut Socrates fuit modestus & grauis. Idem nonnulli grammatici de modo & tẽpore in uerbis præsertim diuersis censent, ut Sedeo & scribo. Sed aliter sæpe deprehendas, ut Terent. [And. act. 4. sc. 1.] Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres. Idem in Eunuch. [act. 4 scen. 6.] Et habetur & refertur à me Thais tibi, ita uti merita es, gratia. Cicero ad Attic. [li. 1. epist. 12.] Confidebã ac mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter uos. Cicer. Trebatio: [lib. 7. epist. 17.] Ex tuis literis & Quinto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare possum. De quatuor tamen additis, Quàm, alijs interdũ modis reddit indicatiuum: ut, Vtinam cautior sis, quàm ille fuit. Quamuis cautior sis, quàm ille erat. Priuatim quædam copulatiuæ, sicuti Et, cum synonymis, appellatiuis & proprijs, quæ coniungunt, pluralis numeri uim aliquando conferunt: quæ tamen aliâs solui in singulares possunt, ut Consules erant Cæsar & Bibulus: Consul erat Cæsar, & Consul erat Bibulus. Aliâs

non possunt, nisi falsum efficiant sensum. ut Duo & tria efficiunt quinque: non enim ita sol uas, Duo faciunt quinque, & tria faciunt quinque. Et Syrus & Dromo possunt ferre tot pondo: non tamen statim Syrus potest ferre tot pondo, & Dromo tot pondo. Item animal diuiditur in rationale & irrationale: non tamen animal diuiditur in rationale, & animal diuiditur in irrationale. Itaque Dialectici hæc nisi in sensu composito non concedunt. Pluralis uim his, quæ coniungit, confert interdum & Neque geminata, ut apud Terentium: [Adelph. act. 1. scen. 2.] Hæc si neque ego neque tu fecimus. Cornelius Celsus: [lib. 1. cap. 4.] Eiq; ex toto neque uinum neque aqua semper utilia sunt. ex ijs, quas discretiuas appellauimus, autem & uerò, non eadem indeclinabilia secum iungi patiuntur. Verò enim ijs iungi solet, Neque, nec, tum, age, sané, iam, enim, at, quasi, ceu, nunc: ut, Neque uerò, Nec uerò, Tum uerò, Age uerò, Sané uerò, Iam uerò, Enim uerò, At uerò, Quasi uerò, Ceu uerò. Raró cum his iungitur Autem.

Neque.

Discretiuæ.

Verò.

Verò quoq; cum pronomine Ego, non tam discretionem interim significat, quàm (ut Hermolao placet) confirmationem, pro, Quinetiam, uel etiam. Plin. [in præf. ad Vespa.] Proinde occupantibus locum faueo, ego uerò & posteris. Quod etiã confirmare uidetur Cic. ad Att. qui

qui Etiam simili ratione utitur, sic scribens. [li. 14. ep. 14.] Ad Dolabellam quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligēter, Ego etiam ad Si cam. Sæpe ueluti in respondendo adhibetur, significátq; profectò, uel certè, uel potius γέ Græcum. Cic. ad Att. [lib. 3. ep. 13.] Nam quòd scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi uerò mens integra est. Idem [lib. 9. epist. 11. Attic.] Quòd laudas, quia obliuisci me scripsi ante facta & dicta nostri amici: ego uerò ita facio. Senec. [lib. 8. epist: 65.] Socratem cum Platone & Zenonem & Cleantem in animū meum sine dignatione summa recipiam? Ego uerò illos ueneror, & tantis nominibus semper assurgo. Cæcil. Plin. ad Fabatum [lib. 7. ep. 11.] Adijcis posse eos nongentis milibus uenire, ac tanto magis quæris, an quod gesßit, ratum seruem: ego uerò seruo. Idem ad Gallum [lib. 4. epist. 17.] Quare ego uerò Coreliæ adero promtißimè. Similem usum habet & cum Tu, pronomine. Terent. [Eunu. act. 4. sce. 4.] Quem tu uerò uidere uelles Phedria. Et cum Ille, pronomine. Cic. ad Att. [li. 8. ep. 23.] De Lepido uerò & Tullio quod quæris. Illi uerò non dubitant, quin Cæsari præstò futuri in Senatúmq; uenturi sint. Legitur & cum nominibus. Terent. [Eunuc. act. 3. sc. 5.] Illa illicò ubi me accepit, læta uerò ad se abducit domum. Autem, negationis Non & por Autem.

rò, propria uidetur, ut: Non autem, Porrò autem. Rarißimè enim legitur, Non uerò, ut Cicero de Senectute: At ij quidem iam mortui sunt: non uerò tam isti quàm tu ipse nugator &c. Sed quoq; cum Ita uel tamen, uidetur conditionẽ aliquam innuere. Cic. Att. [li.16.epist.3.] Scribis enim in cœlum ferri profectionem meam: sed ita, si ante calendas Ianuarias redeam. Celsus [lib. 5. de Carcinomate.] Si id nimium supercreuit, tentanda squama æris est, quæ leuißima est ex adurentibus, eatenus ne quid eminere patiatur, sed ita si nihil exacerbauit.

Sed.

Disiunctiuæ.

Disiunctiuæ autem in numerum propè nullum ius habent simile copulatiuis, nisi negatiuis particulis succedant, sicut Neque & minimè, qua ratione cum pluratiuis leguntur, ut apud Virgilium [lib.2. Georg.] Nec tiliæ leues, aut turno rasile buxum, Non formam accipiunt, ferróq; cauantur acuto. Et Cor. Cel. in primo [capite 9.] Minimè aut frigus aut calor tuta sunt, ubi subita insuetis sunt.

Rationis redditiuæ.

Ex rationis redditiuis, Quippe & utpote, illud præter alias sui generis proprium habent, quod nonnunquam Qui & cum, sibi comites admittunt. Quippe, ut in illo antiquo: Quippe qui uesicam plenam uini habeant. Et Colum. in 11. [cap.3.] de cappari: Quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam conualescit.

ſcit. Cicer. in Philip. [5.] L. quidem frater eius, utpote qui peregré depugnauit, familiam ducit. Saluſt. [de con. Catil.] Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam ſequeretur. Cicer. Att. [lib. 5. epiſt. 8.] Me & incommoda ualetudo, qua iam emerſeram, utpote cum ſine febri laboraſſem, tenuit. Dixi, admittunt. Nam Quippe, ſine his frequentiori eſt in uſu, ut Quintil. [lib. 1. cap. 1.] Quippe id eſt homini naturale. Virg. [lib. 1. Aen.] Quippe domum timet ambiguam. Quippe uerò etiam Vbi ſibi ſubijcit. Idem [lib. 1. Georg.] Quippe ubi fas uerſum atq; nefas tot bella per orbem. Vtpote uerò & ſine ullo uerbo legitur, ut: Claudus eſt altero crure, utpote curto. Sed ſic rationalis non uidetur, ſed potius aduerbium pro ceu uel tanquam. Vt, quoque de quo alibi locuti ſumus, à quo hæc ducitur, ſic poſitum ſæpe legimus, ſed ſemper cum ſubiunctiui uoce. Quintil. [lib. 1. cap. 3.] Et omnia noua offendit, ut qui ſolus didicerit, quod inter multos faciendum eſt. Idem [li. 10. cap. 1.] Nec ignoro igitur, quos tranſeo, nec utique damno, ut qui dixerim in omnibus eſſe utilitatis aliquid. Vix cum alio modo, ut Quint. [decla. 9.] Cum me ut cuius interiecto mari, non fortunam quiſq; noſſe, non natales, non patrem poterat. Niſi quis hic eradendam, ut, dicat. Vt.

Nam. Huius generis Nam, non tam caussam aliquando reddit, quàm ingressum rei signat, ut Tere. [And.act.1.sc.1.] Rem omnem à principio audies, eo pacto & gnati uitam & consiliũ meum cognosces, & quid facere in hac re te uelim. Nã

Ergo. Igitur. is postquam excessit ex ephebis. Ergo & Igitur breuioribus conclusionibus competunt. Cic. in Philip.1. Quis enim aut accusator tam amens reperitur, qui reo condemnato obijci se multitudini conductæ uelit: aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? Non igitur prouocatio ista lege datur. Virg. [lib.2.Aen.] Huc se prouecti deserto in littore condũt, Nos abijsse rati & uento petijsse Mycenas: Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu. Terent. [And. act.3.scen.5.] Ergo precium ob stulticiam fero.

Quare. Quamobrem. Quare & Quamobrem, longioribus duntaxat cum coniunctiones sunt, nam aduerbia & interrogatiuè accipi & infinitè possunt, ut Quare inuides? Scio quare inuideas. Scire tamen licet, Ergo & Igitur, ingressum quendam materiæ nonnunquam significare, ut Virg. [Ecl.7.] Et certamen erat Coridon cum Thyrside magnum &c. Alternis igitur contendere uersibus ambo Cœpêre.

Aduersatiuæ. Aduersatiuarum Etsi, tametsi, etiamsi, & quanquam, cum uerbis hærẽt, & orationem inchoant, indicatiuos magis postulant. Cicer. pro

Milone:

Milone: Etsi uereor iudices. Idem [lib. 1. epist. 7. Attic.] Tametsi iactat ille quidem illud suum arbitrium. Salust. [de con. Catil.] Quæ tametsi animus aspernabatur. Cic. Attic. [lib. 4. epist. 2.] Quam tibi, etiamsi non desideras, tamen mittam. Quamuis & licet, subiunctiuos sæpius. Vir. [Eclog. 1.] Quamuis multa meis exiret uictima septis. Idem [lib. 1. Georg.] Quamuis Elyseos miretur Græcia campos. Iuuenalis [Sat. 1.] Molles quod in aure fenestræ Arguerint, licet ipse neges. Virgilius [lib. 6. Aeneid.] Fixerit æripedem ceruam licet aut Erymanthi &c. Iunguntur tamen interim tum illæ subiunctiuis, tum hæ finitiuis, præsertim orationem non inchoantes. Cicer. Lentulo [lib. 1. epist. 2.] Quanquam apertè Volcatio assentirentur. Idem Att. [lib. 1. epist. 14.] Quanquam à meipso non diuellerentur. Quintilianus [lib. 1. cap. 4.] Cædi uerò discipulos, quanquam illud receptum sit, & Chrysippus non improbet. Cic. Attic. [lib. 6. epist. 7.] Rhodum uolo puerorum caussa, inde quam primum Athenas, etsi Etesiæ ualde reflauerint. Idem rursum [lib. 7. ep. 3. ad eund.] At primum illud, in quo de Dicæarcho mihi assentiri negas, etsi cupidißimè expressum & expetitum à me sit &c. Hæc postrema etiam futuro absoluto iungitur, cuiuscunq; id modi censeas. Cicero Attic. [lib. 6. epist. 5.] Quare uelim, etsi

 (ut

(ut spero) te hæc legente aliquantum uiæ processero tamen obuias mihi literas quàm argutissimas de omnibus rebus crebrò mittas. His omnibus cum priorem sensum tenent, reddi solet Tamen, ut: [Terent. Heaut. act. 1. scen. 1.] Quanquam hæc inter nos nuper noticia admodũ est, inde adeò quòd agrum hîc in proximo mercatus es, tamen uel uirtus tua me uel uicinitas &c. Hæc etiam interdum sine illis ponitur, quasi in correctione eius quod dixeris, & cum Si, ut Ouid. de Tristibus [lib. 3. eleg. 14.] Nunc incorrectum populi peruenit in ora, In populi quicquam si tamen ore mei est. Sed & aliter quoque, ut in figuris docebitur.

Cum. Cum, & coniunctio est continuatiua, aliâs pro postquam, aliâs pro quoniam, uel quandoquidem: & copulatiua pro &, sed sequente Tamen: & aduersatiua pro quamuis: & temporis aduerbium. Poscit autem ex modis cum temporis est aduerbium, uel indicatiuum, ut Virg. [libro 1. Aeneid.] Cum uenit, aulæis iam se regina superbis* Composuit. Cicer. * Tantum profectò cum à te consulatum reppuli, profeci. Virgilius [libro primo Aeneid.] Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet. Vel subiunctiuum, ut Cic. [pro Ligario.] Quintus igitur Ligarius cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum consule Considio est profectus.

fectus. Virg. [Eclog. 2.] Nuper me in littore uidi, Cum placidum uentis staret mare. Cum aduersatiua est, subiunctiuum, ut Cic. [li. 2. offic.] Satísne constanter facere uideamur, qui cũ præcipi nihil posse dicamus, tamen & alijs de rebus disserere soleamus, & hoc ipso tempore præcepta officij prosequamur. Cum copulatiua est, & comitem habet, Tum, pro &, uel minus quiddã uel magis generale proponit. Tum uerò maius uel minus generale, finitiuo ferè iungitur. Cicero de natura deor. [libro 1.] Cum multæ res in Philosophia nequaquam adhuc explicatæ sunt, tum perdifficilis Brute (quod tu minimè ignoras) quæstio est de natura deorum. Sed hìc duplex est uerbum. Aliquando unum tantum est, & cui adhæreat Cum, ut idem in Tus. [lib. 4.] Cum multis locis nostrorũ hominum ingenia uirtutésque Brute soleo mirari, tum maximè in his studijs, quæ serò admodum expetita in hanc ciuitatem è Græcia transtulerunt. Aliquando tamen & subiunctiuo modo iunguntur, ut Cicer. Att. [lib. 14. epist. 8.] Nos cum multum literæ, tum non minimum Idus Martiæ consolẽtur. Aliquando hæc nulli uerbo adhærent, ut in subiectis exemplis. Quint. [in procemio.] Quod opus tibi Marcelle Victori dicamus: quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarũ amore flagrantem &c. dignissimum hoc mutuæ inter nos charitatis

ritatis pignore iudicauimus. Cic. Curioni:*Qui cum ſuis uirtutibus, tum uerò te filio ſuperaſſet omnium fortunas, ſi te ante uidiſſet, quàm à uita diſcederet. Idem in Verr. [li.1.] Factum eſt, uti cum ſummum in ueteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrarentur. Pro quoniã uel quandoquidem, ſemper ſubiunctiuũ petit. Cic. pro Lege Manil. Quis nauigauit, qui non ſe aut mortis aut ſeruitutis periculo committeret, cum aut hyeme aut referto prædonum mari nauigaretur? Ouid. [lib.3.faſt.] Cum ſis officijs Gradiue uirilibus aptus, Dic mihi matronæ cur tua feſta colant. Pro poſtquam, tum ſubiunctiuo, ut Cic. [Orat.2. in Catil.] Cum ille homo audaciſſimus conſcientia conuictus*reticuiſſet, poſtremò patefecit. Tum indicatiuo. Idem pro Deiot. Deinde etiam impunius fit, quod cum eſt factũ, negare poteſt. Quint. [lib.1.cap.3.] Non inutilem ſcio à præceptoribus meis ſeruatum morem, qui cum pueros in claſſes diſtribuerant, ordinem dicendi ſecundum uires ingenij dabant.

Si. De Si, Diomedes præcipit diminutè, ut arbitror, non ſecus ac de Cum. Quippe quo autore finitiuis iungitur, quoties res facta ſignificatur. ut Cicer. [Orat.1. in Catilin.] Si illuſtrantur, ſi erumpunt omnia. Nec enim dubitat, an illuſtrentur, ſed quia illuſtrantur, ſuadet, ut mutet Catilina

lina mentem. Et Virg. [lib. 6.] Si te fata uocant. Idem: [eod. lib.] Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus. Affirmat enim potuisse. Subiunctiuis uerò, quoties cōditionalis & incertus est sermo, ueluti Si facias, Si faceres. Qui enim sic loquitur, non factum interim declarat. Sic Diomedes. Ego tamen finitiuis iunctam in conditione subinde lego, ut Terent. [And. act. 1. scen. 3.] Si illum relinquo, eius uitæ timeo: sin opitulor, huius minas. Idem: [And. act. 2. scen. 1] Pamphile si id facis, hodie postremum me uides. Quint. [lib. 1. cap. 4.] Iam si minor in eligendis custodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere, in quæ probra nefandi homines isto cedendi iure abutantur. Salust. [de bell. Iugurt.] Equidem ego uobis regnum trado firmum, si boni eritis: si mali, imbecillum.

Num igitur ita potius præcipiendum? cum res facta significatur, finitiuis adijci, ut in memoratis exemplis: cum potentialis in apodosi, id est reddita eius subijcitur, potentiali uel subiunctiuo iungitur. Quintilianus: [li. 1. cap. 5.] Nec si rationem syderū ignoret, Poëtas intelligat. Cic. [libro 1. epist. 1. fam.] Si esset in his fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. Aliter uerò, nisi pro quamuis accipiatur, finitiuis subiunctiuisq; indifferēter, idq; meritò, cum duarum græcarū εἰ & ἐάν apud nos locum expleat,

pleat, quarum altera sæpe finitiuis, altera subiunctiuis astruitur. Cicero: Si uales, bene est. Terent. Orare iußit hera, si se ames, ut ad se redeas. Pro quamuis uerò, subiunctiuis iungitur. Terent. [And. act. 4. sce. 2.] Non si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines. Idem: [Eunuch. act. 4. sc. 1.] Redeam? non si me obsecret. Si, tamen cum Quis, indicatiuo ferè iungitur. Quin. Inst. [li. 1. cap. 4.] Deinde si cui est mens tam illiberalis, ut obiurgatione nō corrigatur, is etiam ad plagas ut peßima quæq; mancipia, durabitur. & [Ouid. li. 1. de art.] Si quis in hoc artem populo non nouit amandi. Huic nonnunquam subijcitur Sin, cum dictorum fere est oppositio, ut in supradicto exemplo: [Terent. And. act. 1. sce. 3.] Si illum relinquo, eius uitæ timeo: sin opitulor, huius minas. Et longiore aliquando interuallo, sicut in illo eiusdem: [act. 1. scen. 1.] Si propter amorem uxorem nolit ducere, ea primum ab illo animaduertenda iniuria est. Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias uera obiurgandi causa sit, si deneget: Simul sceleratus Dauus si quid consilij habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli: Quem ego credo manibus pedibúsque obnoxè omnia facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet, quàm ut obsequatur gnato. Quapropter? Rogas? Mala mens, malus animus, quem quidem ego si

sensero.

ſenſero. Sed quid opus eſt uerbis? Sin eueniat quod uolo, in Pamphilo ut nihil ſit moræ. Nam ita rectiſsimè, ut mihi uidetur, Grocinus locum correxit. Significat autem Sin, ſi uerò, uel ſed ſi. Adhibetur & ubi non tam liquidò cernitur dictorum oppoſitio, ut in illo Ciceronis ad Atticum: [lib. 5. epiſt. 8.] Tu, ſi modò es Romæ (uix enim puto) Sin es, hoc uehementer animaduertas uelim. Ponitur aliquando & Sin ſine ſi, ut Terentius Adelph. [act. 3. ſcen. 2.] Hoc reliquum eſt, ſi inficias ibit, teſtis mecum eſt anulus, quem amiſerat.

Ni & niſi, tum præcedentes, tum ſequentes finitiuis & ſubiunctiuis iungi poſſunt. Terent. [Eunuch. act. 4. ſcen. 7.] Pamphilam ergo huc redde, niſi ui mauis eripi. Idem [And. actus 4. ſcen. 1.] Nónne* ſatis eſt hoc tibi ſolidum uiſum gaudium, niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres? Etiam potentiali ſiue optatiuo, ſi utiq; uerbum quod in apodoſi redditur, potentialis ſit modi. Virg. [lib. 1. Aeneid.] Ni faciat maria ac terras cœlúmque profundum, Quippe ferant rapidi. Terent. [And. act. 4. ſcen. 1.] Dic mihi ſi omnes hunc coniectũ in nuptias inimici uellent, quod niſi hoc conſilium darent. In ea tamen figura, quam exemplis ſubijciemus, indicatiuis ſemper iunguntur. Teren. [ead. ſce.] Hac non ſucceſsit, alia aggrediamur uia: niſi id Ni & Niſi.

putas,

putas, quia primo proceßit parum, non posse iam ad salutem conuerti hoc malum. Cicer. pro Mil. Vobis illæ uobis, uestro in conspectu feræ, sed iustæ tamen & debitæ pœnæ solutæ sunt, nisi forte hoc etiam casu factum esse dicimus. Salust. [de bell. Iugurth.] Frustra autem niti, neq; aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est, nisi forte quem inhonesta & perniciosa libido tenet, potentiæ paucorum decus atq; libertatem gratificari suam.

Siue. Siue, cum ex Si & ue cõpositum sit, duorum generum uim simul obtinere uidetur. Itaq; cum orationem inchoat, minime mirum est, si præter morem aliarum coniunctionum, tres minimum sensus postulat: cum & Si continuatiua suam apodosin, & Ve alteram disiunctiuam exigat, ut: Siue me amas siue odisti, non magni æstimo. Aliquando quatuor. Ouid. [in epist. Penelop.] Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore uictũ, Antilochus nostri caussa timoris erat: Siue Menœtiaden falsis cecidisse sub armis, Flebam successu posse carere dolos. In qua figura notandum est, solere eleganter cum protasibus apodoses misceri.

Postquam. Postquam, Diomede autore, non diuisa, finitiuis iungitur, ut Terent. [And. act. 1. scen. 1.] Postquam amans acceßit unus & item alter. &, Postquam exceßit ex Ephebis. Virg. [Eclo. 5.] Postquam te fata tulere.

Diuisa

Diuisa subiunctiuis. Cicer. [pro L. Manil. [Postea quam maximas exædificasset exornaßétque classes. Cæterum legitur, arbitror, & cum subiunctiuis non diuisa, ut Plin. nat. hist. [libro 18. cap. 26.] Sed siue antequam uer præuenerit, siue postquam hyemarit, post eam diem inquam innumera rusticos cura distringat. Et diuisa cum indicatiuis, ut Cic. Appio: [lib. 3. epist. 7.] Postea uerò quàm ita cœpi. Idem Planco: [libro 10. epist. 1.] Et absfui proficiscens in Græciam, & postea quàm de meo cursu Reip. sum uoce reuocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui. Legitur autem in diuisione non solum interposito pronomine, ea, sed etiam alijs, nec sine gratia, idq́; siue Post aduerbium sit siue Præpositio relata ad tempus, ut Hircius siue Pansa in comment. [de bell. Afric.] Post diem tertium quàm Africam attigit. Cato de re rust. [cap. 65.] Postridie aut post diem tertium quàm lecta erit. Cic. Attic. [lib. 13. epist. 26.] Quatuordecim annis post prætor est factus Tuditanus quàm consul Minutius.

Vbi quoque cum synonymis huius est, tum indicatiuis iungitur. Virgilius: [libro 10. Aeneid.] Hæc ubi dicta dedit. Tum subiunctiuis, ut Idem, [libro 1. Georgic.] Ille ubi nascentem maculis uariauerit orbem*. Nisi id futurum absolutum dicas, ut in illo Terent. [Eunuch. act. 3. Vbi.

B scen. 5.]

scen. 5.] Vbi nos lauerimus, si uoles lauato.

Antequam. Rursus antequam (ut idem Diomedes inquit) cum indiuisa legitur, subiunctiuis iungitur, ut Cicer. [Philip. 1.] Antequam de Repub. Patres conscripti dicam. Diuisa, finitiuis. Virgilius: [libro 4.] Ante pudor quàm te uiolo *. At ego tum diuisam, tum coniunctam utrique modo additam lego. Cicer. Antequam proximè discessi. Idem: [lib. 10. epist. 15. Attic.] Si quenquam nactus fueris, qui perferat literas, des antequam discedimus. Idem ad eundem: [lib. 7. epistol. 8.] Quod putasti fore, ut antequam isthuc uenirem, Pompeium uiderem, factum ita est. Rursum diuisa subiunctiuis. Virg. [lib. 1. Georg.] Neq; ante Falcem maturis quisquam supponat aristis, Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu Det motus incompositos, et carmina dicat. Idem [lib. 4. Georg.] Ante nouis rubeant quàm prata coloribus.

Priusquam. Priusquam, tum subiunctiuos subijcit sibi, ut Salust. [de con. Cat.] Priusquam incipias consulto: & ubi consulueris, mature facto opus est. Tum indicatiuos. Cicer. [Philip. 1.] Priusquam de Repub. dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria. Terent. [And. act. 2. scen. 1.] Priusquam pereo.

Quòd caussalis. Quòd caussalis pro quia, frequentius subiunctiuum sibi subijcit. Cicer. Att. [lib. 1. episto. 6.] Et te

Et te non modo non accersam, sed prohibebo, quòd intelligam multò magis interesse tua, te agere quod agendum esset hoc tempore, quàm mea, te adesse comitijs. Idem: [libro 2. epistol. 1. Attic.] Mihi quod defendissem, leuiter succensuit. Sed & indicatiuum. Idem: [lib. 1. epist. 14.] Quod non tam interfuit mea. Neque enim illæ res &c. quàm Reipub. Quòd erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex illarum rerum dissensione arbitrarentur. Idem: [lib. 1. episto. 11.] Senatusconsulta duo facta sunt odiosa, quòd in consulem facta putantur Catone et Domitio postulante. De Quòd formali diximus nonnihil in constructione uerbi. Illud tamen hoc loco addendum non frustra uidetur, quod quamuis ibi sub autore Laurentio dixerimus, post quoddam uerborum genus infinitum per Quòd solui, & sequens uerbum uel indicatiuum uel subiunctiuum, ut: Gaudeo quòd scribis & scribas: non tamen uidetur id omnibus seruari temporibus. Nam ut gaudeo quòd scribis & scribas, recte dixeris, ita nescio an gaudeo quòd scribebas & scriberes, dixeris, præsertim subiunctiuè. Nam potentialiter sic dici dubium non est. Dubito non minus, an gaudeo quod scribes & scripseris, subiunctiuè dixeris. Absoluto uerò futuro sic dici dubitari non potest.

Quòd formalis.

Quàm ele-
ctiua.

Quàm, electiua subiunctiuo iungitur, ut: Aliud honestum iudicas quàm Philosophi statuant. Sed & indicatiuo. Cic. Att. [lib.12. Episto.4.] Quem iam etiam grauius accusas, quàm patitur tua consuetudo. Hæc cum duobus, Ac, & Atque, uarijs particulis pro uarijs significatis succedunt. Nam & comparatiuis, ut Plautus Mer. [act.5. scen.2.] Amicior mihi nullus uiuit, atque is est. Terent. [And. act.4. scen.2.] Non Apollinis magis uerum atque hoc responsum est. Et uerbis cuiusmodi sunt Præsto, Præualeo, ut: Præstat honeste mori, quàm inhoneste uiuere. Item post Alius & diuersus. Terentius, And. [act.3. scen.3.] Alium censes nunc me, atque olim cum dabam. Idem: [Phor. act.4. scen.4.] Aliud mihi respondes ac rogo. Quint. Instit. [lib.1. cap.9.] Pransus quoque ac potus diuersum ualent quàm indicant. Post Secus, aliter, contra, & supra. Virgil. [lib.3. Aeneid.] Haud secus ac iußi faciunt. Cicer. de Orat. * Quoniam cœpi secus agere atque initio dixeram. Idem in Verr. [lib.3.] Quod iste aliter atque ut edixerat, decreuisset. Vbi signandum particulam Atque, etiam Vt secum accipere, ut exemplum docet. Salustius: [de con. Cat.] Vbi uidet Catilinam contrà ac ratus erat, contendere. Idem: [eod. lib.] Supra quàm cuiquã credibile est. Post Similiter, item, æque, perinde, pariter, & iuxta, sed sic propositæ tres

Ac, Atque.

particulæ

particulæ pro Vt uel Sicut, aduerbijs accipiuntur. Cic. Philip. [1.] Neq; uerò illum similiter atque ipse eram, commotum esse uidi. Varro, de ling. Lat. Analogia non item ea definienda, quæ dirigitur ad naturam uerborum, atque illa quæ ad usum loquendi. Terent. Andria: *Quis miser æque est atq; ego sum? Cic. Curioni: [lib. 2. Epistola 2.] Cui charus æque sis ac iucundus, ac fuisti patri. Plaut. Aulul. *Nunquam æque patri nuncium lepidum attulit, quàm ego nunc meæ heræ nunciabo. Titus Liuius: *Perinde ac urbe capta. Huic redditur & Quasi, ut Idem: *Perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus uindicentur. Plaut. Menech. [act. 5. scen. 1.] Pariter hoc atq; alias res soles. Salust. Iug. Præterea transuersis itineribus quotidie castra mouere, iuxta ac si hostes adessent. Titus Liui. [lib. 8. dec. 3.] Trucidant inermes iuxta atq; armatos. Post nomina Similis, dißimilis, par, & unum pronomen, Idem, sed eiusmodi particulis pro Qualis acceptis. Terent. Phor. [Prolo.] Ne simili utamur fortuna atque usi sumus. Cæsar Comment. [lib. 7. bell. Gall.] Hortatur eos ut simili ratione atq; ipsi fecerunt, suas iniurias ulciscantur. Cic. Att. [li. 2. epist. 3.] Aut quiescendum, quod non dißimile est atq; ire Solonium aut Antium, pro simile quale. Cic. de nat. deor. [lib. 3.] Neq; mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. Sed hîc

particulam Ac, per cōpulatiuam interpretari licet, sicut in illo, Titi Liuij: Ipsa re intelligetis nequaquam idem esse Syracusas ac Leontinos oppugnare. Cato de re Rust. [cap.48.] Pomarium seminarium ad eundem modum atq; oleaginum facito. Hîc Atq; uel per Et, uel per Quo interpretandum. Legitur etiam, Pro eo ac, & pro eo atq;, pro ita ut, pro sicut, uel perinde ut. Seruius Sulp. Cicer. [lib.4.epist.5.] Sanequam pro eo ac debui, grauiter molesteq́; tuli. Et Vlpian [lib. 28.tit. 1. Pand.] Iuriscon. Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, ueruntamen signarit, pro eo est ac si adhibitus non esset. Idem: Pro eo habendum est, atq; si nullo iure factum esset.*

Dubitatiuæ coniunctiones.

Dubitatiuæ coniunctiones An & Ne, & indicatiuis iunguntur, ut: [Terent. Heaut. act.3. scen.1.] Estne ea intus? &: [Idem Eunuch. act.5. scen. 6.] An in astu uenit, aliud ex alio malum? Virgil. III. Veráne te facies, uerus mihi nuncius affers? Et potentialibus. Idem: [lib.2. Georg.] An mare quod supra memorem, quodq́; alluit infra? Idem: [eclog. 5.] An quicquam nobis tali sit munere maius? Cicer. Attic. [lib.2.epist.1.] An libertinis atq; etiam seruis seruiamus? An mihi mutus non faceret fidem? An dubitatiua, sicut Vtrum eius synonymos, aliquando in solutionibus & interpretationibus adhibetur, ubi scilicet hæ dupli-

hæ duplices afferuntur, neutra prælata, ut Donatus in illo Adelph. [act. 5. scen. 7.] Iube nunc dinumeret Babylo illi uiginti minas. Cui, inquit, illi Ctesiphoni, an Lenoni, an Aeschino, an Syro? Et statim: An, inquit, fratrem Babylonem nimiam ob liberalitatem uocet, an Aeschinum nimis prodigum? Item in illo: [Phormion. act. 1. scen. 1.] Omne hoc auferet mater. An, inquit, nutrix, an uera mater? Gel. [lib. 19. cap. 5.] Cur aquæ ex niue glacieúe liquatæ sunt uitiosæ? An quia cum aqua quæuis gelu concrescit, eius pars tenuißima difflatur? In his notare licet duplicis modi usum. Subiunctiui, ut in illo Donati, An uocet: quod Latinius uidetur. Et indicatiui, ut in exemplo Gellij, quod more potius dictum uidetur: cum An & Vtrum particulæ, in tali genere infinita uideantur sub uerbo aliquo subaudito, uide uel æstima.

Vt, perfectiua uel absolutiua de præterito quidem, potentiali iungitur, ut aderam, ut uiderem. Terentius: [And. act. 1. scen. 1.] Filium perduxere illuc secum, ut unà esset mecum. De præsenti uel futuro, subiunctiuis. Terent. [Ibidem.] Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias uera obiurgandi caussa sit, si deneget. Idem: [scen. 2.] Te oro Daue, ut redeat iam in uiam. Eisdem modis additur & pro Ne non, post uerba timoris. Terentius: [Andria. act. 5. scen. 4.] Vt perfectiua

Metuo ut subſtet hoſpes, & : Metuebam ut subſtaret. Cic. Attic. [lib. 15. epiſt. 22.] Accepi enim à te literas, quibus uereri uideris, ut epiſtolas illas acceperim. Vt, concedentis pro Dato quod, uel conceſſo quod, uel, ut aliqui interpretantur, pro quamuis, ſubiunctiuis iungitur. Cic. Philip. [13.] Legem illam appellare fas non eſt, & ut ſit lex, non debemus illam Hircij legem putare. Idem Attic. [lib. 12. epiſt. 1.] Nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant quæ uolo, leuari non poſſum? Pro Vtpote quoq; ſubiunctiuis iungitur, ut ſuprà notauimus.

Pro poſtquàm, indicatiuis. Cice. Bruto:* Vt ab urbe diſceßi, nullam intermiſi diem, quin aliquid ad te literarum darem. Ouidius de Ponto: [lib. 1. eleg. 9.] Nec quicquam ad noſtras peruenit acerbius aures, Vt ſumus in Ponto, perueniatq; precor. Vt pro Quemadmodum uel ſicut aduerbium eſt, & finitiuis iungitur, ut Terent. [And. act. 3. ſcen. 2.] Tu tamen has nuptias perge facere ita ut facis. Aliter quoq; pro Sicut, indicatiuis, ut in illa figura dicendi, cuiuſmodi eſt illa Cæſaris: [lib. 3. bell. Gall.] Horum autoritate finitimi adducti, ut ſunt Gallorum ſubita & repentina conſilia, pro ſicut ſunt. Et Terentius: [Adelph. act. 3. ſce. 4.] Credo ut eſt dementia. Et eiuſdem : [Heaut. act. 1. ſcen. 2.] Tu ut tempus eſt diei, uide ſis ne quò hinc abeas longius.

Nam

Nam in illo Cic. [de Senectut.] Multæ ut in homine Romano literæ, paulò aliter accipi uidetur. Item interrogatiuum pro Quomodo. Cice. [pro Milo.] Vt sustinuit?* imò uerò & contemsit? Potest pro quomodo uel quemadmodum, & potentialem recipere, ueluti Vt fecisses? & Fac ita ut fecisses. De Vt optandi, & ut apostatico, dictum in aduerbio est.

Hoc loco quoniam sub hac orationis parte plures sensus cum suis uerbis committuntur, non intempestiuè præcipiendum nobis esset de uariorum temporum inter se connexione. Sed cũ idem in methodo docendi ad tyronum exercitationem iam latius proposuerimus, hîc specimen duntaxat rei posuisse contenti erimus. Potest igitur spectari circa omnes ferè coniunctiones eiusmodi temporum connexio. Verbi gratia, circa Quod, εἰδικόν. Variorũ temporum connexio.

Dico quod scribis & scribas uel non scribas, in infinitiuo & subiunctiuo. Et quod scribebas et scriberes, in indicatiuo et potentiali. Et quod scripsisti, non autem quod scripseris, saltem in præterito. Et quod scripseras & scripsisses, sed hoc posterius in potentiali tantum. Et quod scribes & scripseris, sed secundum in futuro exacto siue absoluto.

Iterum dicebam quod scribebas & scriberes tum subiunctiuè, tum potentialiter. Et quod

ſcripſiſti, tantum indicatiuè. Et quod ſcripſeras & ſcripſiſſes, & ſubiunctiuè & potentialiter. Et quod ſcribes & ſcripſeris, in futuro exacto tantum.

Dixi quod ſcribis & ſcribas. Et quod ſcribebas & ſcriberes, & ſubiunctiuè & potentialiter. Et quod ſcripſiſti, an etiam quod ſcripſeris, æſtimandum. Et quod ſcripſeras & ſcripſiſſes, altero in ſubiunctiuo & potentiali. Et quod ſcribes & ſcripſeris, in exacto futuro tantum.

Dixeram quod ſcribis & ſcribas. Et quod ſcribebas & ſcriberes, tam in ſubiunctiuo quàm potentiali. Et quod ſcripſiſti & ſcripſeris. Et quod ſcripſeras & ſcripſiſſes in potentiali & ſubiunctiuo. Et quod ſcribes & ſcripſeris, in exacto futuro.

Dicam quod ſcribis & ſcribas. Et quod ſcribebas, et in potentiali tantum ſcriberes. Et quod ſcripſiſti, æſtimandum autem an etiam quod ſcripſeris. In paßiuo dubium non eſt, dicam quod ſcriptum aliquid à te ſit. Et quod ſcripſeras, & potentialiter ſcripſiſſes. Et quod ſcribes & ſcripſeris, in exacto futuro tantum.

Suadeo ut ſcribas, & in potentiali tantum ut ſcriberes. Et in præterito ſimili futuro exacto, ut ſcripſeris: non autem ut ſcripſiſſes, nec ut ſcripſeris in futuro.

Suadebam ut ſcribas & ſcriberes: ut ſcripſeris autem,

ris autem,

ris autem, nec in præterito nec alterutro futuro: ut scripsisses uero, potentialiter tantum. Rursus suasi ut scribas, & potentialiter, ut scriberes & scripsisses: ut scripseris autem, nullo arbitror nec modo nec tempore.

Suaseram ut scribas, & in potentiali, ut scriberes & scripsisses, non ut scripseris.

Suadebo ut scribas, non autem ut scriberes aut scripsisses. Et in futuro exacto, ut scripseris. Similis ratio iniri & in alijs debet, sed cum acri omnino iudicio.

CONIVNCTIONVM ORDO.

ORdo in coniunctionibus uariè spectatur. Sunt enim aliæ, quæ præponi sibi aliquam dictionem omnino uolunt, ut quæ Encleticæ dicuntur, Que, ue, ne pro an, quoque, quidem, autem, uerò. Reliquæ omnes primum ipsæ locum in sensu suo uendicant: exceptis his, Nanque, etenim, siquidem, ergo & igitur, quæ translaticium situm habent. Rursus aliæ sunt, quæ sensum in quo habentur, præponi alteri sensui naturaliter uolunt, ueluti Continuatiuæ, ut: Si, nisi. Subcontinuatiuæ, ut: Quoniam, Quum. Et Aduersatiuæ potißimum, cum eas sequitur Tamen, ut Quanquam, Quamuis, Etsi, Licet. Præterea Ne, cum eam An uel Ne sequitur. Leguntur tamen Continuatiuæ, Subcontinuatiuæ, &

Aduer-

Aduersatiuæ subinde secundo loco cum suo sensu positæ. Sed est tum inuersus earum ordo, cum priorem locum natura postulent. Declarat ita esse, quòd ubi secundum sensum tenent, illico sunt inferendæ; ne si distinctionis mora intercedat, auditor ad ipsarum sensum non sit attentus, naturali scilicet earum ui, qua consequentiam sensibus conferunt, omnino uanescente.

THOMAE LINACRI ANGLI, DE EMENDATA STRVCTVRA LIBER VI. SIVE DE CONSTRVCTIONIS FIGVRIS.



TQVE ita quidem ad sensum animi prodendum, iusta se habet partium inter se constructio. Cuius uitium generali uocabulo Solœcismos dicitur. Id in tribus ad summum generibus spectatur numero, ordine, & immutatione. Quorum tamen certæ rationes sunt, quæ quòd publicè ab illustribus autoribus, uel necessitate, uel singulari cōmoditate frequentantur, figuræ pro uitijs sunt appellatæ. De his Grammatico non minus certè quàm de recto genere agendum. Ad numerum igitur referantur quæ in defectu atq; excessu consistunt. Prioris generis

generis sunt: Eclipsis, Aposiopesis, Zeugma, Syllepsis, Prolepsis, & Anapodoton: Posterioris, Pleonasmos, & sub eo Parelcon, & Epanalepsis. Ad ordinem spectant Hyperbaton, & quæ sub eo sunt, Anastrophe & Synchysis. Immutatio ipsa est Enallage. De his ordine deinceps agemus, non in uniuersum tantum & strictim, sicut Grammatici hactenus fecerunt, solis definitionibus cum exemplo contenti, sed particulatim & diffuse, quo simul confusionem omnem discutiam, simul discentes exerceam, qui his perceptis, reliqua similis generis quæcunq; in lectione occurrent, facile (arbitror) deprehendent. In quo tamen non dubito fore, qui hanc meam diligentiam ut nimiam reprehendant. Sed ij potißimum erunt, qui cum ea quæ trademus, ipsi sint consecuti, aliorum conditionis immemores, aut superflua putabunt, quibus ipsi non egent, aut minuta & indigna præceptu, quæ legere ut noua non possunt. Ego sanè minuta ea & tenuia fateor, si cum maioribus & grauioribus conferantur: sicuti totam artem si cum potioribus studijs. Cæterum tanta esse ea contenderim, ut sine ijs omnis sermo rudis & puerilis planè sit, nedum parum Latinus. A quibus incōmodis, quod ad hanc artem pertinet, horum tantum ope uindicatur, quæ omnem planè sermonem ad eundem perpetuò modum se aliâs habentem, non solum

aliqua

aliqua nouitatis gratia excitatam commendant, sed etiam, mea quidem sententia, uelut coloribus ornant, & ut sic dicam, luminibus quibusdam non secus ac rhetorum figuræ illustrant, sicuti in suis locis fortaßis admonebimus. Qua fiducia ipse contra istorum censuram securus, institutum meum quod discentium caussa suscepi, prosequar.

Secantur igitur quæ in defectu consistunt, in duplex genus. Alibi enim foris petendum est quod desit, ut in Eclipsi & Aposiopesi: alibi ex proximo mutuandum, ut in reliquis. Est enim Eclipsis dictionis ad legitimam constructionem necessariæ in sensu defectus. Sed quæ cum foris sit petenda, uel consuetudine autorum subaudiri solet, uel quia ex cæteris uerbis est certa. Qua maximè ratione Quintilianus (ut mihi uidetur) Synecdochen appellat, [lib.9.cap.3.] cum alioqui Eclipsin pro uitio habeat. Sed cum sit aliâs synecdoche maiore sui parte tropus, nobis hanc eius partem cum Grammaticis Eclipsin, si non tam apposita, ac certè recepta iam uoce potius appellare liceat, quàm figuram simul et tropum (qui ad Grammaticum omnino non spectat) uno nomine confundere. Est ergo Eclipsis omnium orationis partium communis, ut per singulas indicabimus. Quippe nomina nec generis unius, nec uno modo ad constructionis numeros requi-

Eclipsis quid.

runtur

runtur, ut in subiectis patebit exemplis: nam & appellatiua desiderata uideas.

Templum uel ædes.

Templum uel ædes, ut in illis: Ad Vestæ, ad Opis, ad Dianæ, ad Veneris. Cicer. Philip. [2.] Vbi est septies milies sestertium, quod in talibus quæ sunt ad Opis, patebat? Terentius: [Adelph. act. 4. scen. 4.] Vbi ad Dianæ ueneris, ito ad dexteram. Horat. [lib. 1. Saty. 9.] Ventum erat ad Vestæ.

Nauis.

Nauis, ut in illis. Cic. [lib. 2. epist. 2. ad Quin. frat.] Tu si ita expedit, uelim quàm primum bona & certa tempestate conscendas, ad meq; uenias. Idem: [lib. 6. epist. 9. Attic.] Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus. Idem: [lib. 16. epist. 3.] Hæc ego conscendens è Pompeiano, tribui actuariolis.

Via.

Via, ut in talibus. Terent. [Eun. act. 1. sc. 2.] Cur non recta introibas? Idem: [Phorm. act. 1. scen. 2.] Postridie ad anum recta pergit. Cicer. [lib. 6. ep. 8. Att.] Recta uenit ad me. Aliquando apponitur, ut Cic. [Ora. 1. in Catil.] Si mihi inimico, ut prædicas, tuo conflare uis inuidiam, recta uia perge in exilium.

Literæ.

Literæ, ut in illo Cicer. ad Att. [li. 15. ep. 22.] Acceperam autem satis celeriter Iconij per publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. In his illud confirmas &c.

Iter.

Iter, ut in talibus. Cicer. [lib. 5. epi. 16. Att.] Nos

Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui, pro bidui itinere.

Voluntas uel propositum. Voluntas, uel Propositum. Cicero ad uxorem: Cum in animo haberet nauigandi.

Frondes. Frondes, uel simile aliquid. Ouid.* Immoderata pati iam frigora iamq; calores, Sternere uel nuda posse super silice.

Tentoria uel pelles. Tentoria, uel Pelles. Cæsar [lib. 6. bel. Gal.] Vsque eò ut qui sub ualle tenderent, mercatores recipiendi sui facultatem non haberent. Virgilius: [libro 2. Aeneid.] Hic sæuus tendebat Achylles.

Prædium. Prædium, in talibus: Suburbanum, Tusculanum, Otriculanum. Cæcil. Plin. [lib. 1. epist. 4.] Quantum copiarum in Otriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo &c.

Partes. Partes, ut in talibus. Quint. [lib. 10. cap. 1.] Quamuis ei secundas ferè Grammaticorum consensus deferat. Idem: [eodem libro.] Secundas confeßione plurimorum Philetas occupauit. Terentius: [Adelph. act. 5. scen. 4.] Non posteriores feram.

Caro. Caro, ut in illis, cum absolutè usurpantur, Suilla, Bubula, Ouilla, Caprina, Ferina. Celsus: [libro secundo, capite 17.] Inter domesticas uero quadrupedes leuißima suilla est, grauißima bubula. Virgilius: [libro primo AEneidos,] Implentur ueteris bacchi pinguisque ferinæ.

Rarißime

Rarißimè additur his uocabulum carnis, ut Salust. [de bell. Iugurth] Getulis cibus erat caro ferina. Idem: Numidæ plerunq; lacte & ferina carne uescebantur.

Febris, ut in illis, Tertiana, quartana, quotidiana, cum absolutè usurpantur. Sueton. in Cæsar. Quanquam morbo quartanæ aggrauante. Febris.

Taberna, ut in illis, Sutrina, pistrina, etiam medicina, quæ (ut Donatus ait) ad tabernam referebant ueteres, ut Plaut. Amph. [act. 4. scen. 1.] In medicinis, in tonstrinis, apud omnes ædes sacras. Nunc pro appellatiuis accipi uidentur. Cæterum adiectiua fuisse confirmat illud Plinij: [lib. 18. cap. 7.] Vnum laudibus eius dicauit uolumen Hippocrates clarißimus medicinæ scientiæ. Legitur Medicina & pro medela. Taberna.

Pecunia, quo nomine (ut Laurentius uult) omnia quibus diuitiæ constant, continentur, ut post participium Repetundarum. Sueton. [in Iulio.] Dolabellam consularem & triumphalem uirum repetundarum postulauit. Declarat eius appellatiui defectum, quod aliquando adhibetur, ut Caluus ex Quintiliano [lib. 9. capite 3.] Non ergo magis pecuniarum repetundarum quàm maiestatis, neque maiestatis magis quàm Plautiæ legis. Pecunia.

Nummus, ut in illo Varronis [libro 4. de lin. Lat.] Denarius, quòd denos æris ualebat. Nummus.

Sestertius. *Sestertius quoq;, ut paulò infrà dicetur.*

Verbum uel sermo. *Verbum uel sermo, ut in talibus: Quid multis moror? Quid multa? Paucis te uolo. Cicero, Paucis complectar, disseram pluribus.*

Seruus uel minister. *Seruus uel minister, ut in illis circuitionibus, A pedibus, circum pedes, à manu, ad manum, à secretis, à libellis: ut sit seruus uel minister à pedibus, à manu, uel ad manum.*

Recordatio. *Recordatio, ut in illo cum similibus: Vbi eius aduenti uenit in mentem.*

Passus. *Passus, ut Cæsar de Britannia: *Huius est longitudo, ut fert illorum opinio, septingentorum milium. pro milium passuum. Martial. [lib.2.] Te tamen ut uideam, duo millia non piget ire: Vt te non uideam quatuor ire piget.*

Homo. *Homo, in talibus elocutionibus, quales sunt, Ferunt, dicunt, aiunt. Teren. [And. act.1. sc.2.] Ita aiunt. Idem [And. act. 5. scen. 3.] Ita prædicant. Cicer. [in Orat.] Et Xenophontis uoce Musas quasi locutas ferunt. Ouid. [lib.1. Metamorph.] Quem dixere chaos. Etiam ante pronomen Qui, in illo loquendi genere, quale est Iustini [lib.2.] Sternúntq; omnia, ut qui sciant se pugnare nõ spe uictoriæ, sed ultionis. Terent. [And. act.1. sc. 1.] Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam neget daturum. Pro eo quod est ab homine qui, uel ut Prisciano placet, ab illo qui. Item post adiectiuorum quæ etiam de hominibus*

nibus dicuntur, masculina, ubi sine appellatiuo leguntur, ut Graecus, Italus, Britannus, grammaticus, dialecticus, iustus, amicus, familiaris, liber, necessarius, & quis. Quorum passim sunt exempla.

Homines uel populi, ut post nomina patria, sicut Parisij, Merini, Cantij, Brutij, Plin. quarto natur. hist. [cap. 17.] Deinde Menapij, Morini, Oromansaci iuncti pago, qui Cersiacus uocatur. Britanni, Ambiani &c. Homines uel populi.

Sunt qui adiectiua haec, quae per Eclipsin unius alteriúsue appellatiui absoluté pronunciari dicimus, appellatiua dici malint, quibus nihil praescribimus, sed sine ulla (ut spero) artis grammaticae fraude liberã opinionem permittimus, dum ne ignorent, cũ adiectiuorum naturam deponunt, Enallagen saltem esse: cum alioqui pro ambiguis, id est, quae modò appellatiua, modo adiectiua sunt, à Gramnaticis non notentur.

Domesticus, familiaris, uel minister, uel famulus, post possessiua pronomina, cũ sine appellatiuis uel proprijs uirili genere leguntur. Caecil. Plin. ad Pomp: Cele. [lib. 1. epist. 4.] Hoc tamen differt,* quod solicitius & intentius tui me quàm mei recipiunt. Cicer. Valerio: [li. 1. epist. ult. famil.] Tanquam Vlysses cognosces tuorum neminem. Domesticus uel minister.

Et Officium post eadem pronomina, cum in Officium.

neutro leguntur sola. Terent. [And. act. 4. sce. 1.] Tuum est, si quid præter spem euenit, mihi ignoscere. Aliquandò adiungitur, ut: [Idem act. 1. sce. 1.] Nunc tuum est officium, has bene ut aßimules nuptias.

Tempus.

Tempus, ut in talibus: Ex quo, ex eo, ex illo. Virg. [lib. 2. Aeneid.] Impius ex quo Tytides. Idem: [Eod. lib.] Ex illo fluere ac retro sublapsa referri. Suet. Domit. Neque cessauit ex eo insidias struere fratri. pro ex quo, illo, & eo tempore. Et in illo Virgilij: [lib. 3. Georg.] Hosti Ante expectatum positis stat in agmine castris. pro ante expectatum tempus. Sic dici Post ea & post illa uidentur. Terent. [Eunuch. act. 1. scen. 2.] Tute scis post illa quàm intimum habeam te.

Mensis.

Mensis. ut post adiectiua illa, Ianuarius, Februarius, Quintilis, September: ut Calendis Ianuarij, pro mensis Ianuarij. Nam quod adiectiua hæc sint, declarat quod intransitiuè cum appellatiuis iunguntur, ut cum dicimus Nonas, Calendas, uel Idus Ianuarias, Quintiles uel septembres.

Dies uel lux.

Dies, ut apud Ouid. [lib. 1. fast.] Bruma noui prima est, ueterísque nouißima solis. Virg. [Eclog. 3.] Meus est natalis Iola. Dies uel lux: ut cum dicimus, illuxit.

Factum.

Factum quoq; in illo Ciceronis [lib. 4. ad Heren.]

ren.] simul audiendum Laurentius [lib. 3. cap. 23.] censet: Obfuit plurimum reip. eo tempore Consulum, siue stultitiam siue malitiam dicere oportet. ut sit, Obfuit Consulum factum, siue illud stultitiam &c.

*Appellatiuum aliquod cognatæ significationis cum uerbo, ut in illis, Aduesperascit, diescit: nisi quis nominatiuum Deus, subaudiri mauult, sicut ante illa, Pluit, grandinat, ningit, tonat, quæ uulgus Grammaticorum Græcorum ac Latinorum ad Deum referunt, ut sit, Deus pluit, ningit, grandinat: quanquam leguntur hæc apud ueteres & sub alijs nominatiuis. Stat. Theb. [lib. 8.] Saxa pluunt. Virgilius Georg. [libro 4.] Tantum pluit ilice glandis. Tibul. [lib. 2. eleg. 5.] Multus ut in terris * deplueritq; lapis. Plin. [lib. 2. cap. 56.] Effigies quæ plueρat, spongiarum feré similis fuit. Mihi certe cum his quoque, si per Grammaticos qui iam occuparunt, integrum sit, aliquid eiusdem significationis subaudiri non displiceat, ut Grando, pluuia, tonitrus, nix: cum præsertim diuersarum nationum idiomata, ipsa rei natura, ut uidetur, impellente, talia subaudiant.* Appellatiuũ cognatæ significationis cũ uerbo.

Appellatiuum aliquod eiusdem significationis & cum absolutorum cæterorúmq; neutrorum paßiuis ijs, quæ nos genus uocamus tertium paßiuorum, subaudiri Apollonio ac Prisciano Item appellatiuũ eiusdem significationis cũ uerbo.

placere uideo, ut cum sedetur, seßio: cum curritur, cursus. Huius enim ex XVIII. uerba sunt: Sed si quis & hæc omnia impersonalia uelit penitus inspicere, ad ipsas res uerborum referuntur, & sunt tertiæ personæ, etiamsi prima & secunda deficiantur. Illius uerba paulo infrà Priscianus ipse subiecit. Mihi certe religio est, ob delitias, ne dicam iniquitatem, eorum qui Græcè nesciunt, Græcorum uerborum nisi res impense exigat, quod non breuißimum sit inserere. Sed si quem tantorum uirorum autoritas mouet, non uideo cur is uerba huiusmodi impersonalia statuat, potius quàm personalia per defectum nominatiui, qui uidelicet certus est, ritu aliorum, de quibus modo egimus, semper prolata. Nam qui ab hoc eiusdē significationis nominatiuo diuersus est, is utpote incertus, planè proferendus est, ut Ouid. [lib.2.Metam.] Iam tertia uiuitur ætas. &; [Martial.lib.13.] Tota mihi dormitur hyems. Quod si hæc probabilia uidentur (ut mihi planè uidentur) non uideo quomodo hoc uerborum genus, à quocunq; etiam uerbo declinetur, transire in accusatiuum poßit, ne si principale quidem in duplicem transeat, alterum personæ, alterum rei, ut: Doceo, oro. Non enim oratur te, uel oratur regem, nec oratur pacem, dixeris. Si uidelicet oratio pro nominatiuo intelligitur, nisi quis tam demens sit, ut oratio ora

tur regem uel pacem, dici posse putet. Ad eundem modum, nec docetur te uel Grammaticam, nisi etiam doctio docetur te uel Grammaticam, dici poßit, quod absurdißimum sit. Quare si quæ apud autores huius figuræ leguntur, uel suspecta sunt ut deprauata, uel alia quapiam ratione curanda.

Item appellatio eiusdem significationis cum uerbo.

Eiusdem significationis appellatio & post absoluta per O finita subauditur, ijsdem autoribus: Post curro, cursus: Post uiuo, uita. Itaq; nec profertur, cum certum sit. Quod diuersum ab hoc est, proferatur necesse est, utpote incertũ: Curro stadium, uixi ætatem. Adeò ipsa quæ eiusdem significationis sunt, si quando ea definiri aliquo adiectiuo uelis, necesse est adhibeantur: Viuo uitam miseram, Cucurri cursum longißimum. Terent. [Adelph. act. 5. sc. 4.] Nam ego uitam duram, quam uixi usq; huc, propè iam excurso spatio omitto. Quint. [li. 5. cap. 14.] Qui uitam beatam uiuere uolet.

Appellatiuũ aliquod post uerbum Sum.

Ante genitiuum qui sequitur uerbũ Sum, uidetur subaudiri appellatiuũ aliquod, quod magis sit commune, quàm id quod idem uerbũ præcedit, ut: Quintus Cicero erat breuis staturæ. pro eo quod est homo breuis staturæ. Ouid. de Pont. [lib. 2. eleg. 7.] Crede mihi, ueri si sum tibi cognitus oris. Alibi res, ut Plinius [lib. 7. cap. 40.] Felicitas cui præcipua fuerit homini, non

est humani iudicij. Virg. [lib.1. Aeneid.] Grates persoluere dignas Non opis est nostræ. pro res humani iudicij, & res opis nostræ. Et in talibus: Antiqui moris est, & moris est. Plin. [lib. 17. cap. 10.] Omnia ea non statim moris est in sua locari, sed prius nutrici dari. Quin. [lib. 9. cap. 4.] Pythagoricis certe moris fuit, & cum euigilassent, animos ad lyram excitare. Quæ etiam per nominatiuum interpretari licet, ut: Antiquis mos est, & mos est. Eadem & per ablatiuum interpretantur autores, ut Plinius [lib. 16. capite 4.] Ludos ineunti, semper assurgi etiam ab senatu in more est.

Sicuti autem in quibus subauditur uocabulum rei, ea per nominatiuum interpretari licet, ita alibi nominatiuum per genitiuum cum uocabulo rei posito uel subaudito interpreteris, ut: Vestri consilij est, non solum mei. &, Res uestri consilij est. Frequens tamen est per nominatiuũ sermo, ut in illis Ciceronis, ad Attic. [lib. 9. ep. 19.] Sed tu id quanti æstimes, tuum iudicium est. Et ad uxorem & filiam [epist. 14.] Vestrum iam consilium est, non solum meum, quid sit uobis faciendum. Et iterum [epist. 18.] Romæ ne sitis, an mecum aliquo tuto loco, id non solum meum consilium est, sed etiam uestrum.

Nomen cum præpositiõe. Nomen cum præpositione, ut ante tales genitiuos: Animalium, quibus sanguis est craßior, forti-

fortiora. Subauditur enim de numero, uel ex numero. Et Quin. [li.1.cap.7.] Veteres, quorum fuerunt Aristoteles & Theodectes.

ADIECTIVORVM ECLIPSIS.

ADiectiua quoq; constructionis integritati non raro desunt, ut cum ijs quae distributiua dicuntur, ubi pluraliter usurpantur, Singuli, quisq;, uel unusquisq;. Plinius de canibus [lib. 10.cap.63.] Viuunt Laconici annis denis. Foeminae duodenis. pro singuli Laconici, & singulae foeminae. Virgil. [lib.5.Aen.] Bina boum nobis Troia generatus Acestes Dat numero capita in naues. pro in singulas naues. Cic. [pro Q. Roscio.] Is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat. pro in quenq;, uel unumquenque pedem. Simili subauditione utitur Priscianus & in illis, In dies, in horas, ubi tamen nullum est distributiuum: pro in dies singulos, in horas singulas accipienda esse dicens. Sic etiam interpretanda uidentur, In libras, in modios, ut Plin. [li. 12.capite 19.] Cinamo pretia quondam fuere in libras denariûm mille. Idem [li.18.ca.10.] Pretium huic annona media in modios farinae XL. asses. Quanquam in his de numerali ambigas, sitne cardinale scribendum, an distributiuum. Singuli uel quisque.

Centena milia, in illis nummarijs summis, Sestertiû centies, Sestertiûm decies. Suet. [in Claudio.] Etiam circa sestertiûm uicies prosequutus Centena milia.

est. Etiam præter centena milia ipse genitiuus, sestertiûm, Mart. [lib.12.] Habet Africanus milies, & tamen captat. Pro milies centena milia sestertiûm.

Solus. Solus, ut apud Ouid. [lib.1.] Fast. At ruber hortorum deus, & tutela Priapus, Omnibus ex illis Lotide captus erat. pro sola Lotide.

Vnus. Vnus, ut Plin. nat. hist. [lib.8.cap.16.] Primus autem hominum leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuefactum Hanno é clarissimis Pœnorum traditur.

Nullus. Item Nullus, Præsertim ante nisi, ut in talibus: [Ouid. in ep. Sapph.] Si nisi quæ facie poterit te digna uideri, Nulla futura tua est. Est enim integrum. Si nulla poterit te digna uideri, nisi quæ facie est te digna, nulla futura est tua.

Alius. Alius, ut in illo Cæcilij Plin. [lib.1.epist.23.] de quo genere alibi locuti sumus: Quòd deforme arbitrabar, cui assurgere, cui loco cedere omnes oportet, hunc omnibus sedentibus stare. Vult enim omnibus alijs sedentibus dicere. Plin. de obeliscis: [lib.36.cap.9.] Omnibus quæ unquam in mari uisa sunt, mirabiliorem. pro omnibus alijs. Huius uel similis nominis ablatiuus & post comparatiua, ubi uel nullum uel solum ablatiuum excessus secum habent, simul audiendus est Terent. [Eun. act.2. scen.3.] Si qua est habitior paulò, pugilem esse aiunt. pro cæteris habi=

habitior, uel quàm decet habitior. Alibi aliud quippiam, quod comparationem perficiat, ut: Ventriculi hyeme & uere calidiores natura sunt. pro quàm alijs temporibus calidiores. Sic suppleri posse uidetur & illud Terentij [And. act.1.scen.1.] cum similibus: Is postquam excessit ex ephebis Sosia, liberius uiuendi fuit potestas. pro liberius quàm ante. Nec ignoro Donatum subaudire, aliquanto: sed sic quoque expectat animus plenius absolui comparationem.

Talis quoq; uel is, ut in illa figura: Homo illiteratus, sed cui paucos anteponas. Homo illiteratus quidẽ, quem tamen multis non postponas. pro talis uel is, cui uel quem, autore Laurentio. Talis uel is.

Aliquis, ut in illis locutionibus, [Horat.lib.1. car.Od.1.] Sunt quos curriculo puluerem olympicum. &, Est qui nec ueteris pocula maßici. Non defuerunt qui interpretarentur insomniũ. Item in talibus: Misi, qui ei diceret: Non habeo, quem sequar. Aliquis.

PRONOMINVM ECLIPSIS.

DEsunt orationi nonnunquam & pronomina ferè omnis generis, nam ante uerba primæ & secundæ personæ adeò omitti solent similia demonstratiua pronomina, ut nisi certis de caußis in publica dicendi consuetudine raro adhibeantur, ut: [Virgil.lib.1.] Arma uirúmq; cano. &, [Idem eclog.4.] Paulò maiora canamus.

mus. & [lib.1.] Incute uim uentis. &, [eodem libro.] Maturate fugam. Adhibentur uerò, aut discretionis caussa, ut: Si uales bene est, ego quidem ualeo. &, [Eclog. 1.] Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra. Aut cum serium aliquid orationi promittitur, ut: [Teren. And, act.1. scen.1.] Ego postquam te emi à paruulo. Aliquando in discretione omittuntur, sed planè durißimè, ut apud Horat. [lib.1. Od.1.] Quod si me Lyricis uatibus inseris. ubi desideratur tu.

Tu.

Priuatim uerò nominatiuus Tu (nisi adhibitum sit) post omnem uocatiuum, cui subijcitur uerbum secundæ personæ, desideratur, ut Virgilius [Eclog.1.] Sed tamen iste deus qui sit, da Tityre nobis. Idem [eod.loc.] Non me pascente capellæ, Florentem cythisum & salices carpetis amaras. pro tu da, & uos carpetis. Etiã post ipsius uocatiuum, ut si in illo sermone, O tu accede, accipiatur Tu uocatiue, nihilominus subaudiendus est eiusdem nominatiuus, ne desit nominatiuus uerbo.

Demonstratiua primæ & secundæ personæ.

In prima quoq; appositiua sæpissimè omittũtur demonstratiua primæ & secundæ personæ, ut Ouid. [in epist. Parid.] Hanc tibi Priamides mitto Ledæa salutem. Virgil. [lib. 1. Aeneid.] Troës te miseri &c. oramus. Teren. [Heauton. act.3. scen.1.] Omnes deteriores sumus licentia. Plin. [in præfa. ad Vesp.] Magna pars studiorum amœnitates quærimus. Horat. [lib.

[lib.4.od.2.] Non ſemel dicemus Io triumphe, ciuitas omnis. Iuuena. [Sat.6.] His emitur, quicquid graciles huc mittitis Indi.

Præterea ante infinita uerborum, quæ uim habeant ſenſus, ubi deeſt accuſatiuus, ſæpe ad conſtructionis debitum ſufficiendus eſt accuſatiuus pronominis eiuſdē perſonæ, cuius eſt nominatiuus uerbi finiti, ut Memini uidere, pro me uidere. Credis latêre, pro te latêre. Credit ſcire, pro ſe ſcire. Vbi uerò datiuis præcedit, accuſatiuus ipſius, ut qui (quod ſatis ex eo intelligitur) meritò omittatur: ut, Permitto tibi dicere, pro permitto tibi te dicere. Permitto illi dicere, pro permitto illi, illum, uel ipſum dicere. Accuſatiuus ante infinitum.

Sæpe etiam poſt uerba, quæ cum ſint tranſitiua, abſolutè tamen proferuntur, ut Ter. [Eunuch. act. 2. ſce. 3.] Facile ut pro Eunucho probes. Idem: [Phorm. act. 4. ſcen. 3.] Hæc hinc facessat. pro te probes, & ſe facessat, ut uult Donatus. Et Virg. [lib. 1. Aen.] Dixit, & auertens roſea ceruice refulſit. Idem IIII. AEneid. Ingeminant curæ, rurſúſque reſurgens Sæuit amor. Idem: [lib. 1. AEneid.] Tum prora auertit. pro ſe auertens, & ſe auertit, ut inquit Seruius. Sic dici uidentur: Bene habet, Bene uortat, Male uortat: ſi cui in poſterioribus duobus nō placet Enallagen eſſe actiui pro paſſiuo. Item accuſatiuus poſt uerba tranſitiua abſolutè prolata.

Etiam tertiæ perſonæ demonſtratiua, ut Idem, Demonſtra-

tiua tertiæ personæ.

dem, quod compositum est, ante prouocabulum Qui, ut Plin. [lib. 8. cap. 34.] Tarando magnitudo, quæ leoni. Idem: [lib. 8. cap. 42.] Equo ferè qui homini, morbi. Idem: [lib. 35. cap. 15.] Vis bituminis, quæ sulfuris, discutit, attrahit, glutinat. pro eadem quæ, & ijdem qui. Ille uel is. Curtius: [lib. 3.] Hæc uociferantem, quibus erat imperatum, iugulant. Cicer. Initium dicendi quæ uellem. Virg. [lib. 1. Georg. [Quam quibus in patriam uentosa per æquora uectis, Pontus & ostriferi fauces tentantur Abydi. Integra enim horum sunt, Illi quibus, & ea quæ.

Pronomina cum præpositione repetita.

Item similia pronomina unà cum præpositione repetita. Cicer. ad Attic. [libro 11. epist. 8.] Quare ad illud redeo. Cura ut huius rei caussa dedita opera mittat aliquem Balbus, ad quos uidebitur: pro ad eos, ad quos uidebitur.

In illo uerò, Scio quem timeas, cum similibus, nihil opus est tali pronomine, cũ sit ibi Quem, nomen infinitum, nõ prouocabulum, & à Quis, non à Qui declinatum.

Quantum ad illud.

Sæpe pronomen Ille, cum alijs quibusdam additis, ut sit, Quantum ad illud, sicut in quibus subaudiri uidetur uerbum Respondeo, ut Cic. in epistola. [7. libri. 1. fam.] Quod scribis te uelle scire, qui sit Reipublicæ status, summa dissensio est, sed contentio dispar. pro eo quod est, quantum ad illud pertinet, quod scribis te uelle scire.

ſcire. Præterea ante relatiuum, cum ſequitur præut uel præ. Tere. in Eun. [act.2.ſc.3.] Præut huius rabies quæ dabit. Et Plaut. in Perſa:* Omnes res relictas habeo, præ quod tu uelis. Hic enim Eo uel illo, illic Illa ſubintelligendum.

Rurſus relatiua, ut Plin. [li.20.cap.4.] Impoſito raphano ſcorpionibus, moriuntur. Item in illa Græca figura, ubi redundare uidetur participium, de qua alibi dicemus, ut Virg. [lib. 2. Aen.] Et diuûm amplexæ ſimulacra tenebant. Aut enim uerbo, aut participio addẽdus eſt accuſatiuus relatiui pronominis, ut ſit, uel amplexæ ſimulacra tenebant illa, uel tenebant ſimulacra amplexæ illa. Relatiua.

Rurſus poſſeßiua omnia pro materiæ circunſtantijs frequentißimè. Teren. [And act.1.ſc.1.] Num tu ibi gnatum? ubi deeſt tuum. Idem [act. 3. ſcen. 4.] Gnatam ut det oro. ubi deeſt ſuam. Ouid. in epiſt. [Penelop.] Frigidius glacie pectus amantis erat. pro meum amantis. Poſſeßiua.

Sæpe uideas omiſſum uel prouocabulũ, Qui, uel certe relatiuũ Is, ut Virg. [lib.1. Aen.] Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni. Eſt enim integra locutio, aut quã Tyrij, aut eam Tyrij, ut ſit Parentheſis. Seruius tamen priorẽ rationẽ probat, uocátq; rationem hanc & cũ Eclipſi pronominis, & citra hanc Epexegeſin, ut: [Virg. li.1. et li.3. Aen.] Eſt locus, Italiam Graij cognomine dicunt. Qui uel is.

VERBORVM ECLIPSIS.

VErba quoq; non pauca ad legitimam constructionem nonnunquam requiri solent, præcipuè uerbum Sum, quod etiam in omnibus modis desideratum legas. Indicatiuo, ut Virgil. [lib.1. Aen.] Sed uos qui tandem, quibus aut uenistis ab oris? Ouid. [in epi. Saph.] Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse uolo. Item Virgil.* Nec requies, quin aut pomis exuberet arbos. Idem [libro 2. Aeneid.] Hinc mihi prima mali labes. Idem [libro 1. Aeneid.] Et quà uectus Abas. pro labes erat, & uectus erat. Item in illa locutione cum similibus: Immensum quantum. Mirum quantum. Liuius [lib.1. decad.1.] Mirum quantum illi uiro nuncianti hæc fides fuerit. pro mirum est quantum. Imperatiuo, ut: Virgil. [libro 2. Aeneid.] Fas mihi Graiorum secreta* resoluere iura, Fas odisse uiros. pro fas esto uel sit, autore Seruio. In optatiuo, ut Vtinam non omnia uana, Vtinam hæc uera. pro sint uana, sint uera. In potentiali uel subiunctiuo. Teren. [And. act.1. scen.1.] Et uultu Sosia adeò modesto, adeò uenusto, ut nihil supra. ubi deest, esset. Et Virgilius [libro primo Aeneid.] Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles. Desunt enim essent, & esset. In modo infinito sæpißimè, ut Virgilius [libro secundo.] Promisi ultorem. ubi deest fore, uel futurum esse.

Et

Et in futurorum modi huius periphrasi, ut Dixi futurum, Dixi tibi cauendum.

Præterea fac, uel uide, ante subiunctiua præsertim cum imperatiuorum locum, sed mitius implent, ut Mittas, pro fac mittas. Ouid. [in epist. Penel.] Nil mihi rescribas, attamen ipse ueni. Fac, uel uide.

Et Dico uerbum, uel aliquid cognatum illi. Aliâs in talibus transitionibus: Sed de his hactenus. Sed hæc & multa alia coram. Quid multa? Ne multa: in quibus supplendum, dicam uel dictum sit, prout sensus poscit. Item in illis cum similibus. Terentius: [And. act. 1. scen. 1.] Egomet continuo mecum, &: [Virgil. lib. 1. Aen.] Hæc secum, desiderantur enim ibi dixi, hîc dixit. Aliâs ante infinita uerborum, ut in ea dicendi figura, quam Quintilianus obliquam allocutionem uocat, qualis est illa Cic. [de Amic.] Habendas* esse quàm laxissimas amicitiæ habenas. Caput enim esse ad bene uiuendum, ubi Dicunt, subaudiendum. Et Virgil. [lib. 2. Aeneid.] Nam si uestra manus uiolasset dona Mineruæ, Tum magnum exitium (quod dij prius omen in ipsum Conuertant) Priami imperio Phrygibusq; futurum, ubi Dicebat uel dixit, adijciendum. Dico, uel aliquid cognatum.

In hac uerò figura, tum hoc uerbum uarijs modis, tum alia requiri obseruo. Et hoc uerbum simpliciter, ut in iam positis exemplis. Modò cum coniunctione Enim. Cæsar de bello Gallic.

[li. 1.] Congregationem nobilitatis fecit, & ciuitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copijs exirent, perfacile esse, cum uirtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri, pro dixit enim perfacile esse. Modò in participio præsentis. Cæsar eodem libro: Diuitiacus multis cum lachrymis Cæsarem complexus, obsecrare cœpit, ne quid grauius in fratrem statueret, scire se illa esse uera, nec quenquam ex eo plus quàm se doloris capere, pro dicens se scire. Idem: Bello Heluetiorum confecto, totius ferè Galliæ legati, principes ciuitatum ad Cæsarem gratulatum conuenerunt: Intelligere sese tametsi pro ueteribus Heluetiorum iniurijs populus Rom. ab his pœnas bello repetisset, tamen eam rem non minus ex usu terræ Galliæ, quàm populi Rom. accidisse, pro dicentes uel affirmantes sese intelligere. Modò eius participium futurum, uel uerbum cum relatiuo Qui. Idem: Hedui cum se suaq; ab his defendere non possent, legatos ad Cæsarem mittunt rogatum auxilium. Ita se omni tempore de populo Rom. meritos esse ut penè in conspectu exercitus nostri agri uastari, liberi eorum in seruitutem abduci, oppida expugnari non debuerint, pro dicturos, uel qui dicerent ita se omni tempore de populo Roman. meritos. Tale est & Liuij illud: [libro 1.] Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa uicinas gentes

gentes misit, qui * cum finitimis connubia petere-rent, urbes quoq; ut cætera ex infimo nasci deinde qua sua uirtus ac dij iuuent, magnas opes magnumq; nomen sibi facere, &c. proinde ne grauerentur homines cum hominibus sanguinem & genus miscere. Vbi ante illud, urbes, simul audiendum, qui dicerent, quod Cæsar [libro 1. bello Gallic.] quodam loco apponit. Modò in eadem eius generis allocutione, alibi Dico, alibi Moneo, ut in illa: Is ita cum Cæsare egit: Si pacem populus Rom. cum Heluetijs faceret, in eam partem ituros, atque ibi futuros Heluetios, ubi Cæsar constituisset, atq; esse uoluisset. Sin bello persequi perseueraret, reminisceretur & ueteris incommodi populi Rom. & pristinæ uirtutis Heluetiorum. Vbi priore loco ante, ituros, subaudiendum uidetur, dicens, uel ut diceret: secundo loco, uel hortabatur, uel monuit reminisceretur. Et paulò post in eadem: Se ita à patribus maioribúsque suis didicisse, ut magis uirtute, quàm dolo contenderent. Vbi iterum dixit adijciendum. Et statim post: Quare ne committeret, ut is locus ubi constitissent, ex calamitate populi Romani & internetione exercitus nomen caperet. Vbi iterum Monuit subdendum. Alibi Rogat uel rogauit. Ibidem in Cæsaris allocutione ad omnium ordinum centuriones: Omniúmque ordinum ad id concilium adhibitis

centurionibus uehementer eos incusauit. Primum, quod aut quam in partem, aut quo consilio ducerentur, sibi quærendum aut cogitandum putarent: Ariouistum se consule cupidißimé populi Romani amicitiam appetisse, cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret. Vbi ante appetisse Dicit, ante cur hunc, Rogat subaudiendum uidetur. Et mox: Quod si furore atque amentia impulsus bellum intulisset, quid tandem uererentur? aut cur de sua uirtute, aut de ipsius diligentia desperarent? Vbi iterum Rogat, ante quid subdendum.

Hoc dico. Aliâs cum pronomine, ut ante Quasi, in tali figura, qualis est illa Terent. [And. act. 2. sc. 2.] Ridiculum caput, quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere. Idem: [And. act. 5. scen. 2.] Modò introij, quasi ego quandudum rogem. Postulat enim plenus sensus subaudiri, hoc dicis. Et cum relatiuo Qui, ut in talibus. Quint. Instit. [lib. 1. cap. 10.] Ideoq; apud Cælium legimus: Pelia Cincinnatus, & apud Mecœnatem bene fecit Euthia. Et apud Cicer. Hermagora, ne miremur quod ab antiquorum plerisq; Aenea & Anchisa sit dictus. Plinius: natur. hist. [lib. 9. capit. 17.] Admouitq; sibi gula sapores, piscibus satis & nouum incolam mari dedit, ne quis peregrinas aues Romæ parere miretur. Pro quod dico ne miremur, & : quod dico ne

quis

quis miretur. Idem: [in præfat. ad Vesp.] Subcisiuis temporibus ista curamus, id est, nocturnis, ne quid nostris putes cessatum horis.

Hoc dico uel quod dico.

Simili modo ante Vt uel ne, ad hunc modum, ut Cicer. [de Senect.] Satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requiem oblectationémque noscatis, ubi, hoc dico, uel quod dico subintelligitur.

Dico, Puto, uel Censeo.

Dico, puto, uel censeo, prout sensui melius quadrabit, ut in illis interrogationibus, quæ per Quò, uel Vnde figurantur. Horat. * Quò mihi fortunam, si non permittitis uti? id est, ad quem usum uel finem dicatis mihi esse fortunam? Rursus idem: [lib. 2. Satyr. 7.] Vnde mihi lapidem, quorsum est opus, unde sagittas? pro putes uel dicas mihi esse. Simili supplemento egent et hæc. Cicer. ad Fab. [lib. 7. epist. 24.] Martis uerò signum, quo mihi pacis autori? Et Quint. [decla. 2.] Quò per fidem diuitias cæco? Idem [in ead.] Vnde tantum uirium cæco? ut uno statim ictu mors tota peragatur. Iuuenalis: [Satyr. 14.] Vnde tibi frontem libertatemq; parentis? Est tamen ubi uerbũ Est subauditur, ut Quint. [decl. 10.] Vnde misero tunc, unde somnus? pro eo quod est erat somnus.

Dico uel Facio.

Dico, uel etiam facio, prout dictum factumúe probatur in illis: Bene Ennius, Præclare Anaxagoras, Prudenter Fabius. Dixit enim, uel Fecit,

pro conditione rei ad orationis perfectionem addendum.

Dico, uel annuncio. Dico, uel annuncio, ut Cic. Att. [lib.14. epistol.2.] Pyliæ paratum est hospitium, sed uellem Atticam, uerum tibi ignosco, quarum utriq; salutem. Idem proxima epistola: Pyliæ & Atticæ salutem, pro dices, uel annunciabis salutem.

Volo. Volo, ut in illis: Ter. [Eun. act.1. sc.2.] Ita facere certum est. &: [Virg. lib.2. Aen.] Stat casus renouare omnes, pro uelle facere, et uelle renouare, de quibus in uerborum constructione.

Facio. Facio, ut in illo Cæcilij Plin. [lib.2. epist.8.] cum similibus: Studes? an piscaris? an uenaris? an simul omnia? Plin. [lib.15. cap.15.] Atq; pulmentarij uicem implent quod non alia præter cotonea & struthea, pro an omnia facis? &, non alia faciunt. Et Martialis: [lib.13.] Nil aliud bulbis, quàm satur esse uolo, pro fieri bulbis. Item in illo loquendi genere: Aequauit summos uiros idq; in adolescentia, deest enim Fecit. Viuo in secessu, neq; uel hoc uel neq; id sine consilio uirorum prudentium. Supplendum enim Facio.

Facio, uel Volo. Facio, uel uolo, in illis: Dij melius, Dij meliora, pro faciant, uel certe uelint.

Respondeo. Respondeo, subinde in oratione desideratur ut in subiectis exemplis. Cic. Att. [lib.13. epi.1.] Quod Epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum.

Respon-

Respondeo, uel certe Confiteor, ut Quintil. [lib. 4. cap. 2.] Sed si confeßionem culpæ meæ exigis, ego fui pater durus, & patrimonij, quod iam melius ab his administrari poterat, tenax custos. Decet uel oportet, ut in talibus. Virgil. [libro 1. Aen.] Méne incepto desistere uictam? Terent. [And. act. 1. scen. 5.] Ah tantámne rem tam negligenter agere? Idem: [act. 4. scen. 2.] Siccine me atq; illam tua opera etc. solicitarier? Idem [act. 3. scen. 5.] Seruon' fortunas meas me commisisse futuli? Plenæ enim constructiones fient per Decet uel oportuit. Respōdeo uel confiteor. Decet uel oportet.

Aliquando hoc totum, uel simile aliquid, Verúmne est? uel, Veréne ita est? ut Iustin. [lib. 2.] Tātam famæ uelocitatem fuisse, ut cum matutino tempore prælium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asiam per tot maria & tantum spacij, tam breui horarum memento de uictoria nunciatum sit? pro uerúmne est fuisse? Plin. ad Adri. [lib. 4. epist. 3.] Hominémne Romanum tam Græcé loqui? Virgilius: [lib. 1.] Méne Iliacis occumbere campis non potuisse? Idem in Georgic. [lib. 1.] Sic omnia fatis In peius ruere, ac retro sublapsa referri, pro uerum est, uel certum est. Verúmne est? uel ueréne ita est.

Est ubi Fuerit uel fecerit, uel simile aliquid pro implenda constructione sit addendum, ut Suet. in Cæsare. Siue diuinitus siue coniectura, Fuerit uel fecerit.

 uince-

uincerent ac sibi haberent, dummodo scirent eum &c. Virgil. [lib.2. Aeneid.] Primusq; Thimetes Duci intra muros hortatur & arce locari, Siue dolo, seu iam Troiæ sic fata ferebant, pro siue dolo id fecerit.

Rogo uel simile.

In eperotesi quoq; eiusdem uerbi, ubi scilicet mutatur modus, ut Rogas, uel quid simile. Tere. in Adelph. [act.1. scen.2.] Quid is fecit? Quid ille fecerit? pro rogas quid ille fecerit? Et in Eunuch. [act.4. sce.4.] Non uides? uideam? obsecro quem? pro rogas num uideam? Et in Phorm. [act.4. scen. 4.] Quid ergo narras? quid ego narrem? pro rogas quid ego narrem?

Debet.

Debet quoq;, ut Cor. Tacit. [lib.19.] Quibus operiri auxilia & trahere bellum uidebatur, Germanicarum legionum uim famamq; extollebant, pro eo quod est operiri, & trahere debere. Plin. [lib.18. cap.34.] In hunc spectare olиueta Cato iussit, pro spectare debere. Columell. [lib.1. cap.3.] Iure igitur, quantum mea fert opinio, M. Portius talem pestem uitare cẽsuit. Idem: [lib.7. cap.5.] Censet propter hanc sæpius diligenter ouium terga perspicere. Terent. And. [act.3. scen.3.] Aliquot me adierunt, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam meam nubere gnato tuo. Cicer. Att. [lib.4. epist.15.] Cato tamen affirmat se uiuo illum non triumphare, pro debere triumphare. Nisi quis in aliquibus talem

Enalla-

Enallagen dicat præsentis actiui pro futuro paßiuo, ut in illo Catonis: Talem pestem uitare censuit, pro uitandam esse. Et in illo Taciti: Operiri auxilia, pro operienda esse. Et trahere bellum, pro trahendum esse.

Aliquando parum integra locutio uidebitur nisi Natum est, uel Ortum est, uel aliquid synonymum subaudias, ut Virg. [lib. 1. Aen.] Genus unde latinum, Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Romæ. Idem: [eod. lib.] Vnde imber & ignes. Nam eas uoces aduerbia ferè subijciunt. Natum est, uel Ortum est.

Sunt & alia quæ omittuntur, quòd ea ex alijs ferè intelligantur, ut Plin. ad Pont. [lib. 7. epi. 4.] Quos Latine huius libelli amor docuit. Simul enim auditur, loqui. Sic dicitur Fidibus scire, [Ter. Eun. act. 1. scen. 2.] per defectum eius, quod est sonare uel canere. Loqui.

Desideratur interim & integer ex nomine et uerbo sensus, ut in ethopœijs, siue persona ia-ctis, ut Quint. notat. Virg. [lib. 2. Aeneid.] Hîc Dolopum manus, hîc sæuus tendebat Achilles. Deest enim, dicebat quis. Dixit, uel dicebat quis.

In talibus quoq;, quale est illud Cic. ad Attic. [lib. 5. epist. 15.] Ire, uel aliquid simile: Inde ad Taurum cogitabam, ut cum Mophagone signis collatis si possem. In priore, ire: in posteriore, cōfligerem, uel tale quippiam subauditur. Idem ad eundem: [lib. 6. epist. 3.] Rhodum uolo pue- Ire uel simile

rorum caussa, inde quamprimum Athenas. Idem Mario: [lib. 7. epist. 4.] Cum Libone tuo, uel potius nostro in Pompeianum statim cogito.

Audire, uel intelligere.

Audire, uel intelligere, ut in illo Ciceronis ad Att. [lib. 14. epist. 4.] Horribile est, quæ loquantur, quæ minitentur, cum similibus, uidetur enim integrum, horribile est audire.

PARTICIPIORVM ECLIPSIS.

Participia rarius orationi desunt, nonnunquam tamen ad legitimam constructionem suppeditanda sunt. In ea enim appositiua, quam primam diximus, si Ens participium absit, ubiq; Prisciano autore subaudiendum est: ut Homerus Poëta. Nos tamen appositiuam hanc inter legitimas constructiones ideo adscripsimus, quod participium id minime uel à paucis receptum, pro nullo habeatur. Declarant autem huiusmodi participium intelligi, maxime ablatiui illi consequentiæ, Me duce, me autore, Cæsare & Bibulo consulibus, & alij consimiles, ut qui nisi participio subaudito consistere nō possent. Aliud uero participium sensui non quadrat. In hoc tamen genere figuratum usu recipi necesse est, cum participium quo suppleatur, receptum in usum publicum non sit: tametsi à Cæsare probatum, atq; ut scribit Acron, philosopho, qui eo

Ens.

sit

sit usus, etiam laudem attulerit. Idem participium, & ubi aduersatiua coniunctio dictioni praeponitur, non sententiae, ut: Affui, tibi quanquam inimico, pro inimico enti.

In illo quoq; &, Tu soluendo non eras. Cicer. [Philip. 2.] &, Qui oneri ferundo essent, Liuij [lib. 2. dec. 1.] cum similibus, subaudiendum uidetur uel Sufficiens, uel Potens, uel simile aliquid, quod sensui quadret. In priori uero, & appellatiuum Debito, uel aeri alieno, uel simile aliquid. Declarat hoc Celsus, qui constructionem implet. Eius uerba sunt: [lib. 5. de Ferunculo.] Si caetera desunt, imponi debent: Primum non pingue emplastrum ut id reprimat, deinde si non repreßit, quodlibet puri mouendo accommodatum. Caeterum hac ratione huiusmodi uoces gerundi modi non erunt, sed potius participia. Illud tamen Apulei [lib. 8. de asin. aur.] omnino gerundi uidetur: Cum Charite nubendo maturuisset. Similis loquendi figura & per nomina prolata legitur, ut Macrobius: [lib. 3. cap. 19.] Sunt de agricultura scriptores, qui nuces & mala sic diuidunt, ut nuces dicant omne pomũ quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est, Malum uero, quod foris habeat quod est esui, & durum intus includat. Sufficiens uel potens.

In talibus quoq; requiri uidetur participium quale est Cicer. ad Attic. [lib. 4. epistola 14.] Scripta.

Occupa-

Occupationum mearum uel hoc signum erit, quod epistola librarij manu est. Vbi scripta subaudiendum uidetur. Idem ad eundem: [libro 7. epist. 2.] Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliam alia iucundiorem, quae quidem erant manu tua.

Sciturus. Etiam in illa figura, qualis est Virgil. [lib. 1. Aen.] Equidem per littora certos Dimittam, & Lybiae lustrare extrema iubebo, Si quibus eiectus siluis aut montibus* errat. Scitura enim uel scituros supplendum, uel quod certe idem fuerit, ut sciam, uel sciant. Sic enim uidetur Seruio illud eiusdem supplendum: [Virgil. lib. 1. Aen.] Et omnem Prospectum laté pelago petit Antea, si quem Iactatum uento uideat. Est, inquit, ordo: Conscendit scopulum requisiturus Antea, quanquam mihi magis placet, requisiturus si quem uideat, ut subijciatur pro epexegesi Antea, Capyn, aut arma Caici. Cicer. ad Attic. [libro 11. epist. 9.] Delatus est ad me fasciculus, solus solui, si quid ad me literarum, nihil erat. In quibus tamen omnibus Si pro An posita uidetur, ut alibi est dictum.

Dicturus. Simili ratione supplendum uidetur & illud Virgilij in septimo: Pandite nunc Helicona deae cantúsque mouete, Qui bello exciti reges, quae quenque secutae Complerint campos acies, Pro dicturi, uel ut dicatis uel referatis.

In illo quoque Terentij in Eunuch. [actu 5. scen. 4.] Quo pacto ex iure hesterno panem atrum uorent: intelligit Donatus uel maceratum, uel emollitum, uel madidum. Cuiusmodi ecli psis & in alijs similibus est, quæ sunt apud Celsum & Plinium plurima, ut: Spongia ex aceto, offa ex uino uel posca.

Maceratum emollitũ, uel madidum.

Item in illo Terent.* cum similibus: Signa uideo omnia ad salutem, ubi deest, hærentia, uel spectantia.

Hærentia, uel spectantia.

PRAEPOSITIONVM ECLIPSIS.

PRæpositiones quoq; non Poëtis modò, uerumetiam Oratoribus frequentißimè orati oni deesse quis non animaduertat? Veluti Ab & Ad, ante urbium nomina, quoties ad quæstionem Quò & unde redduntur, ut: Eo Romam, Venio Roma. In primo enim desideratur, ad. In secundo, ab. Cum nanque ad quæstionem Vbi redduntur in genitiuo, in urbe, uel oppido subaudiendum uidetur, quæ etiam aliquando adhibita uidentur. Cæterum usitatior est figurata quàm integra locutio pro Varronis sententia ex quadam Ciceronis epistola, & non minus Quintiliani, [li.1.cap.10.] qui si quis Veni de Susis, dicat, Soloecismum censet. Sed adhibitis, ut dixi, præpositionibus ipsis, subinde magnos autores locutos inuenias: Etiam Ciceronem ipsum, si codices

deprauati non sunt, ut in Verr.* Ea die Verres ad Messanam uenit. Et ad Terentium in calce cuiusdam epistolæ [20.] De Venutio. Et alterius [4.] De Brundusio. Salust. in Catil. Nam Brutus ab Roma aberat. Liui. * Ab Lauinio uenerant antiqua auxilia. Cæsar uero Augustus aliter loqui non solebat, autore Suetonio. Poëtæ uero & ante prouinciarum uel regionum nomina, huiusmodi præpositionum defectum licenter abutuntur, ut: [Virg. lib 1. Aeneid.] Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit Littora.

Ante. Præterea ante accusatiuos, Calendas, Nonas, Idus, ferè subauditur præpositio Ante, ut: Tertio Calendas, Nonas, uel Idus, pro tertio ante Calendas, Nonas, Idus. Idem dici potest & de Pridie. Pridie, quoties accusatiuos præcedit, ut Cicer. [lib. 14. epi. 4. fam.] Pridie Calendas Maias de Brundusio: cum proprius eius casus genitiuus potius sit, cuius alibi sunt posita exempla. In illo quoq; Annos natus decem, cum similibus, Ante subaudit Priscianus, ut sit, ante annos decem.

Post. At ubi Postridie eiusmodi accusatiuos præcedit, subaudienda est præpositio Post. Cic. Att. [lib. 16. epist. 3.] Itaq; sese scripturum aiebat, ut uenationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares* futura est, proscriberent. Donatus quoq; in illo, [Andri. act. 1. sc. 5.] Quod ego per hanc te dexteram oro: post desiderari ait, ut sit, post quod.

quod. Vtcunq; sit, non incommode, ut mihi uidetur, in talibus Quod per quare interpretere.

Idem Donatus *etiam præpositionem* Propter, *in talibus adijcit.* Terentius: [And. act. 1. scen. 1.] *Magis id adeò, mihi ut incommodet.* Idem: [Eunuch. act. 5. scen. 7.] *Nunc id prodeo, ut conueniam Parmenonem. In quibus Id, pro ob id, uel propter id accipit.* Propter.

Verum ex præpositionibus quæ ablatiuo debentur, frequentißime constructioni deficiunt hæ: A, cum, de, é, pro, cum synonymis. A, cum, de, è, pro.

Ab, uel In, ut Virgil. [lib. 1. Aen.] *Cum Iupiter æthere summo Despiciens mare ueliuolum.* Idem: [eodem libro] *Stridens Aquilone procella Velum aduersa ferit.* Idem: [libro 2.] *Atque imo Nereus ciet æquora ponto.* Ouidius *Fast.* [lib. 1.] *Iuppiter arce sua totum cum spectet in orbem.*

In, ut Plinius: Vt dubium sit togáne, an bello præstantior fuerit, pro in bello, in toga. Columell. [lib. 2. cap. 10.] *Nec densa nascitur humo.* Idem:* *Non ut pinguißima, uel macerrima iacitur humo, pro in humo.* Cic. *pro domo sua: Domo me contineo.* Ouidius:* *Sustinet inuidia tristia signa domo.* Virgilius [lib. 12.] *Saxum antiquum ingens, campo quod* forte iacebat Limes agro positus.* Idem Georg. [lib. 3.] *Hunc quoq; ubi aut morbo grauis, aut iam segnior annis* In.

Deficit,

Deficit, abde domo. Suetonius in Domit. Natus est regione urbis sexta, pro in regione. Hanc et in citandis autorum operibus desiderare solent ueteres Græco more, ut: Plautus Menechmis, Terentius Phormione.

Cum. Cum, comitantiæ, non instrumenti. Virg. [libro 3. Aeneid.] Et magnis quatiunt clangoribus alas. Et Plinius, qui plurimum huius præpositionis eclipsi utitur, ut de Elaterio: [li. 20. cap. 1.] Cuius caussa, nisi maturius incidatur, semen exilit oculorum etiam periculo. Talia sunt apud eundem miro compendio: Magna mortalium utilitate. & : [in præfatione ad Vesp.] Publico bono. Et Cicer. [Orat. 3. in Catil.] Ne dici quidem potest*, quanta diminutione ciuium. Cæsar: [libro 5. bell. Gall.] Scribit Labieno, si Reip. commodo facere posset, cum legione ad fines Neruiorum ueniat. Virg. in IX. Tum demum præceps saltu sese omnibus armis In fluuium dedit. Varro: [lib. 1. cap. 13.] Ac cum Luculli & Metelli uillis peßimo publico ædificatis certant. Instrumenti enim ratio solius ablatiui uis est, sicuti Græce Datiui, ne quis deesse Præpositionem hanc putet, quæ tamen ferè in publicis gentium idiomatis hodie adhibetur.

A uel E. A uel E, Virgil. [lib. 6. Aeneid.] Proijce tela manu, pro è uel à manu. Item post Natus & synonyma sæpißime, de quibus alibi diximus. Liuius:

uius [lib.1. decad.1.] Ioue nate Hercules salue. Virg. [lib.2. Aeneid.] Quo sanguine cretus. Et alibi [lib.6.] Sate sanguine diuûm.

De, ut Virg. [lib.1.] Et afflictis melius confidere rebus. pro de afflictis rebus, ut Seruius interpretatur. De.

Pro, ut Horatius [lib.1. epist.1.] Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Pro.

ADVERBIORVM ECLIPSIS.

ADuerbia uix desiderantur, siue quia certa non sunt, siue quia id quod in nomine & uerbo incertum est, definiunt. Duæ tamen præpositiones cum aduerbiascunt, ad plenam aliquando constructionem requiruntur. Hæ sunt, Ante & Post. Hæc ante Quàm electiuam, cum numeralia ordinalia sequitur. Liui. [lib.7. dec. 1.] Quadringentesimo anno, quàm urbs Roma condita erat. Idem [lib.3. decad.1.] Anno trecentesimo altero, quàm Roma condita erat, iterum mutatur forma ciuitatis à consulibus ad decemuiros. pro postquam Roma condita erat. Et post Alter. Idem de bel. Maced. [lib.1.] Altera die, quàm à Brundusio soluit. Item præcedente Protinus, uel Statim, ut Plinius [lib. 10. cap.28.] Protinus intereunt, quàm *litatum est illi deo, id est, postquam litatum est. Marcel. Ante & Post aduerbia.

Iureconsult. [li.1.tit.6.Pand.] Omnes proconsules statim quam urbem egreßi fuerint, habent iurisdictionem. Vlpian. [li 21.tit.1.Pand.] Iudici enim statim atq; iudex factus est, omnium rerum officium incumbit. subauditur enim Post utrobiq;, ut sit, postquam, & post atq;. Requiruntur eædem præpositiones & post Pridie & Postridie, cum eis subijcitur Quàm. Cic. ad Teren. [epist. 7.] Quid caussæ autem fuerit, postridie intellexi, quàm à uobis disceßi. pro postridie postquam à uobis disceßi.

Non solum. Deesse uidetur & Non solum, interdum non sine quadam uarietatis gratia, ut Quint. [li.10. cap.1.] Cum Ciceroni dormitare interim Demosthenis oratio, uerumetiam Homerus ipse uideatur. Cic. [lib.3.ep.1.ad Q. Fr.] Vrget ille quidem, & Philotimus & Cincius, sed etiam ipse crebro interuiso. Nisi in his, Verum etiam, & Sed etiam, pro imò etiam accipias.

Ita. Desideratur & aduerbium Ita similitudinis, ante ut, in Horat. sæpißimè, ut in primo sermonum [Sat. 1.] Quanquam ridentem dicere uerum Quid uetat? ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa uelint ut discere prima. Idem [ead. Sat.] Vt si Reticulum panis uenales inter onusto Forte uehas humero; nihilo plus accipies quàm Qui nil portarit. Iterum in eodem: Vt tibi si sit opus liquidi non amplius

plius urna Vel cyatho, & dicas ex* magno flumine mallem, Quàm ex hoc fonticulo tantundẽ sumere. Hanc Horatij figuram amator eius Quintilianus sæpe imitatur, ut in procemio: Seu quod proximum uero, nullam ingenij sperantes gratiã circa res etsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas, ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. Idem: [lib. 1. cap. 4.] Non subest uera uis, nec penitus immißis radicibus nititur, ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatæ spicas herbulæ inanibus aristis ante messem flauescunt. In quibus omnibus exemplis Ita, ante Vt, est audiendum, ut sit, ita ut.

Vt quoq; similitudinis aduerbiũ, ante exempla honeste sæpe desiderant eruditi, ut Quintilianus & paßim, & in VIII. de Enthimemate loquens: [cap. 5.] De hoc in argumentis satis dictum est. Non semper autem ad probationem adhibetur, sed aliquando ad ornatum: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorũ ad crudelitatem te acuet oratio. Et paulò post: Est enim Epiphonema rei narratæ, uel probatæ summa acclamatio: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Vt.

Vsq;, ut Horat: [lib. 1. Sat. 5.] Ad unguem factus homo. Virg. [lib. 5.] Iuppiter omnipotens, si non exosus ad unum Troianos. Liuius: Vsq;.

 [lib.

[lib.3. Dec. 1.] Romanus consul in Algido consecutus ad unum omnes occidit.

Non. Etiam negatiua, Non. Aliâs post huiusmodi uerba, Vereor, metuo, caueo, sequente Ne. Cic. ad Quintum fratrem: * Quod autem abfuisti, uereor ne satis diligenter in senatu actum sit de literis meis. pro ne non satis. Idem ad Att. [lib.7.epi.11.] Si manet, uereor * ne exercitum firmum habere poßit. etiam pro ne non poßit. Aliâs post Non modò, sicut græcé post οὐχ ὅπως, ut uarijs locis diligenter notauit doctißimus Budæus. Cicer. pro Sextio. * Cum illi soli essent præter illum flagitiosum tribunum pleb. duo Reipub. turbines, qui non modò præcipitanti patriæ subuenirent, sed etiam nimis tardè concidisse mœrerent. Idẽ de Perfecto Oratore: Nam sic in epularum apparatu à magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem dici uolet. Columel. [lib. 8. cap.17.] Nam uile ne captare quidem, nedũ alere conducit. Pro non modò non subuenirent. &, non solum non parcum. &, nedum non alere. In hoc genere est, ubi negatiua Non, necessariò deest: nempe ubi in priore sensu nullum est uerbum in quod cadat, ut in tali elocutione: non modò stellæ, sed ne luna quidem ad solem suũ seruat splendorem. Si enim addita ea negatione, non stellæ dixeris, uidebitur de alio quàm stellis uerbum inferri.

inferri. At compoſita negatio præponi in tali figura poſſet, ſic: Non modò nullæ ſtellæ, ſed ne luna quidem ad ſolem ſuum ſeruat ſplendorem. Quod autem in primo exemplo negatio deſit, facilè apparet, ſi quis Zeugma ipſum ſuppleat, hoc pacto: Non modò ſtellæ ad ſolem ſuum ſplendorem non ſeruant, ſed ne luna quidem ad ſolem ſuum ſeruat ſplendorem. Laurentius hoc, ubi contraria ſunt, tantum contemplatur. Deeſt negatiua particula & poſt Nedum, ubi ad præcedens uerbum non refertur, ſed ſuum habet, & ſemper in potentiali modo. Hora. [in arte.] Mortalia facta peribunt, Nedum uerborum ſtet honos & gratia uiuax. pro non ſtet. Saluſt. [de Con. Cat.] Quippe ſecundæ res ſapientium animos fatigant, nedum illi corruptiſſimis moribus uictoriæ temperarent, id eſt, non temperarent. Liuius [lib. 10. dec. 4.] Attonitus repentino malo, uix quid obijceretur intelligere potui, nedum ſatis ſciam, quomodo me tuear. Cicer. pro Cluentio:* Nec Metellus nec Pompilius clarißimi uiri uim tribunitiam ſuſtinere ualuerunt, nedum his temporibus, his moribus, ſine ueſtra ſapientia, ac ſine iudiciorum remedijs ſalui eſſe poßimus.

CONIVNCTIONVM Eclipſis.

DEsiderantur & Coniunctiones Latinæ orationi uel maxime, sed clausularum connexioni, & sermonis cõtinuationi, potius quàm iustis constructionis numeris. Itaq; nec huius loci propriè sunt, si quis exacti ordinis ius ad unguem exigat: sed nec alibi tamen commodius tractentur, cum frustra mea sententia huic uni rei sua quæpiam tractatio dicaretur. Itaq; ad tantilla conniuentes, securi quod cœpimus, peragamus. Desiderantur copulatiuæ maxime, ubi celeritati studetur, ut Virgil. * Alij naualibus ite, Ferte citi ferrum, date uela, impellite remos. Teren. [Eun. act. 2. sc. 5.] Viderem, audirem, essem unà, qua cum cupiebam Antipho. Idem [And. act. 1. scen. 1.] Ad sepulcrum uenimus, in ignem posita est, fletur. Sed Eclipsim ubi copulatiuæ desunt, Asyndeton, uel Dyaliton uocant. Aliter quoque honestè inter duo commata, uel quasi dictiones desiderantur, ut in talibus: AEqui, boni consulere. Et Mart. [libro 12. de Sabello.] Excipere hos, illos, & tota surgere cœna. Idem: Atque inter mensas ire, redire suas. Plinius [libro 6. cap. 32.] At abunde orbe terrarum extra, intra indicato. Sic dicuntur ultro, citro: hinc, illinc: huc, illuc. Cicer. ad Attic. [lib. 9. epi. 11.] Ne forte aut absim cum ueniet, aut cursem huc illuc uia deterrima.

Copulatiuæ. In numeris uerò sæpißimè desunt copulatiuæ

uæ, ut, Vixit uiginti unum annos. Vbi non minus subijcienda copulatiua est, tametsi apposita ordo sit mutandus, ut suprà docuimus. Neq; enim compositio esse potest, cum plurali iungitur. Quod autem de uiginti uno diximus, idem de alijs similis formæ numeris dicendum.

In omni præterea distributione omitti copulatiua uidetur, uix apponi, ut Virg. [Eclog. 1.] At nos hinc alij sitientes ibimus Afros, Pars Scythiam, & rapidum Cretæ ueniemus Oaxem. Nisi discretiuas Quidem & Autem, subaudire mauis. Item in illa figura, qualis est Virg. [lib. 7.] Haud mora, festinant iußi. pro haud mora est, & festinant. Declarat, quod etiam in eadem figura adhibetur. Virgil. [lib. 2. Georg.] Nec longum tempus, & ingens Exijt ad cœlum ramis felicibus arbos.

Deest aliquando post Non modo, uel Non solum, in altera Antidiastrephontos parte, Etiam, uel Et, ut Quintil. [libro 1. capite 5.] Quo quidem seuerè usi ueteres Grammatici, ut non uersus modò censoria quadam uirgula notare, & libros, qui falsò uiderentur inscripti, tanquam subdititios submouere familia permiserint sibi, sed autores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Et mox: Non propter historicos modo, sed uerba, quæ frequenter ius ab autoribus sumunt. In illo enim Etiam uel Et.

 Cicero=

Ciceronis ad Attic. [lib.16.epist.3.] Ne uiuam mi Attice, si mihi non modò Tusculanum, sed μάκαρων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim totos dies. uidetur uel illud Modò, uacare uel post Sed subaudiri Ne. Deest & totũ Antidiastrophon, idq; honestißima figura, ut in illo Colum. [li.6. cap.4.] Neq; hæc tantum remedia salubritatem faciunt, multi largo sale miscent pabula.

Discretiuæ. Sæpe discretiuæ, ut Teren. [Eun.act.3.scen. 5.] Traditus sum mulieri, illa illico ubi me accepit. pro illa uerò. Sed præcipua cum gratia omittuntur in ea figura, in qua idem uerbum repetitur, sed tamen cum aliqua contrarietate, ut Cicer. [Philip.2.] Tu cum principem senatorem auunculum domi habeas, ad eum non refers: ad alios refers, qui suam domum non habent, tuam exhauriunt? Quintil. [Declam.17.] Pro patre mori possum, coram patre non possum. In utroq; exemplo desideratur autem, uel uerò. Sed aptius certe quàm apponitur, etiam ubi non repetitur idem uerbum, ut post negatiuam, non. Cic. [de Senec.] Tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur uires, non opprimantur. Idem: Hæc morum uitia sunt, non senectutis. Sæpe etiam in excursu poëtico, quem Seruius præcipit non ultra treis uersus extendendum. Virg. [lib.2.Aene.] Confligunt Zephyrúsq; Notus, & lætus Eois Eurus equis, stri=

ſtridunt ſiluæ, ſæuitq; tridenti, Spumeus atque imo Nereus ciet æquora fundo. pro ſtridunt autem. Et in Georg. [lib.1.] Omnia uentorum concurrere prælia uidi, Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis Sublime expulſam eruerent, ita turbine nigro Ferret hyems, culmúmq; leuem ſtipuláſq; uolantes. pro ita uerò.

Ex diſiunctiuis quoq; modò Seu uel Siue, ut Mart. [lib.8. ad Titullum.] Tuóq; triſtis filius, uelis nolis, cum concubino nocte dormiet tota. Seneca de ſtud. lib. Scias neſcias, fient. Modò uel, aut ue. Plin. [li.16. cap.6.] Continentur hiſpido calice per genera plus minus. Quod Martialis declarat [lib.8. in Poſthumum.] cum ait: Speranti plures, nam ſtare aut creſcere debent Munera, uenerunt plúſue minúſue duæ. Significatur autem circiter duæ. Diſiunctiuæ.

Sed diſiunctiua Vel aliter deſideratur, ut Cicero [pro Milone.] Quando enim frequentiſſimo ſenatu quatuor, ad ſummum quinque ſunt inuenti, qui Milonis cauſſam non probarent. Deeſt enim, Vel, ſiue Aut. Vel.

Deſunt orationis contextui & cauſſales diuerſorum generum, Enim, uel alia ſimilis ſignificationis, ut in illo Terent. [And. act.1. ſcen.1.] autore Donato: Obſeruabam manè illorum ſeruulos uenientes aut abeuntes. pro obſeruabam enim. Et in Adelph. [act.1. ſc.2.] Hæc cum Cauſales.

 illi

illi Mitio dico, tibi dico: Tu illum corrumpi sinis. Vbi deesse Nam, inquit Donatus, ac feruentius Asyndetos dici. Virgil. [lib. 1. Geor.] Nunquã imprudentibus imber Obfuit, aut illum surgentem uallibus imis Aëriæ fugêre grues, pro aut enim illum. Idem: [Eod. libro.] At si uirgineum suffuderit ore ruborẽ, Ventus erit, uento semper rubet aurea Phœbe. pro uento enim.

Vt. Vt, finalis uel perfectiua, ante subiunctiua uerba frequẽtißimè, præcipuè post uerba, Volo, nolo, malo, precor, rogo, cum similibus, ut Cic. [lib. 1. epist. ult. fam.] Tu uelim desinas iam literis nostris uti. Idem [lib. 9. epist. 14. famil.] Nolim me iocari putes. M. Brutus: Rescribas ad omnia rogamus. Præterea post Oportet, & Necesse est, & Licet, ut Cicer. [libro 2. epist. 13. fam.] Hominem occidat oportet, qui &c. Idem [lib. 2. epist. 14.] Hoc tu meum consilium laudes, necesse est.

Ne. Etiam Ne finalis, nescio an post aliud uerbum, quàm Caueo, ut Caue credas, Caue titubes. Licétq; uel per defectum horum, uel plenè pro arbitrio loqui, nisi forte cum uerbo Licet, post quod perpetuò uidetur Vt desiderari. Licet facias, licet uenias.

Quod idicôn. Quod quoq; Idicôn, ut Volo scribas. Velim nos facias certiores, pro qđ scribas, quod facias.

Hanc uerò post uerba, quæ infinitum ferun-

tu',

runtur, quoties infiniti solutionem per finitum uerbum potius usurpare libet, supprimit ferè doctorum usus. Cic. ad Q. fratrem [lib.2.epist. 7.] Non prætermittam ne illud quidem, M. Furium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Capitolini et Mercuriales de collegio eiecerunt, pro quod eiecerunt. Teren. [And. act.1. sc.4.] Audiui Archillis iamdudum Lesbiam adduci iubes. Idem [Eun. act.2. sc.2.] Næ tu istas faxo calcibus sæpe insultabis frustra. Supplendum enim, ut sit, quod iubes, quod insultabis. Idem [Eu. act.4. sc.1.] Hoc signi est, ubi primum poterit, se illinc subducet scio. Vbi Donati sententia deest Quod & Vnde, ut sit, hoc est signi, unde scio, quod ubi primum poterit, se illinc subducet. Mihi uerò minus durum uidetur, si uel uerbũ Scio, per Parenthesin legatur, uel Quod bis subaudiatur, quàm illud Vnde subijci, quod alibi subintellectum non legi. Adhibetur tamen sæpissimè eadem coniunctio, ut Mart. [lib.11. in Faustum.] Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi. Horat. [lib. 2. epist. 2.] Si tibi nulla sitim leuaret copia lymphæ, Narrares medicis, quod quanto plura parasti, Tanto plura cupis. Seneca in natur. quæstio. [libro 3.] Miramur quod accessionem fluminum maria non sentiant: æque mirandum est, quod detrimentum exeuntium terra non sentit. Et alibi [libro 2.] Nos putamus.

mus, quod quia nubes collisæ sunt, ideo fulmina emittunt. Plin. ad Seruianum [lib.6.epist.26.] Gaudeo & gratulor, quod Fusco Salinatori filiam tuam destinasti. Cicer. in Sal. Credo quod non omnes tui similes incolumes in urbem uenissent. Hunc huius particulæ usum quidam interpretes nimium refugientes, non solum insipidè, sed etiam mea sententia citra ullum autorē pro ὅτι Græco, alij Vt, alij Quoniam, alij Quia, non rarò posuere. Est tamen elocutio per Quod, ut Theodorus censet, magis supina, per infinitum

Quod, Vt, uel Ne. magis erecta & uegeta. Item Quod, uel Vt, uel Ne, post uerba censeo, suadeo, nuncio, dico, caueo, facio. Cicer. [li.7.epist.13.fam.] Treuiros uites censeo. Idem [lib. 7.epi. 7. fam.] Id si est, essedum aliquod suadeo capias. Cn. Plan. [lib. 10.epist.21.] In quibus apertè denuntiar, uideam ne fallar. Idem [lib.16. epist.11. fam.] Caue festines, aut committas, ut aut æger, aut hyeme nauiges. Idem [lib.6.epist.14.fam.] Tu fac habeas fortem animum.

Vt uel Quod. Desideratur coniunctionum Vt, uel Quod, alterutra, post uerba Puto, opinor, credo, arbitror, fateor, & similia. Vatinius [apud Cic. lib.5.epist.9.fam.] Non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepisti. Cicer. [lib. 3. Tus.] Niobe fingitur lapidea, propter æternum credo in luctu silentium. Tere. [Heau.act. 2.scen.

2.sc.3.] Eius anuis caussa opinor quæ erat mortua. In quibus exemplis, uel per Quod, supplere quod deest licet: ut, Puto quod non repudiabis in honore. & Credo quod propter æternum in luctu silentium. uel per Vt, sic: Propter æternum ut credo silentium, & non repudiabis ut puto in honore.

Omittitur in oratione nonnunquam & continuatiua Si, ut in illis: [Plin. Cæc. lib. 1. epist. 12.] Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat. Iuuen. [Sat. 3.] Græculus esuriens in cœlum iusseris, ibit. pro si dedisses, si iussero. Potest tamen in his & illud Dedisses, accipi pro debueras dare: & Iusseris, imperatiue. In illo tamen Martialis [li. 8. ad Flac.] cum similibus, omnino subauditur Si: Ergo ero Virgilius si munera Mecœnatis Des mihi: Virgilius non ero, Marsus ero. Est enim sensus: Si non ero Virgilius, ero Marsus. Teren. [Eunu. act. 2. sc. 2.] Negat quis, nego. Idem [Hecy. act. 4. sc. 2.] Quàm fortunatus cæteris rebus sum, absq; una hæc foret. pro si negat: si absq; foret, id est, si abesset. Hor. [li. 1. Sat. 3.] Decies centena dedisses Huic parco paucis contento, quinq; diebus Nil erat in loculis. Virg. [li. 6.] Tu quoq; magnam Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes. pro si dedisses, si sineret. Si.

Præterea Si non, uel Si aliter, ut in tali figu-

ra di-

Si non, uel si aliter. ra dicendi, qualis est Quintiliani: [lib. 1. cap. 20.] Quis non obtundi poßit, si per totum diem cuiuscunque artis unum magistrum ferat? mutatione recreabitur. Sicut in cibis, quorũ diuersitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi. pro aut si ita non est, dicant isti mihi. Est hæc ratio Græcis frequens.

Illatiuæ. Desunt identidem & illatiuæ, ut Virg. [lib. 2. Aene.] Ceßi, & sublato montem genitore petiui. pro igitur ceßi, autore Seruio. Et Ouid. [lib. 4. Meta.] Hunc quoq; syderea qui temperat omnia luce Cepit amor solem, Solis referamus amores. Hians enim oratio est, nisi Quare, uel aliquid simile subijcias, ut sit, quare referamus. Et Teren. [And. act. 4. sc. 1.] Hac non succeßit, alia aggrediamur uia. pro ergo alia, uel quare alia. Et in illo Horatij [lib. 1. Od. 2.] Audiet ciues acuisse ferrum. Porphyrio subaudit, itaq;. Rursus in eo quod statim sequitur: Quem uocet diuûm populus ruẽtis imperij rebus. Sub audit, ergo: additq; ferè hunc morem Horatium habere transeundi sine coniunctionibus.

Aduersatiuæ. Aduersatiuæ quoq; deesse interdũ uidentur, ut cum sine his legitur, Tamẽ. Cic. pro Archia: Qui sedulitatem mali Poëtæ duxerit aliquo tamen præmio dignã. Idẽ pro Milone: Qui nondum libera ciuitate, tamen populi Ro. comitijs li

beratus

beratus est. Integra enim sunt: quamuis mali, & quamuis nondum. Idem ad Attic. [lib. 7. epist. 16.] Cæsarem quidem Lucio Cæsare cum mandatis de pace misso, tamen aiunt acerrimè delectum habere.

Quàm Electiua.

Quam quoq; electiua post Plus, minus, & amplius, & in summa comparatiua. Varro de re Rust. [li. 2. cap. 5.] Non minores oportet iniri, bimas, ut trimæ pariant. Idem [lib. 2. capite 7.] Videndúmne sint minores trimæ, maiores decem annorum. Teren. [Eun. act. 1. sc. 2.] Quintiliano autore: Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis. Idem [Eun. act. 3. sc. 1.] Plus millies audiui. Quamuis Donatus in priori Pleonasmon potius uelit. Item Plinius X. [cap. 53.] Plus uicena quina oua incubanda subijci uetant. Idem V. [cap. 28.] Torrentes uerò amplius centum. Liui. [lib. 3. dec. 3.] Hostium plus mille cæsi, &c. Romanorum minus mille interemti.

Quàm, cum adiuncto aliquo.

Mihi uerò hæc ipsa coniunctio cum adiuncto aliquo pro conditione materiæ, desiderari sæpe uidetur, ueluti post comparatiua, ut alibi dictum est, quoties absolute proferuntur, ut: [Teren. And. act. 1. sc. 1.] Liberius uiuendi fuit potestas. Simul enim audio, quàm ante. Itidem in illo: [Eunuch. act. 2. sc. 3.] Si qua est habitior paulò, pugilem esse aiunt. uel quàm aliæ, uel quid simile. Simile aliquid desiderari uidetur,

& cum illa similitudinis aduerbia, Tam, ita, perinde, adeò, post negatiuam particulam absolute ponuntur, ut in talibus: Non perinde gratus, non adeò multa, non ita serò, non tam pridem. Terent. [in Prolo. And.] Non ita dißimili sunt argumento. Cicer. [Phil. 1.] Nec ita multo post edictum Bruti, affertur & Caßij. Plinius [lib. 18. cap. 35.] A pluuijs serenitatem non perinde certam. Virg. [Eclog. 2.] Nec sum adeò informis, nuper me in littore uidi. Idem [libro 1. Aeneid.] Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni, Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab urbe. Quintil. [lib. 1. cap. 20.] Videlicet ut corpora infantium, nec casus quo in terram toties deferuntur, tam grauiter affligit, nec illa per manus & genua reptatio. Non ignoro hæc per Valde nonnullos interpretari solere, sed tamen tali quapiam, quali dixi ratione, huc uenerint.

An. Iam An dubitatiua nonnunquam deesse in oratione uidetur. Aliâs semel, ut cum in priori sensu nec ipsa, nec eius synonymos Ne adhibetur, ut: Studes an scribis? Studes an non, uel necne? Cic. in partitionibus: Rursus superioris generis sunt tria, sit necne sit, quid sit, quale sit. pro an sit, an non sit. Liui. [li. 1.] Hic Lucius Tarquinius Prisci Tarquinij regis filius, nepos ne fuerit, parum liquet. pro filiúsne, nepósne fuerit.

fuerit. Aliàs bis. Cicer. de natur. deorum [lib. 1.] Nec uerò Protagoras, qui se negat omnino de dijs quid* liqueat scire, sint, non sint, qualésue sint, quicquam uidetur de natura deorum suspicari. Terent. [Heaut. act. 4. scen. 1.] Quid cum illis agas, qui neq; ius, neq; æquum, neque bonum sciunt, melius, peius, prosit, obsit, nihil uident? Horat. [lib. 2. sat. 3.] Ludere par impar, equitare in arundine longa. Idem [lib. 2. Od. 3.] Serius ocyus.

APOSIOPESIS.

RESTAT huius generis altera pars, in qua nimirum quod sermonis integritati deest, aliunde quoq; petendum sit. Cæterum non tam quia certum est, uel quòd ipsa consuetudine sub audiri solet, quàm quod planè uel affectu aliquo, uel transitus caussa ad aliud, quod magis urget, prætermissum est. Et affectu quidem multis modis. Nam & ira, ut in illo Virgilij [lib. 1. Aeneid.] Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. Et pudore. Virg. [Eclog. 3.] Nouimus & qui te transuersa tuentibus hirquis. Et timore, uel religione. Cicer. [pro Milone.] De nostrum enim omnium, non audeo totum dicere. Idem:* Data lupercalibus: quo die Antonius Cæsari. Transitus ad aliud gratia, ut in illo quod Quintilianus affert [lib. 9. cap. 2.] Communis

autem, tametsi ignoscite mihi iudices. Donatus aliter distinguit, & trifariam: Cum per seipsum tacet quis, & ad aliud transit: quam uocat primam. Terent. [Adelph. act. 1. scen. 2.] Ecce autem de integro, nisi quicquid est, uolo scire. Virgilius [lib. 2. Aen.] Nec requieuit enim, donec Calchante ministro. Sed quid ego hæc autem? Vel tacet, nec ultra aliquid loquitur. Terentius Adelph. [act. 1. sc. 2.] Iam si uerbum ullum posthac. Vel alterius interuentu personæ tacet. Idem in Heauton. [act. 2. sc. 3.] Ita res est hæc nunc, quasi cum. Interpellat enim Clitipho: Quas (malum) ambages mihi narrare occipit? Idem Phormione [actus 5. scen. 8.] Demiphonem si domi est, uisam, ut quod. Demipho: Nos ad te ibamus Phormio. Phor. De eadem hac fortasse caussa. Nec ignoro, Quintilianum [libro 9. cap. 3.] ex his pleraque, in quibus scilicet ex alijs certum est quod omittitur, ad figuram quam ille sub Synecdoche comprehendit, nos Eclipsim uocamus, referre. Ad Aposiopesin uerò ea duntaxat, in quibus uel id incertum est, qualia maximè sunt quæ per iram reticentur, utique dum iratis ipsis non satis liquet, quibus uerbis explicent quæ minantur, uel certe id longiore sermone est explicandum, atque idcirco potiore aliqua re instante, omissum. Nobis Aposiopeseos appellatione latius uti cum Grammaticis,

ticis, Quintiliani pace libuit: Cui tamen eius sententia placebit, uidet arbitror quid sequatur.

A COMMVNI.

SEquitur detractionis genus, quod in pluribus eiusmodi clausulis cõsistit, inter quas aliquid commune, quod tamen in unica positum, in reliquis est subaudiendum. Itaq; Græcis generali nomine ἀπὸ κοινοῦ dicitur, quo etiam nomine Porphirio & Priscianus aliquando sunt usi. Hoc genus in tres species à Grammaticis diducitur, Zeugma, Syllepsin, & de qua post agetur, Prolepsin. Quintilianus priora duo uno genere comprehendit, quod Synezeugmenon uocat, atque ita finit, ut sit figura, in qua unum ad uerbum plures sententiæ referuntur, quarum unaquæq; desideraret illud, si sola poneretur. Sed Grammatici distinguunt ac seorsum definiunt. Donatus ad hunc modum: Zeugma est unius uerbi conclusio, diuersis clausulis apté coniuncta: ut, [Virg. lib. 3. Ae.] Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarij, lauros, qui sydera sentis, Et uolucrũ pennas & præpetis omina pennæ.

Synezeugmenon.

Definito Donati.

Rursus Syllepsis est diuersarum clausularum per unum uerbum conglutinata conceptio: ut, [Virg. lib. 1. Aeneid.] Hîc illius arma, hîc currus fuit. Et subdit: Hoc schema laté patet, & fieri solet non solum per partes orationis, sed etiam

Syllepsis.

Definitio Diomedis. iam per accidentia partium. Diomedes sic: Zeugma est unius uerbi conclusio, diuersis clausulis coniuncta, cum duo aut complura ad unam partem orationis iungenda referuntur. Rursus: Syllepsis est dissimilium clausularum per unum uerbum conglutinata cōceptio, cum singularis dictio plurali uerbo, uel posteriori tantum, uel ultimo redditur, ut, Hîc illius arma, hîc currus fuit. Sed cum multò latius pateant harum figurarum uocabula, quàm pro iam dictarũ finitionum angustia sicut Donatus ipse dicit, & tum ipse, tum Seruius, & Porphirio, in Terentij, Virgilij, & Horatij enarrationib. subinde confirmant, nos alias, quæ nominibus suis magis sint pares, nec tamen à sententia ueterum alienæ, adaptare tentemus. Esto igitur Zeugma, quoties in similibus clausulis commune aliquid in una positum, in alijs non mutatum desideratur. Syllepsis, cum in dissimilibus eiusmodi commune in una positum, in cæteris satisfacere non potest nisi mutatum. De his, quoniam frequentissimus eorum est usus, & magnam compendij gratiam sermoni afferunt, non ab re mihi uidetur diffusius, non ut Grammatici (quod sciam) hactenus fecerunt strictim, disserendum, præsertim qui singulas constructionis figuras, singula sermonis ornamenta, quæ saltem Grammaticus conferre queat, existimem.

Zeugma qd.

Syllepsis qd.

Fit

Fit igitur Zeugma, siue id inspicias quod detrahitur, siue locũ unde detrahitur, siue ea quæ clausulas coniungunt, multis sanè modis. Quippe quod detrahitur, in uniuersum triplex est. Aut enim ipsum est uerbum, aut aliquid quod uerbum præcedit, aut aliquid quod ipsum sequitur. Et uerbum quidem ipsum, sic: Non locus uirum, sed uir locum honestat. Variatio Zeugmatis multiplex.

Quod uerbum præcedit, quadrupliciter. Modò unica dictio, ut Probus non solum præsentes amicos colit, sed etiã absentes amicos obseruat. Supplendum enim iterum, Probus. Modò plures. Qui uir probus uideri uolet, præsentes amicos colet, & absentes amicos tuebitur. Vbi totum illud, Qui uir probus uideri uolet, subdendum in secundo sensu est. Modò totum, quod uerbum præcedit cum ipso uerbo. Qui uir probus uideri uolet, tuebitur amicos absentes, nedũ amicos præsentes. Petendum est enim à priori sensu totum illud, Qui uir probus uideri uolet, tuebitur. Etiam cum aliqua parte eius, quod uerbum sequitur, ut si è proximo exemplo, Amicos, semel demseris, sic: Tuebitur amicos absentes, nedum præsentes.

Aliquid quod uerbum sequitur, itidem quadrupliciter. Modò unica dictio, sic: Vt probus absentes amicos tuetur, ita improbus absentes destituit. Modò plures dictiones, hoc modo: Vt

probus absentes amicos sua opera tuetur, ita improbus destituit. Modò totũ quod sequitur cum ipso uerbo, ad hunc modum: Vt uir ingratus beneficio est indignus, ita et qui facilè obliuiscitur. Etiam cum aliqua parte eius, quod uerbum præcedit: Non solum Mutius hosti metum incussurus, manum rogo intulit, sed etiam Agesilaus.

A loco.

Variatur Zeugma & à loco, ubi cõmune illud quod alibi subauditur, est positum. Nam id uel in priore aliqua clausula ponitur, uocatúrque Prozeugma, ut: [Cic. pro Cluent.] Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Vel in postrema, dicitúrq; Hypozeugma, ut Ouid. [li.1. Fast.] Non Venus & uinum sublimia pectora fregit. Teren. [Adel. act.1. sc.1.] Hoc pater ac dominus interest. Vel in media, cum Mesozeugma uocant, ut in illo suprà posito: [Virg. lib.3. Aen.] Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarij, lauros, qui sydera sentis, Et uolucrum pennas, & præpetis omina pennæ.

Prozeugma.

Hypozeugma.

Mesozeugma

A particulis, quæ clausulas committunt.

Tertiam uarietatem accipit à particulis, quæ clausulas committunt. Hæ tribus quatuórue summum partibus continentur, Nomine, aduerbio, coniunctione, & aliquãdo participio. Sunt igitur in nomine quæ Zeugma faciunt, ea quæ relatiua dicuntur, tum Substantiæ, ut Virgilius est, qui enarratur. Integrum enim est, qui Virgilius

us enarratur. Tum Qualitatis, ut Niger homo est, qualis AEthiops. Tum Magnitudinis. Magni nominis erat, quanti quisquam. Magnas copias secum duxit, quantas Xerxes. Magnum pascit gregem, quantum Anglorum quiuis. Tum Numeri, ut: Centum uel multas exædificauit naues, quot non alius.

Et Redditiua simili genere. Talis est hic, qualis ille. Tantum habet agri, quantum ciuis quisquam. Tot tenet uersus, quot audit.

Et Vniuersalia infinita: Quicunque uult esse continens, potest. In aduerbio uerò, dictorum iam nominum aduerbia, ut: Facit apté, qualiter semper. Studet impense, quantopere nullus. Pugnauit singulari certamine, quoties nemo alius. Et per Relatiua: Diu fuit absens, quamdiu præsens. Venit hora tertia, quando etiam præceptor. Pergit ad urbem, quo tuus pater. Transiuit Roma, qua noster hospes. Redijt Londino, unde noster Morus. Studuit Patauij, ubi Latimerus. Tum Collationis aduerbia & Similitudinis: Sic uel ita tibi inuidit, ut mihi.

Tum paritatis: [Publius Syrus] Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. [Virgil. li. 1. Geor.] Tam sunt Arcturi sydera nobis, Hœdorúmque dies seruandi, & lucidus anguis, Quàm quibus in patriam uentosa per æquora uectis, Pontus & ostriferi fauces tentantur Aby

 di.

di. Accipiendum enim à priori, Sunt seruandi.

Item congregandi, siue negatæ solitudinis aduerbia: Non solum nobis nati sumus, sed etiam amicis, & patriæ.

In coniunctione, tum Copulatiuæ: Socrates iudicatus est sapiens, & Aristides iustus. Sol auget uentos, & comprimit. [Plin. li. 8. cap. 34.] Mutat colores Scytharum Tarandus, nec aliud ex ijs, quæ pilo integuntur.*

Tum Disiunctiuæ: Vel quod certò scis, uel nihil est loquendum. [Virg. Eclog. 1.] Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim. In hoc genere, ubi scilicet duplex est coniunctio, uel particula quæ similiter duos sensus nectit, monet Laurentius, si præcedat coniunctiones, quod cum aliquo sequentium est cõstruendum, obsequi illi debere clausulas quæ sequantur. Non enim recte dici: Tu ne faceres, nec ego te permitterem. Dicendum namq; uel translata in priorem locum cõiunctione, sic: Nec tu faceres, nec ego te permitterem. Vel mutato secundo uerbo, sic: Tu nec faceres, nec à me permittereris. Rursus uitiosum esse: Potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim docebit te ipse tabellarius. Dicendum enim uel sic: Partim potes cognoscere ex aliorum sermone, partim docebit te ipse tabellarius. Vel sic: Potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim ex tabellario.

lario.

lario. Accipiantur enim hoc loco, Partim, unà, pariter, simul, quasi cōiunctiones sint, cum ipsa quoq; priori loco posita clausulas geminent, sicut copulatiuæ & disiunctiuæ. Sed nec diuersæ cōstructionis uerba, cum talis, qualem diximus, particula coniunctionem præcesßit, coniungenda esse, idem Laurentius est autor. Non enim satis Latinum esse: Ille mihi nec nocuit unquā, nec adiuuit. Sed dicendum esse aut sic: Ille mihi nec nocuit unquam, nec profuit. Aut sic: Ille nec nocuit mihi unquam, nec me adiuuit. Aliâsq; diuersæ constructionis uerba uni casui subiecisse parum tersæ Latinitatis uidetur, nec studio sequendum, quod genus est illud Ouidij [li.1. Metam.] Nescia gratentur, consolentúrue parentem. Cæterum si quid apud magnos autores contra Laurentij præceptum legitur, esto Syllepsis, sicut illud Quint. [lib.5. cap.10.] Et quas res, quosq; homines, quibus rebus aut hominibus, uel conciliasset, uel alienasset ipsa natura. Et illud Tere. [Adelph. act.1. scen.2.] Quem neq; pudet quicquam, nec metuit quenquam, nec legem se putat tenere ullam. De quo alio loco plenius. Præterea Discretiuæ, ut: [Tere. Adelph. act.1. sc.1.] Is adeò ex me natus nō est, sed ex fratre. &, Athenienses Peloponnesiacum bellum gesserunt, Thucydides autem conscripsit.

Item Rationis redditiua: Credibile est illum

fecisse, nam frater non negat: uel quippe, uel etenim frater non negat.

Et Subcontinuatiuæ: Quoniam hæc domus tibi non placet, altera tibi quærenda est.

Et Continuatiuæ: Si alium succurrere prohibetis, saltem hunc ne prohibete. Si tibi fui iniurius, qua quæso in re? & [Terent. And. act. 4. scen. 2.] Hanc mihi nisi mors adimet nemo. pro nemo adimet. Nam si Adimat subaudias, Syllepsis erit.

Et Perfectiuæ, ut: Adijsti me, non ut salutares, sed ut tentares.

Et Illatiuæ: Vnicus es patri, igitur hæres.

Et Aduersatiuæ: Etsi patri tuo multum debeo, non tamen & tibi.

Præterea Quàm, Electiua: Est magis amicus tibi, quàm mihi. Et per Synonyma Ac & atq;. Magis alienus uisus est à nobis, atq; à reliquis. Item, Aliud est esse ciuem, quàm aduenam. Præstat in egestate uiuere, quàm inhoneste.

Etiam Dubitatiuæ: Estne Melibœi hoc pecus, an tuum? In hoc genere sæpe alter sensuum desideratur totus, cum tamen coniunctio alterũ omnino exigat, ut quæ aliter coniunctionis munere fungi non poßit, ut: An uenit? uel uenítne? supplenda enim utrobique oratio est per An non. Sæpe non modò alter tantum sensus cum signo, sed etiam ipsius positi sensus dubitationis nota.

nota. Veluti in illis simplicibus interrogationibus, Ibimus? pro, an ibimus, an non? Qualis fortasse subauditio in illis non requiritur, ubi per interrogationem aliquid ueluti extorquemus, ut in illis [Terent. And. act. 5. sc. 4.] Túne impune hoc facies? & [Ibidem] Itáne paratus tandem aduenis? & [Idem And. act. 4. sc. 1.] Hoccine est credibile aut memorabile, tanta uecordia innata cuiquam ut siet?

Incidit Zeugma & ubi interponitur Ne dicam, ut: [Cicero pro Milone.] An sperasset hoc uiuo Milone, ne dicam consule. pro consule Milone. In quo genere notat Laurentius, ubi talis sermo per Nominatiuum figuratur, si proprium, appellatiuúmue praecedat, rectius subijci Accusatiuum, ut: Crudelis Castor, ne dicam sceleratum & impium. Secus autem si sequitur. Rectius enim dici, Crudelis, ne dicam sceleratus & impius Castor, quàm sceleratum & impium Castorem. Quae diuersitas in alijs casibus non accidit. Ne dicam.

Fit & aliâs subinde Zeugma in Epexegesi uerbi Dico, ut in illo Horat. [libro primo sat. 2.] Tutior at quanto merx est in classe secunda, Libertinarum dico. Repetendum enim ad absolutam structuram illud Classe, ut sit, dico classe Libertinarum. Dico.

Sylle-

SYLLEPSIS.

SYllepsis, ut suprà diximus, est, cum dißimilibus clausulis cõmune aliquid, quod in una ponitur, mutatum aliquatenus in alia desideratur. Fit hæc (ut sub Donato autore prædictum est) & per partes, & per accidentia partium. Et per hæc quidem, ubi quod subauditur, genere, persona, numero, casu, modo uel tempore, si adhibeatur, est mutandum. Per partes, modò cum earum significatio est uarianda, modò aliter, ut post dicetur. Prior ratio, id est, quæ per accidentia fit, per uerbum, adiectiuum nomen, præterea nomen, pronoménue relatiuum, aut participium fit, quæ particulæ in generis, saltem numeri & personæ syllepsi, tum singulariter communis locum sustinere, tum pluraliter possunt: & singulariter quidem positæ confirmari cum aliqua particula clausulæ, in qua adhibentur, omnino debent: pluraliter cum eorum quibus in omnibus clausulis respõdent, maxime digno. Sed prius ut singulariter communis locum sustinent, agamus. Fit igitur Syllepsis communi eo quod in clausulis est, singulari, & per genus, sicut in illo Terentij, ut Donatus confirmat: [And. act. 3. scen. 1.] Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. Cui simile est illud eiusdem: [Eunuch. act. 3. scen. 4.] Dati anuli, locus, tempus, constitutum. Et Virgilij [lib. 3. Georg.]

Georg. Tu quos ad studium atq; usum formabis agrestem. In hoc quoq; genere monet Laurentius, ut si commune præcedat, quæ subijciuntur in clausulis, præsertim duplici cõiunctione copulatis, tum appellatiua, tum propria omnino obsequantur. Non enim apud Ciceronem rectè legi: Optima sunt & mente & uiribus. Sed legendum esse, uel sic: Et mente optima sunt & uiribus. ut uidelicet commune illud apellatiuum sequatur. Vel sic: Optima sunt mente & uiribus. altera scilicet coniunctione detracta. Nec dicendum esse: Nulla uirgo est dicenda corrupta uel mente uel corpore: Sed uel mutato altero appellatiuo, ut sint similia, ad hunc modum: Nulla uirgo est dicenda corrupto uel animo uel corpore. Vel translato adiectiuo in medium uel postremum locum, qua ratione sub generali Syllepseos præcepto cadet, ut cum proximo appellatiuo consentiat, hoc pacto: Nulla uirgo est dicenda uel mente corrupta uel corpore. Vel sic: Nulla uirgo est dicenda uel mente uel corpore corrupto. Quare illud Gellij [lib.1.cap.7.] fortasse non probabitur: Inspecto libro nullam esse in eo uerbo nec mendam nec uitium. Sed hîc facile reijci culpa in librarium potest, scribentem mendam pro mendum, & nullam pro nullum.

Per personam uerò, & communi in clausulis singulariter positi, ut Cicer. ad Q. fratrem: [lib.

Syllepsis per personam

& commune singulare. [lib.2.ep.8.] Et penè ille timore, ego risu corrui. Idem de Som. Scipionis: Ego illum de suo regno, ille me de nostra Repu. percontatus est. In hoc genere, ubi collatio aliqua subest, licet uerbum posteriori loco adhibeatur, tamen cũ prioris clausulæ nominatiuo potius consentiet: ut, Tu melius ista quàm ego faceres: non facerem. &, Ego melius ista quàm tu facerem: non, faceres. Simili modo: Tu ita ut ego hæc fecisses. Ille perinde ut tu liber est. Cicer. ad Attic. [lib. 8. epist. 17.] Nunc cum hoc tempore nihilo magis ego quàm uos subsidio Domitio ire poßim. Similimodo ubi Nisi, clausulam subiungit, tametsi uerbũ posteriori loco ponitur, tamen cum priori nominatiuo potius in accidentibus concordabit. Terent. [Heaut. act. 5. scen. 3.] Talem nisi tu nulla pareret filium. Legitur tamen & aliter apud alios poëtas, sed figuratè. Virg. [Eclog. 8.] Nihil hîc nisi carmina desunt. Ouid. [lib. 2. de Remed.] Quid nisi secretæ læserunt Phyllida siluæ? Idem: [libro 1. trist. eleg. 2.] Dij maris & cœli (quid enim nisi uota supersunt) Soluere quassatæ parcite membra ratis. Fit personarum Syllepsis & per Cum, ut comitem significat, ut in proposita ratione, ubi scilicet communis particula singulariter adhibetur, ut in illo Ouidij: [libro primo fastor.] Tu quoque cum Druso præmia fratre feres. Et Hora. [in arte] Tu

Syllepsis per Cum.

Tu quid ego et populus mecum desideret, audi.

Per numeros & communi singulariter posito Syllepsis fit, ut in illo Virgilij [lib.1.] Hîc illius arma, hîc currus fuit. Item in illo eiusdem: [eod.lib.] Socijs & rege recepto. Syllepsis per numeros.

At cum plurale est id, quod in clausulis commune est, cum digniore in ipsis, ut dictum est, coaptabitur. Est porrò inter genera masculinū dignius fœminino & neutro. In personis prima præstantior quàm secunda & tertia, secunda uerò quam tertia. Ergo per genera in hac ratione sic fiunt Syllepses. Ouid. Fast. [lib.1.] Iane face æternos pacem, pacísq; ministros. Idem [li. 2. de art.] Mulciberis capti Mársq; Venúsq; dolis. Terent. [And. act.5. sc.3.] Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre. Cic. de Offic. [lib.1.] Propter summam & doctoris autoritatem & urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis. Virg. [lib.7.] Cæsósq; reportant, Almonem puerum fœdatíq; ora Galesi. Generum dignitas. Personarum dignitas.

Sunt qui fœmininum neutro præstare uolunt, quorum est Priscianus, illo nimirum Lucani [li. 1.] inductus: Hinc leges & plebiscita coactæ. Ego contrà, cum alibi semper neutro potius cedere fœmininum obseruem, illud & monadicôn & aliâs ad corruptelam lubricum, potius deprauatum censeo, cum diuersæ ratiõis exempla sint plurima, ut Salustius [de con. Cat.] Prætere-

rea

rea diuitiæ, decus, gloria, in oculis sita sunt. Idem: Genus, ætas, eloquentia, propè paria fuere. Suet. *Pulsis cultoribus obtinuere terras, in quibus urbs & templum dedicata sunt.* Nec est quod quisquam illud Lucani quasi Græcorũ imitatione dictum, defendat: apud quos sicubi talis locutio legitur, non nisi ubi sexus est discrimen, & per participium id fieri obseruatur, ut in illo Homeri [lib. 2. Iliad.] Αἱ δέ που ἡμέτεραι τ' ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα. Εἵατ' ἐνὶ μεγάροις ποτιδέγμεναι. quasi dicas: At ueſtræ uxores, & pignora nescia fraudis, Sub tectis resident expectantes. Et per Cum. Ouid. [lib. 4.] Fast. *Ilia cum Lauso de Numitore sati.*

Syllepsis per personas & commune plurale.

Per personas & commune plurale ad hunc modum. Cicer. [lib. 14. epi. 5.] *Si tu & Tullia lux nostra ualetis, ego & suauißimus Cicero ualemus.* Terent. [Adelph. act. 1. scen. 21.] *Hæc si neq; ego neq; tu fecimus, non siuit egestas facere nos.* Virg. [lib. 4. Aen.] *Spolia ampla refertis, Túq; puérq; tuus.* Horat. [in arte.] *Si modò ego & uos Scimus inurbanum lepido seponere dicto.* Et per Cum. Virg. [lib. 2.] *Diuellimur inde Iphitus & Pelias mecum.*

Per numeros quoque Syllepsin fieri sub hac ratione uolunt Grammatici, ut: [Virg. Eclog. 1.] *Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & preßi copia lactis.*

Ponitur enim hic in una clausularum, quod etiam mutato numero subaudiendum est in alijs. Volunt & in talibus Syllepsin esse, Cicero & Hortensius regnârunt in caußis: sed paulo diuersa ratione, cum id quo singula sunt supplenda, in nulla potest non mutatum poni. In illo nanque iusta est Syllepsis, Vixit annis uiginti uno, siue uno & uiginti dicas: cum sint potestate duo sensus, nec poßit utrique pluralis ille Annis, seruire.

Per Cum, Ouidius, Metam. [lib. 2.] Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat. Idem in primo: Littora cum plausu clamor superasq; deorum Impleuere domos.

Fit & per casus Syllepsis, maximè in his clausulis quæ per prouocabula & relatiua pronomina connectuntur, quoties scilicet quod per ea ad legitimos constructionis numeros repeti natura debet, in diuerso casu ab eo quo positum est, desideratur, ut: Arma uirumq; cano Troiæ qui primus ab oris. Nam si eodem, quo in altera clausula sunt posita, in altera desiderantur, Zeugma faciunt, non Syllepsin, ut Ouid. [lib. 1. de Pon. eleg. 4.] Hanc tibi naso tuus mittit Rufine salutem, Qui miser est, ulli si suus esse potest. Itaque tractari in Zeugmate magis postulabat: nos petita uenia hic de utraque simul ratione, quæ succurrent trademus, si pauca, quorum ad utranq; Syllepsis per casus.

G rationem

rationem nonnulla pertinent, de uarietate eius, quod repeti per suprà dictas particulas solet, apposuerimus. Repetitur ergo per has particulas modò proprium, ut in illo Ouidij modò posito exemplo, Hanc tibi &c. Modò appellatiuum, ut in illo: [Virgilius eclog. 2.] Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim. Modò pronomen, ut: Ille ego qui quondam gracili modulatus auena Carmen, & egressus syluis uicina coëgi. Modò aliquid loco nominis. Cicer. [lib. 1. de nat. deor.] Perdifficilis Brute, quod tu minime ignoras, & perobscura quæstio est, de natura deorum. Repetitur enim pro nomine sensus per difficilem esse quæstionem: sed hoc penè in aperto est positum. In illo enim Terent. [And. act. 1. scen. 1.] Et laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio præditum, id quod repetitur, planè inclusum in alio est. Repetendus enim cum prouocabulo est nominatiuus pronominis primæ personæ, in possessiuo, Meas, inclusus. Est ubi in nullo includitur, sed ex alijs ueluti certum habetur, ut in illo [Virgil. lib. 1. Aen.] Coràm quem quæritis, adsum. Et in illo Ouidij, sed paulò durius: [lib. 1. Metamorph.] Præside tuta deo nemorum secreta subibis, Nec de plebe deo, sed qui cœlestia magna Sceptra manu teneo. Vbi ut sit à quo relatiuum Qui, casum, genus, & numerum accipiat, subaudiendus ante id est ablatiuus,

ablatiuus, Me: ut sit, Me, qui. Est ubi quod per relatiuum repetitur, in alio tanquam genus in specie includitur, ut in illo Salust. [de bell. Iug.] cum similibus: Deinde Philenorum aræ, quem locum Aegyptum uersus finem imperij habuere Carthaginenses. Et Virgilij: [libro 1. Aeneid.] Arcúmque manu celerésque sagittas Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates. Idem: [lib. 11.] Interea socios inhumatáq; corpora terræ Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est. Huc arbitror parentheses illas referendas: Quæ tua est humanitas, Quæ tua est pietas, ut Cicer. Attic. [libro 14. epist. 10.] Quare quoniam hæc à me sic petis, ut (quæ tua potestas est) neges te me inuito usurum. Ouidius: [in epist. Penel.] Hæc quoq; dum stulte meditor (quæ uestra libido est) Esse peregrino captus amore potes. Quam figuram uariè interpretari posse Laurentius docet, ut: Qua pietate es, Cuius pietatis es. Et: Ea tua pietas est, uel eius pietatis es, uel ea pietate es. Aliquando quod extrinsecus petitur, uidetur omnino alienum, ut Cicer. ad Terentium [epistola prima.] Plancus me retinet, sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat, quem ego diem si uidero, & in amplexum uestrum uenero, &c. satis mihi magnum fructum uidebor percepisse & uestræ pietatis & meæ. Et Cornelius Nepos in Attici uita: Tanquillatis

autem rebus Romanis remigrauit Romam ut opinor, Lucio Cotta & L. Torquato Coss. quem diem sic uniuersa ciuitas Atheniensium prosecuta est, ut lachrymis desiderij futuri dolorem indicaret. Cicer. ad Attic. [lib. 12. epi. 1.] Quin etiam feci quod profectò ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer, quem librum ad te mittam, si descripserint librarij. Aliquando generali posito, speciale quod ei subijcitur, repetitum per relatiuum uideas, ut in illo Terent. in Phorm. [act. 1. scen. 2.] In quo hæc discebat ludo, exaduersum ei loco tonstrina erat. Est enim illud, Ei, demonstratiuum, cuius indicationem relatiuum circumloquitur. Simile huic uideri potest & illud Virgilij in VII. Arte noua speculata locum, quo littore pulcher Insidijs cursuq; feras agitabat Iulus. Et quod per relatiuum nomen repetitur, tot ferè modis uariatur.

Similis uariatio & per pronomen relatiuum fit. Nam & uocem quæ præcessit, aliâs sub eodem casu repetit, ut: Scribo Virgilium, & eundem audio. Aliâs sub diuerso. Cæsar: [de bello Gallic. lib. 1.] Extremum oppidum Allobrogum est, proximumq; Heluetiorum finibus Geneua, ex eo oppido pons ad Heluetios pertinet. Et utroque loco positum, ut in iam dicto exemplo, & in illo eiusdem: [eod. lib.] Diem dicunt, qua die ad Ripam Rhodani omnes conueniant. Is

dies erat ad quintum Calendas Aprilis. Et generalius aliquid quàm præceßit, cum quo in accidentibus conformetur, sibi subijcit, ut Cæsar: [Ibidem] Milia paßuum decemnouem, murum in altitudinem pedum sexdecim, fossamq; perducit. Eo opere perfecto præsidia disponit, castella communit. Plinius nat. hist. [lib. 8. cap. 34.] Nam Thoës luporum id genus est, procerius longitudine, breuitate crurum dißimile. Et Isodynamon aliquod in alio inclusum, ut in illo Cic. ad Att. [lib. 12. epist. 1.] Bruto suades ut rescribam, eas literas cras habebis. Quint. [lib. 1. cap. 2.] De pædagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi, planè quamprimam esse curam uelim, aut se non esse eruditos sciant. Non ignorandum autem id quod repetitur, si diuersa uox est ab ea, quæ in altera clausula præceßit, siue generale sit, siue speciale, omitti non posse: Sin eadem uox est, desiderari alterutro loco posse. In posteriori loco, ut in illo Virgilij: [lib. 1. Aeneid.] Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ: Quarum, quæ forma pulcerrima, Deiopeiam, pro quarum nympharum. Adeóque desiderari hoc loco solet, si priori adhibetur, ut Hieronymo uitiosum uideatur, si quis id apponat, & integram locutionem faciat, ut qui in Rufino id taxet. Cæterum adhibetur paßim apud probatißimos autorum. Apud Cæsarem certe frequentißimè

tißimè, ut in primo: [bell. Gallic.] Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent. Et ibidem: Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant. Idem: Vltra eum locum, quo in loco Germani consederant. Suetonius: [in Iulio] Desedit apud Nicomedem non sine rumore postratæ regi pudicitiæ, quem rumorem auxit &c. Plinius: [lib. 5. cap. 10.] Iuxta Mareotim lacum, qui lacus antea Arapotes nominabatur. Plinius de uiris illustribus, siue quisquis fuit autor: [In Numa Pomp.] Vbi post multos annos arcula cum libris à Terentio quodam exarata, qui libri, quia leues quasdam sacrorum caussas continebant, ex autoritate patrum cremati sunt.

In priori autem loco desideratur etiam honestè, si in secundo loco post relatiuum sit adhibitum. Quod oratores seruare Laurentius est autor, ut Quintilianus: * Vereor ne quos porrexerim cibos, uenena fiant. Et Terent. [Prol. And.] Populo ut placerent quas fecisset fabulas. Et: Posthac quas faciet de intergro comœdias. [Hecyr. act. 1. scen. 2.] Nocte illa prima uirginem non attigit. Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis. Iterum enim subaudiendus est ablatiuus, Nocte. Poëtæ tamen sæpe relatiuo id præponunt. Plaut. Curg. [act. 3. scen. 1.] Illum* quem

quem quæritis, ego sum. Idem Amphit. [act. 4. scen 1.] Nauticratem, quem conuenire uolui, in naue non erat. Antyptosin in his esse, sicuti Seruius censet, nimiæ uidetur licentiæ, & quod autoribus imputare sit durum, cum nec ulla nitatur ratione, & alioqui Donatus Syllepsin esse dicat, alia quidem ratione quàm adhuc sit dicta, utiq; generali, qua multa, de quibus nos alibi agemus, ad Syllepsin trahit, cæterum cum nostra non pugnante. Ait enim in illo Terent. [in prol. And.] Cum similibus: Populo ut placerent quas fecisset fabulas, quod nomen Fabulas, ad uerbum Fecisset, retulit, non ad uerbum, Placerent. Qua ratione & Hellenismon illum, [Eunuch. scen. ult.] Scin' me in quibus sim gaudijs? ad hanc reducit figuram.

Mihi uerò & illa Syllepsis uidentur, siue ea per casum, siue aliter fieri dicas, qualia sunt Terentij illud. [Adel. act. 1. scen. 2.] Quem neque pudet quicquam, nec metuit quenquam, nec legem se putat tenere ullam. Et Virgilij in VIII. Queis neq; mos, neque cultus erat, nec iungere tauros, Aut componere opes norant. Non enim potest relatiuum, quod clausulis est commune, singulis earum, nisi mutatum, quadrare.

Sicut Quintiliani illud per genera [lib. 1. capit. 4.] Illud ingeniorum prœcox genus non temere unquam uenit ad frugem, hi sunt qui parua

facile faciunt. Et illud Ciceronis ad Petum,*sed alia ratione: Ille uerò putabat te quæsiturum, an unum sit cœlum, an innumerabilia. Et illud Salustij, quod Seruius citat per numeros: Quia Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus positæ erant, prima &c. Item alio genere illud Virgilij, in quo copulantur duo uerba diuersi numeri sub uno nominatiuo, qui tamen conuenire utriq; uerbo non potest: [lib.1. Aeneid.] Troias relliquias Danaum, atque immitis Achilli Arcebat longè Latio, multosq́; per annos Errabant. Non enim potest prioris uerbi nominatiuus, Iuno, qui à superioribus petitur, secundo uerbo, cui nominatiuus desit, satis facere, sed petendum extrinsecus est nominatiuus, illi.

In superioribus tamen exemplis Terentij & Virgilij: Quem neq; pudet quicquam, &: Queis neq; mos neq; cultus erat, quatenus obseruationi Vallæ de uerborum in talibus primæ dictioni obsequela aduersantur, Anacoluthon esse dixeris. De qua figura, quoniam affinis quadantenus est his quæ diximus, pauca in fine dicemus.

Per Aduerbium imaginis. Per modos fit Syllepsis. Aliâs cum inter clausulas intercedit imaginis aduerbium. Incedis ueluti rex, uel quasi rex. Fremis quasi leo. Subaudiendum enim in altera, ut sit plena constructio uel idem uerbum in potentiali modo, sic: Incedis quasi rex incedat, incederetúe. Vel certè uerbum

bum subsistendi in subiũctiuo & imperfecto tempore: Incedis ueluti esses rex. Fremis quasi esses leo. Hac uero posteriore ratione innuitur per aduerbium imago, potius quàm priore. Cæterum Eclipsis potius est quàm Syllepsis.

Aliàs ubi Ut apostaticôn interponitur. Horat. [lib.1. Saty.3.] At est bonus, ut melior uir. Non alius quisquam. Terent. [And.act. 1.sc.1.] Et uultu Sosia adeò modesto, adeò uenusto, ut nihil suprà. Supplendus enim utrobiq; defectus est per diuersum modum. Per Ut apostaticôn.

Item per Ut similitudinis. Horat. [li.1.sa. 1.] Præterea ne sic ut qui iocularia ridens Percurram. Assumendum enim autore Porphyrione cum Percurram, etiam percurrit, qua ratione fit Syllepsis. Fit eodem loco & Zeugma nomine iocularia, bis accepto, ut idem est autor. Per Ut similitudinis.

Item per copulatiuam coniunctionem, ut: Et studes, & hortor ne desistas. Item: Nec tu faceres, nec ego te permitterem. Subaudienda enim infinita studere, & facere, ut iusta sit cõstructio. Per copulatiuam coniunctionem.

Et per Saltem, ut in illo Terent. [And. act.3. scen.2.] Itáne tandem idoneus tibi uideor, quem tam apertè fallere incipias dolis? Saltem accurate, ut metui uidear. Ubi inquit Donatus Saltem accurate, Zeugma à superiore, fallere incipias, aut certe Syllepsis, fallere inciperes. Per Saltem.

Similis Syllepsis & per prouocabulum fit, ut: Per prouocabulum.

ut: Video quos uolebam. Subauditur enim infinitum uidere, quod ferè accidit, ubi secunda clausula deponitur in uerbum desiderandi, opinandi, uel noscendi. Ditior est quàm opinabar, Prudentior est quàm intelligebam. Subaudiendum enim utrobiq; Esse.

Per tempora. Per tempora, ut: Cum antè te uirum ostendisti, tum hic uel maximè. Addendum enim ad sensus absolutionem, Ostendis. Et: Longe doctior est quàm olim. Subaudiendum enim est Erat. Quoties enim in clausulis ponuntur aduerbia diuersi temporis, necesse est uerbum uariari. Olim erat doctior, quàm nunc.

Sunt (non ignoro) & aliæ huius per tempora & modos Syllepseos rationes, sed quas non difficulter (ut spero) per se percipiet, quisquis has perlegerit.

Syllepsis per partes. Per partes uero ipsas uariè fit hæc figura. Alibi enim aliquid detractum cernas, quod sit uoce tantum, non etiam significatione commune, ut in illo Ouid. de Trist. [lib. 1. eleg. 2.] Non peto, quas quondam petij studiosus Athenas, Oppida non Asiæ, non mihi uisa prius: Non ut Alexandri claram delatus in urbem, Delitias uideam Nile iocose tuas. In prioribus enim uerbum Peto, pro adeo accipitur: in posteriore pro Postulo. Et Iustini: [lib. 11.] Prouolutæ deinde genibus Alexandri, non mortem, sed ut Darij

corpus

corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur. Et eiusdem [lib. 3.] Ita egregius adolescens & cædem patris, & necem fratris, & se ab insidijs Artabani uindicauit. In priori exemplo uerbum Deprecor, alibi pro precor, alibi pro precando aduersor: in posteriori uerbum Vindico, priori loco pro Vlciscor, post pro Libero accipitur. Alibi tum uoce, tum significato diuersum est subaudiendum, cum id quod in altera est clausularum, aptari alteri omnino non poßit, ut in illo Virgilij in VII. Ipse Quirinali lituo, paruáq; sedebat Succinctus trabea. Non enim lituo succinctus, commode dixeris, nec lituo erat, ut Gel. [li. 5. ca. 8.] Non satis grammatice supplet. Sed nec promtum est, quo locũ suppleas, nisi casum mutes, uel insignis subaudias, quod Virgil. alibi posuit: [lib. 6. Aen.] Et lituo pugnas insignis obibat & hasta. Et in XII. Disce puer uirtutem ex me, uerúmq; laborem, Fortunam ex alijs. Vbi Opta subaudit Seruius, num enim discitur fortuna: ait tamen esse Zeugma non integrũ. Zeugma quidem (ut ego existimo) quod diuersitas accidẽtium in clausulis non uisitur: Non integrum uero quod unicum uerbum duobus respondere non potest, quæ generalis quædam Syllepseos est ratio. Tale est eodem autore & illud in tertio: Nec iam amplius armis, Sed precibus uotisq; iubent exposcere pacem. Non enim uult dicere,

iubent

iubent exposcere armis: sed Agere potius subau diendum. Et Ciceronis illud [de senec.] Et tamen suspicor ijsdem rebus te, quibus meipsum, interdum grauius cōmoueri. Non enim utrobiq; apté respondet, Suspicor. Et in Geor. [lib. 1.] Ne tenues pluuiæ, rapidiúe potentia solis Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat. Vbi ad illud, pluuiæ, uel refrigerent, uel mergant, uel suffocent, uel tale quippiam addendū est. Nam quamuis constet adurere solere tum solem, tum Boream, nemo tamen id dixerit efficere tenues pluuias. Seruius quoq; ipse simile sermonis genus Syllepsin septimam uocat, in illo secundi Aenei. Sacra manu, uictosq; deos, paruumq; nepotem Ipse trahit. Licet enim (inquit) illud Trahit, nepotis tantum sit, tamen & superiora concludit, Sacra nimirum & uictos deos, quos tamen potius gestabat. Tale est & illud Virgilij etiam in tertio Aeneidos: Socijs tunc arma capessant Edico, et dira bellum cum gente gerendum. In quo Fabius ait plané figuram esse, propterea quod diuersa sermonis forma coniungitur. Diuersæ nanq; formæ sunt, arma capessant, & bellum gerendum: quarum utriq; unum Edico, non conuenit. Itaq; subaudiendum aliud uerbum in altero membro uidetur, fortasse iudico, aut mutandum illud Gerendum, in gerant. Quanquam simili dictionis forma Quintilianus ipse uidetur usus in primo Institutionum,

tutionum, [cap. 13.] cum dixit: Nec ipse usq; ad extremam anxietatem, & ineptas cauillationes descendendum, atq; his ingenia concidi & comminui credo. Est Syllepsis et in illo Ter. [Hecy. act. 4. sc. 1.] Audistin' ex aliquo fortasse, qui uidisse eum diceret exeuntem, aut introëuntem ad amicam? Quo loco Donatus Syllepsin esse primam dicit. Veluti in illo [Phor. act. 1. sc. 2.] eiusdem: In ludum ducere atq; reducere, quod uidelicet illud, Ad amicam, utriq; clausulæ non quadrat. Sicuti nec illud, Ad ludum, sed ibi ab amica, petendum extrinsecus est, hic à ludo. Simile quid apparet in illo Virgilij VII Aeneid. Hinc exaudiri gemitus, iræq; leonum Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum, Setigeriq; sues, atque in præsepibus ursi Sæuire, ac formæ magnorum ululare luporum. Non enim illud, Hinc, in posterioribus clausulis recte respondeat, sed Hic potius. Aliquando incertum uidetur, quod uerbum subaudiri poßit, ut in illo Quintiliani: [libro 5. cap. 10.] Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem?

Aliquando in una clausula Syllepsin accidere uolunt Poëtarum interpretes, quorum est Donatus, cum duarum dißimilium uocum, altera earum non ad uocem alterius, sed ad rem significatam refertur. Idq; modò per genera. Terent. And. [act. 3. sce. 5.] Vbi illic est scelus, qui

me

me perdidit? Vbi, ait Donatus, ad intellectum, non ad uerbum redegit. Et est figura Syllepsis per genera. Idem in Eunuch. [act.2.scen.3.] Vt illum dij deæq; omnes senium perdant, qui me hodie remoratus est. Idem [act.4.sce.3.] Quinetiam insuper scelus postquam ludificatus est uirginem. Idem: [in prologo Eunuch.] Eas se personas non negat transtulisse in Eunuchum suam. Et Virg. [lib.8.] Præneste sub ipsa. Qualis fortasse locutio est, [And. act.1.scen.1.] Mea Glycerium, Cum similibus, cum sint Græcorum diminutiua neutra. Quod confirmare aliquantum uidentur tum Quintiliani uerba illa ex primo institut. [cap.8.] Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ Epicœna dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet: aut quæ fœmina positione mares, aut neutrali fœminas significant, qualia sunt Murena & Glycerium. Et alibi ex eodem, [capite 10.] In eadem specie sunt, sed schemate carent, ut suprà dixi, nomina fœminea, quibus mares utuntur, & neutralia, quibus fœminæ. Tum Priscianus: [lib.12. 8. &.5.] qui docens primam et secundam personam primitiuorum pronominum neutrum habere genus, hominum quoq; inueniri propria neutra dicit. Marium quidem, hoc Baßion & Heliconion. Fœminarum, Glycerium, Dorcium. Donatus tamen fœmina censet.

ſet. Huc referri quodam modo poteſt & illud loquendi genus, in quo neutrum Latinum cum Græco maſculino coniungitur, quod ſæpe uſurpant autores. Columell. [lib.12.cap.35.] Vinum Abſinthiten, Hiſſopiten & Abrotoniten Et thimiten & Gliciriziten ſic condire oportet. Sed differt hoc genus à prioribus, quod in eo non ad ſignificatum nominis, Vini, refertur maſculinum, ſed ad aliam uocem, nempe Græcam οἶνος. Non deſit ſimilis rationis exemplum, ubi fœminum adiectiuum ſubijcitur appellatiuo neutro latino, ſed planè ſimilis ſignificationis. Ouidius: [lib.13. Metamorph.] Hoc pecus omne meum eſt, &c. Multæ ſtabulantur in antris. Etiam ubi fœmininum ſubijcitur maſculino. Idem: *Eſt ſpecus exoſus ſtructura pumicis aſper, Non homini facilis, non adeunda feræ. Modò fit per numeros in una clauſula Syllepſis. Virgilius: [libro 1. Aeneid.] Pars in fruſta ſecant. Ouidius: [libro 4. Metamorph.] Pars uolucres factæ. Modò per genera & numeros ſimul. Virgilius: [libro 6. Aeneid.] Hic manus ob patriam pugnando uulnera paßi. Idem: Pars merſi tenuere ratem. Liuius: [lib.1. dec.1.] Maxima pars ab equitibus in flumen acti. Idem: *Pars per urbes dilapſi. Saluſtius: [de bell. Iug.] Maxima pars uulnerati, aut occiſi. Talia ſunt & illa, Liuius: [libro 10. dec.1.] Samnitium cæſi tria milia trecenti.

centi. Florus: [lib.3.cap.21.] Duo milia electi, qui mori iuberentur. Curtius: [lib.4.] Duo milia crucibus affixi. Hoc de quo agimus genus, ætas quæ post doctos successit, Synthesin appellat, nullo (quod sciam) ueterum autore, sed Alexandro (ut uidetur) assensi, à quo Euocationem quoq; ueteribus inauditam figuram didicit. Mihi sanè piaculum sit ueterum sapientiam eius uel inscitiæ, uel infantiæ damnare, ut quibus rebus hic præsertim noua nomina finxit, eos putem aut parum aduertisse, aut eloqui non potuisse, sed istum (si Dijs placet) tot seculis desiderasse, à quo Latine discerent. Vtriusque figuræ rationes, Zeugmatis dico & Syllepseos, in interrogatione & responsione incidunt. Nam si quod in interrogatione est positum, in responsione sub iisdem accidentibus subticetur, Zeugma erit: si sub diuersis, Syllepsis. Sunt tamen & alia in responsionibus seruanda, quæ hic non incommodè referentur. Quoties igitur de agente, uel patiente, uel denique alia quauis constructionis persona fit quæstio, responsio hanc sub eodem casu cum eo, cui in interrogatione redditur, subijciet: uerbum autem utrobique erit commune, etiam cum appendice. Cuius rationis plenus sermo talis est: Quis scribit? Morus scribit. Quis scripsit Vtopiam? Morus scripsit Vtopiam.

Zeugma & Syllepsis in responsionibus.

Zeugmate

Zeugmate figuratus, talis: Quis scribit? Morus. Quis scripsit Vtopiam? Morus. Non ignorandum tamen, si uerbum in quæstione primæ personæ sit, uel secundæ, alterq; respondeat, solere id in responsione mutari. Prima scilicet ibi, in secundam hic, & secunda illic in primam hic. Cui scribo hæc? studiosis linguæ Latinæ scribis hæc. Sin idem qui quærit, respondet, non mutabitur persona. [Catul.] Cui dono lepidum nouum libellum? Corneli tibi. Tertia persona utrobiq; seruatur. Quis scripsit Georgica? Virgilius. Eadem ratio & in Adiectiuis, ubi scilicet de accidentibus quæritur, seruanda erit. Quantus est mundus? immensus. Qualis est terra? rotunda. Quot sunt stellæ errantes? septem. Aliquando tamen peculiaris ratio eius quod redditur, recusat sub eodem casu inferri id cum eo, cui in quæstione respondet, ut in illo Horatij [li.2.sat.3.] Quanti emtæ? paruo, Quanti ergo? octußibus eheu. &, Damnatúsne est furti? Imò alio crimine. Et cuius est codex? meus, non autem mei. In genere uerò et numero nihil prohibet dißidere id quod redditur, ab eo quod in quæstione ponitur, ut: Quis scripsit Endecasyllabos? Sappho. Quæ est hæc urbs? Thebæ. Quot oculos habuit Polyphemus? unicum. Etiam genere pariter & numero. Quot sunt cœli stellati? unum. Ad eundem modum si de caussa, loco, tempore, ratione

interroges, subiectis in responsione quæ his satisfaciant, uerbo ipso communi interrogationis uteris, idq; si figura uti placet, suppresso: si non placet, posito. Cur non uenisti citius? quia imber uetuit. Quando uenit Clemens? dudū. Quomodo egit pedum mensuram? magna dexteritate. At ubi de actione est quæstio, si per generale uerbum Ago sit, uel Facio, per speciale est respondendum, seruato si tertiæ personæ sit, nominatiuo utrobiq; communi: sin primæ sit, aut secundæ personæ, sicut dictū est, mutato. Quid facit, uel agit præceptor? enarrat, uel dictat. Quid facio? scribis. Quid agis? ludo. Ah quid egi? errani. At si per speciale sit uerbum, per idem respondebitur: Recitántne classes? recitant, uel non recitant. Responderi potest & per Sic, ita, uel etiam: Redditæ ne sunt literæ? sic, uel sic est, uel ita est, uel etiam. Et per generale uerbum, Facio: [Terent. Eunuch. act. 4. sc. 4.] Dic dum hoc rursum Cherea, tuam uestem detraxit tibi? Factum. Et eam est indutus? Factum. Et pro te huc deductus? Ita. Sicubi autem negare simul quod quæritur, & corrigere placet, per Imò respondeas: Conualuítne Polus? Imò recidit in morbum.

PROLEPSIS.

PRolepsis est, cum generalis dictio, quæ in multitudinis numero ferè præcedit, rursus in

in partibus intelligitur, nec adhibetur. Aliter: Prolepsis est cum generale præcedit, & idem diuiditur in partes, in quibus etiam subauditur præterea coniunctio aliqua, quæ uel copulatiua sit, uel discretiua: ut, Aquilæ uolant, hæc ab oriente, illa ab occidente. Cepere captiuos, partim integros, partim saucios. Pro & hæc uolat ab oriente, & illa uolat ab occidente. Vel & hæc quidem ab oriente, illa uerò ab occidente. Obseruatum est in hac figura, præsertim extra carmen, si uerbum plurale in collectione præcedat, meritò quoq; nominatiuum unà præcedere: & contrà, si nominatiuus præcedat, etiam uerbum plurale præcedere, ut in iam dictis exemplis. Sin uerbum in partibus adhibetur, genitiuum in collatione præcedere debere: ut, Aquilarũ alia ab oriente uolat, alia ab occidente. Ciuiũ alios regere decet, alios parêre. Quod tamen in collatione præcedit, plurale omnino esse postulat, uel uoce, ut in superioribus exemplis: uel certe significatione, ut Auitium genus partim terrestre est, partim aquatile. &, Auitij generis aliud est terrestre, aliud aquatile. Humani generis pars corpus excolit, pars animum. Non ignorandum, ut doctißim. Gaza præcipit, singulare eiusmodi aliâs in singularia licere diuidere, aliâs in pluralia: Humanum genus partim sui iuris est, partim alieni. Humani

generis alij probi sunt, alij improbi. Quanquam hic duplex est figura, fortasse triplex, ut post apparebit. Et rursus plurale ijsdem modis, ut, Hominum alius est frugi, alius nequam. &, Ciuium alij præsunt, alij parent. Potest autem utrunq;, & quod in collectione, & quod in partibus sumitur, per obliquum efferri, si participiũ loco uerbi sit positum, & transitus personæ fiat: ut, Aquilarum uolantium alterius ab ortu, alterius ab occasu par est uelocitas.

Fit Prolepsis per omnia quæ generale in partes diducunt. Per nomina, ut Alius, alter, unus. Per pronomina, ut Ego, tu, hic, ille. Per aduerbia, ut Partim, modò, aliquando, cum similibus. Etiam sine his per sola interdum appellatiua, uel propria, ut Virgil. [lib.12.] Interea reges, ingenti mole Latinus Quadrijugo uehitur curru &c. bigis it Turnus in albis. Hinc pater Aeneas Romanæ stirpis origo, Et iuxtà Ascanius magnæ spes altera Romæ, Procedunt castris.

Est quando unico membro generalitatem sequente, formula quædam huius figuræ repræsentatur, ut Salust. [de con. Catilin.] Cœpere se quisq; magis extollere. Terent. [Adelph. act. 4. scen. 4.] Aperite aliquis actutum ostium. Supplendum enim ita quod desit: Aperite ostium, & aliquis actutum aperiat. &, Cœpere se extollere, & quisq; magis se extollere. In illo uerò

Terentij [Adelph. act. 1. scen. 2.] Verum Demea curemus æquam uterq; partem, tu alterum, ego item alterum. Vtraq; earum quas nunc retulimus formarum, cerni potest, & prioris, quæ integra est, & posterioris, in qua unicum membrum generalitati subijcitur.

PLEONASMOS.

DIuersum ab his genus est, quod excessu constat, Pleonasmos generatim appellari solet. Accidit autem cum una, pluresq; dictiones ad legitimam constructionem necessariæ in oratione redundant. Id sané fit per uarias partes. Nam & Appellatiua nomina interdũ sic redundare uideas, ut Virgil. [lib. 1. Aeneid.] Sic ore locuta est. Terent. [Adelph. act. 3. scen. 2.] Hisce oculis egomet uidi. Item genitiui illi, Loci & Gentium, constructionis legibus nihil conferunt. Teren. [Eunuch. act. 1. scen. 2.] Te interea loci cognoui. Nonnunquã Epitesin aliquam adijciant. Idem: Sed ubinam Gentium est? In appositione quoq; si speciale præcedit generale, ipsum generale Quintiliani sententia abundat, ut si pro Fratres gemini, gemini fratres dixeris. Quod tamẽ intelligendũ est de ijs, quæ publicé sunt nota, ut: Mulier ancilla, urbs Roma. Cum alibi generalitatis appositio fortasse superuacua non sit, ut: Sabrina flumen. Sicuti nec cum æquiuoco fit appositio, ut: Taurus mons. Et

Pleonasmos appellatiuorum.

alioqui non uidetur antiquitas redundantiam, hanc ne in notißimis quidem ualde refugere, ut ex multis hoc in capite liquere poterit, cum & gemini fratres, *& alia similia sæpe legas.* Cic. [*lib.2. diuin.*] Procles *&* Calisthenes Lacedæmoniorum reges gemini fratres fuerunt. Suet. Cæsare: Vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta tantum Castoris uocaretur &c. Plinius [libro 12. capite 21.] Fructus magnitudine auellanæ nucis. Cæsar. [lib.3. bell. Gall.] Proximi Rheno flumini sunt. Liuius [lib. 4. dec.1.] Tyberi amni septus. Curt. [lib.4.] Nilo amne uectus.

Homo. Hominis quoque uocabulum in eiusmodi sermonibus abundat, quales sunt Terentij: [Phorm. actus 4. scen. 2.] Ego hominem callidiorem uidi neminem, quàm Phormionem. Et Suetonij [in Nero.] Ex nonnullis comperi persuasißimum habuisse eum neminem hominem pudicum. Et Ciceronis: Neminem tibi profectò hominem ex omnibus aut anteposuissem unquam, aut etiam comparassem.

Adiectiuorũ Pleonasmos. Et adiectiua, ut Cic. in Verr. [lib.4.] Omnia quæcunque Carpinatus postulabat, facere & decernere solebat. Et Valer. Max. in primo [cap.5.] Mox humani ingenij prona uoluntate uetita scrutandi, ponè respiciens animaduertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu omne quicquid obuium fuerat, proterentem.

tem. Suet. Calig. Omnes Germanico corporis animiq; uirtutes, & quantas nemini cuiquam contigisse satis constat. Satis enim fuerant, Quæcunq; & Quicquid, quæ ipsa uniuersalia sunt, & Nemini, detracto illo, Cuiquam. Simile est illud Teren. [And. act. 1. sc. 1.] Comperiebam nihil ad Pamphilum quicquam attinere. Vbi Parelcon esse illud Quicquam, Donatus ait. Paruus quoq; & Minutus, cum diminutiuis adduntur, redundare uidentur. Cic. Paradox. Accipies igitur hoc paruum opusculum. Idem [eodem lib.] Minutis interrogatiunculis, & quasi punctis id quod proposuit, efficit.

Paruus & minutus.

Nescio an aliò quàm huc referã, quod de interrogatiui neutro Quid obseruo, ut in illo Ciceronis in partitionibus: Quid orationis, quot sunt partes? Et iterum: Quid quæstio, quásnam habet partes? Et rursus: Quid in deliberatione, quid spectas? Item: Quid in iudicijs, quæ est collocatio? Videtur enim eo demto nihilominus stare sensus, si modò ordo paulum mutetur. Etiam in illis Quintiliani [li. 10. cap. 1.] Quid Herculis acta non bene Pisandros? Quid Nicandrum frustra secuti Macer atque Virgilius? Quid Euphorionem transibimus &c. Quid Horatius frustra Dircæum * Homero subiungit? Et Teren. [Phorm. act. 1. scen. 2.] Quid pædagogus ille, qui Citharistriam, quid rei gerit? Idem [ead.

Quid interrogatiuum.

ſcen.] Quid ſenem, quoad expectatis ueſtrum? Vbi Donatus inquit, Quid, ſecundum morem quotidianum tunc dici, cum tranſitus ſit à mentione alterius rei in alteram.

Pronomen geminatum. Geminatorum etiam in accuſatiuo & ablatiuo pronominum, ſi alterum redundat, quonam aliò, quàm huc referam? ut in illis Virg. [li. 9.] Meme adſum qui feci, in me conuertite ferrum O Rutuli. Item [li. 12.] Meme duce ferrum Corripite ô Rutuli. Item [Eod. lib.] Verte omnes tete in facies. Et Quint. [decla. 19.] Tete hoc loco mulier interrogo. Terent. [And. act. 1. ſc. 1.] Quæ ſeſe in ignem inijcere uoluit. Et in Nominatiuo aliquando, ut Cic. in Philip. [2.] Tutu faces illas incendiſti. De Se geminato & ſimplici, Seruius ex Cæſare hoc notat, Se ſimplex ponimus, cum aliquis ſe in alium quid feciſſe fatetur. Seſe cum in ſeipſum.

Seruius.

Ille relatiuum. Ille Relatiuum, ſæpe Poëtis Græco & Homerico more redundat. Virg. [lib. 1. Aeneid.] Multum ille & terris iactatus. Idem [lib. 5.] Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra. Idem [lib. 2. Georg.] Quid maiora ſequar? ſalices humiléſq; geniſtæ, Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbram Sufficiunt. Idem [li. 3. Georg.] Vndiq; iam tergo ferratos ſuſtinet orbes, Puppibus illa prius, patulis nunc hoſpita plauſtris.

Hic & Is relatiua. Præterea Hic & Is relatiua. Prius certè cum mira

mira gratia, ut apud Liuium: * Ita geniti atque educati, cum primum adoleuit ætas, nec in stabulis, nec hi ad pecora segnes uenando peragrare saltus. Posterius, ut Salust. in Catil. Sed urbana plebs, ea uerò præceps erat multis de caußis. Et Teren. [in prolog. Eun.] Sed eas fabulas factas prius Latinas scisse sese, id uerò pernegat. Idem [Eunuc. act. 5. sc. 3.] Tum hoc alterum, id uerò est, quod mihi puto palmarium me reperisse. Idem [And. act. 2. sc. 5.] Id propterea nunc hunc uenientem sequor. Huc pertinet & illud Virgilij [lib. 6.] Sed reuocare gradum, superásq; euadere ad auras, Hoc opus, hic labor est. Satisfactum enim constructionis legibus fuisset, si, superásq; euadere ad auras est opus & labor dixisset, sed minus uehemens fuisset oratio. Item illa paulò duriora meo iudicio, maximè quod in principio orationis sunt posita. Aemilius Probus: Chabrias Atheniensis, hic quoq; in summis habitus est ducibus. Idem rursus: Timotheus Cimonis filius Atheniensis, hic à patre acceptam gloriam multis auxit uirtutibus. Et Terentius: [And. scen. ultima.] Pamphilus ubinam hic est? Cic. ad Attic. [lib. 7. epist. 14.] Posthumius autem, de quo nominatim Senatus decreuit, ut statim in Ciliciam iret, Fusanóq; succederet, is negat se iturum sine Catone.

Ipse quoq; Epitagmaticôn siue subiectiuum, cum

Ipse Epitagmaticôn.

cum post Met, discretionis item particulam adhibetur, ut Teren. [Phor. act. 1. sc. 4.] Sed quod modò hic nos Antiphonem monuimus, id nosmet ipsos facere oportet Phædria. Et Cic. de Offic. [li. 1.] Nisi nosmetipsos amabimus ualde.

Dico. Ex uerbis quoq; peculiariter Dico, præsertim apud Ciceronem, ut in illo: [li. 2. de Orat.] Cui cum familiaris quidam quereretur, quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu. Idem [eod. lib.] Gregalésq; eum cum non uenisset in campum, requirerent, excusauit Vespa Terentius, quòd eum brachium fregisse diceret. Hîc enim satis erat, quod brachium fregisset: ibi, quòd uxor sua de ficu se suspenderat, omisso utrobiq; illo, Diceret. Non dißimile his uidetur & illud eiusdem de lege Manil. Reliquum est, ut de Q. Catuli autoritate & sententia dicendum esse uideatur. Satis enim esset, Vt dicatur. Cæterum in his nulla fit debitæ structuræ iniuria. Sicuti nec in illis Periphrasibus, quæ tamen redundantiam omnino præ se ferũt, quales sunt & illa Terentij in Hecyr. [act. 3. sc. 3.] Si est, ut uelit reducere uxorem, licet. pro si uelit. Et eiusdem in Phor. [act. 2. scen. 1.] Si est patrue, culpam ut Antipho iñ se admiserit. pro si admisit, ut Donatus interpretatur. Idem [Hecyr. act. 4. scen. 1.] Si est, ut dicat uelle se, redde. Si est, *ut nolit, recte consului gnatæ meæ.

Parti-

Participium quoque nonnunquam in structura redundat, sed Græco more, proinde in Hellenismis dicetur.

Ex præpositionibus uerò ijs quæ cum uerbis componuntur, etiam nonnullæ ad constructionem superfluunt. Terent. [And.act.4.scen.1.] Adeon' ad eum? Salust. [de bell. Iugurt.] Tanta uis auaritiæ in animos eorum, ueluti tabes inuaserat. Staret enim tum sensus, tum constructio, si demeres hic In, ibi Ad. Sed hunc Pleonasmon in alijs quoque præpositionibus affectare uidetur antiquitas, ut in superiori libro multis exemplis uidere licet.

Pleonasmos præpositionum.

Re quoque in compositione non minus apud probatißimos autores sæpe abundat, ut Cicer. de fato: Ad Chrysippi laqueos reuertamur. Nihil enim aliud uult dicere, quàm ueniamus. Quintilianus [decla.4.] Si uerum est, post multa secula & innumerabiles reddi rursus alijs corporibus animas, fortaßis in me renatus sit aliquis ex illis. Et Teren. [And.act.3.scen.2.] Renuncio heræ futurum. Quo loco Donatus, Re syllaba, inquit, apud ueteres interdum abundat, ut renuncio pro nuncio.

Re.

Item ante nomina urbiũ & oppidorum, Ad, ab & per, ut Cic. [libro 7.] Ea die Verres ad Messanam uenit. Salust. [de coniu. Catil.] Nam Brutus ab Roma aberat. Virg. [lib.2.] Illis qui ad

Ad, Ab, & Per.

ad Troiam forté diebus uenerat. Cicer. [lib.15. epist. 3. fam.] Circiter Idus Sextiles ab Epheso in Syriam nauibus profectus est.

Aduerbiorū pleonasmos. Ex Aduerbijs autem post uerba quæ à Re componuntur, cum Retro sequitur, uel ipsum Retro, uel certe Re abūdat. Virg. [li.9. Aen.] Asper acerba tuens retro redit. Idem [libro 2. Aen.] Et retrò sublapsa referri. Et Ante, post uerba cōposita à Præ. Tere. [And. act.1. sc.5.] Nónne oportuit præscisse me ante? Et Simul, cum uerbis à Con compositis. Idem [And. act.3. sc.2.] Multa concurrunt simul, qui coniecturam hanc nunc facio. Vbi etiam Qui, pro Vnde uide tur accipi, nisi fortasse Quîs scribendum, pro Quibus. Sicut in illo forsitan [prol. And.] Non qui argumentum narret. qui pro qua.

Simul.

Qua longum. Qua longum quoq; redundat, ut Virg. [libro 1. Aen.] Si qua fata sinant. Idem [Eod. lib.] Ne qua scire dolos mediúsue occurrere poßit.

Qua breue. Item: Qua breue. Virgil. [lib.10.] Rhœbe diu res, si qua diu mortalibus ulla est.

Negatio. Negatio præterea uarijs modis abundat. Aliâs post compositam negationem primo loco positam. Compositas uoco, quales sunt, Nego, nescio, nequeo, nemo, nullus, nunquam. Terent. in Phorm. [act.2. scen.3.] Negat? neq; eius patrem scire, quis fuerit. Cicer. de finibus [lib.3.] Sed quanquam negent Stoici nec uirtutes, nec uitia crescere.

crescere. &, Nescis nec in pace, nec in bello uiuere. Virg. [*Eclog.5.*] *Nulla neq; amnem Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam. Cicer. Acad.* [*lib. 1.*] *Nullam deniq; esse artem, nec dicendi, nec disserendi putant. Nam si postponatur composita, decedet altera reliquarum. Terent.* [*Heaut.act.1.scen.1.*] *Agrum in his regionibus meliorem, neq; pretij maioris habet nemo. Si enim alteram apposuisset, aut compositam præposuisset, aut postremo pro ea posuisset affirmatiuam particulam, ut quisquam, uel ullus. Declarat autem quod in his redundet negatio, quod una detracta, idem sensus seruatur:* [*Phorm. act. 2.scen.3.*] *Neq; eius patrem ait se scire. Nec in pace scis uiuere, nec in bello. Nec ulla quadrupes libauit amnem, nec atigit herbam. Aliter quoque superfluit negatio, ut in illo Terentij,* [*And.act.1.sce. 2.*] *autore Donato: Neq; haud* tu dicas tibi non prædictum caue. Item aliter, sed cum quadam ui, ubi nimirum per secundam negationem adstruitur quicquam ueluti maius, ut in talibus:* [*Eunuch.act.1.sc.1.*] *Non eam? ne nunc quidem cum accersor ultro? Cicer. ad Lentul.* [*lib. 1.epist.8.*] *Neq; errarent ne aduersarij quidem. Quorum non admodum dissimile est illud Terentij:* [*Andria act. 4.scen.2.*] *Per omnes tibi adiurio deos, nũquam eam deserturum, non si capiundos mihi sciam inimicos o-*

mnes homines. Figura certè est & cum affirmatiuum per duas negationes interpretamur, ut Virgil. [lib.1. Geor.] Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ Nesciuere hyemem. &, Ne queo non mirari. &, Nemo non stupidus. Sed non huius loci.

Coniunctio-num pleonasmos.

Coniunctionum uerò quædam huic figuræ adeò sunt obnoxiæ, ut cum nihil ad constructionem uel sensum conferant, expletiuæ, uel ornatiuæ tantum dici meruerint: ut sunt, Num, nam, dum, in Etiamnũ, numnam, & adesdum, alijsq;. Terent. [And. act.3. scen. 4.] Numnam perimus? Idem: *Ehodum bone uir ad me. Idem: [Eu. act. 4. scen.4.] Dic dum. Virg. [Eclog. 10.] Nam neq; Parnasi nobis iuga, nam neq; Pindi.

Copulatiuæ.

Præterea copulatiuæ: ut, [Virg.li.1. Aen.] Multa quoq; & bello passus. Redundat enim, &. Idem Virg. [lib.3. Geor.] Atq; hinc, atq; illinc humeros ad uulnera durat. Sed hæ sæpissimè cum Epexegesin tantum adstruunt, ut in illo Virgilij: [lib.1.] Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ. Est enim interpretatio iudicij Paridis, Spretæq; iniuria formæ. Talia sunt & alia: [eod. lib.] Molemq; & montes insuper altos Imposuit. Item: [lib.5. Aen.] Dixitque, & prælia uoce diremit.

Vt.

Vt quoq;, cum ei succedit Ne, uel ipsa otiosa est, Ne uel pro Non accipienda, ut Teren. [Eunuch.

nuch. act. 5. sc. 4.] Ego pol te pro istis dictis & factis ulciscar scelus, ut ne impune in nos illuseris. Idem [scen. 5.] Miseret me. Itaq; ut ne uiderem misera, effugi huc foras. Quanquam Graeca potius talia uidentur, pro ἵνα μή.

Et Ne, ut in illo Horatij in sermonibus: [lib. 1. sat. 1.] Nemon' ut auarus se probet. Item in illo [lib. 1. sat. 10.] O seri studiorum, quid ne putatis Difficile & mirum, Rhodio quod Pitholeonti Cõtigit, autore Porphyrione. Quanquam Priscianus confirmatiuam in talibus dicit, pro etiam, ut Teren. *Nunccine demum isthuc uerbum in te incidit? Ne.

EPANALEPSIS.

HVc spectat & Epanalepsis, in primis scitu digna figura. Haec accidit, cum post aliquam multa interposita, uel claritatis, uel alia quapiã caussa resumimus quod in principio collocauimus, cum alioqui sine eo constructio suos numeros haberet. Resumimus autem, uel ijsdem uerbis, ut Virgil. [Eclog. 8.] Talis amor Daphnin, qualis cum fessa iuuencum Per nemora, atq; altos quaerendo bucula lucos, Propter aquae riuum uiridi procumbit in herba * Perdita, nec serae meminit decedere nocti, Talis amor teneat. Et Cic. ad Brutum [ep. 15.] Caue enim existimes Brute (quanquam non est necesse ea me ad te, quae tibi nota sunt scribere &c.) caue

ue putes probitate, constantia, cura, studio Reipub. quicquam illi esse simile. Idem in libris de Oratore: Nostra est enim, si modò nos oratores sumus, si in ciuium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi autores & principes sumus: nostra est (inquam) omnis ista prudentiæ doctrinæq; possessio. Vel diuersis uerbis ab his quæ sunt proposita, aliâs potestate paribus, ut Cicer. in Tuscul. [lib. 1.] Confirmato illo, de quo mortales animi sunt, dubitare non possumus, cum tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur: hoc igitur probè stabilito & fixo, illud excutiendum est, ut sciatur quid sit carere, Aliâs magis generalibus. Idē pro Marco Marcello: Verum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, uirtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: Hæc qui faciat, nón ego eum summis uiris comparo, sed similimū deo iudico. In his si demas in prioribus, Talis amor, &: Caue putes: in Tertio illud, Hoc igitur stabilito & fixo: in Quarto, nostra est inquam, nihilominus integra ubiq; constructio fuerit. In Quinto exemplo Cic. figuram mutauit, ut magis apte clauderet. Adhibentur in hac figura aliquando notæ quædam, quales sunt, Inquam, Igitur, & similia,

milia, ut in modò dictis exemplis patet. Praeterea Sed, ut Cic. in Philip. prima: Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna (quae bona ipsi uidetur) mihi ne grauius quippiam dicam, auorum & auunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior uideretur: sed eum iracundum audio factum. Idem alibi [libro 3. de Orat.] Cum audio socrum meam Leliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conseruāt, quòd multorum sermonis expertes, ea tenent semper quae prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Naeuium uidear audire.

HYPERBATON.

CVM ordo legitimus dictionum clausularúmue mutatur, Hyperbaton Grammaticis dicitur. De recto huius generis seorsum tractauimus, tractatu quem de Ordine inscribimus: Huius uarias species faciunt Grammatici, Anastrophen, Hysterologian, Tmesin, Synchysin, Parenthesin. Dictionum praeposterum ordinem, Anastrophen uocant. Accidit hoc multis praepositionibus, ut [Virg. 1. Aen.] Italiam contra. &, His accensa super. &, Maria omnia circum. &, Spémque metúmq; inter dubij. &, Multa de nocte profectum. &, [Horat. in arte] Quem penes arbitrium est. Item, Mecum, tecum, quicum, quibuscum. Sed non ignorandum, quoties praepositionis alicuius casus in Geniti- Anastrophe.

uum transit relatiui substantiæ, præpositionem cum suo casu plerunq; in Hyperbato legi, ac genitiuo subijci, ut: Cuius de honore agitur. Cic. [lib.13.epist.39. fam.] Cuius cum patre magna mihi fuit amicitia. Idem [lib.3. Tusc.] Cuius ob *oculos Graij ora obuertebant sua. Idem [lib. 2. de finib.] Quorum è numero primus est ausus Leontinus Gorgias in cõuentu poscere quæstionem. Idem [lib. 3. de Orat.] Cuius in labris ueteres comici, etiam cum illi maledicerẽt (quod tum Athenis fieri licebat) lepôrem habitasse dixerunt. Idem [de Orat. perf.] Cuius ad excogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa non cadunt. Accidit præterea aduerbijs & coniunctionibus. Cum, ut Cæsar frequentißimè. Diutius cum nostrorum impetum ferre non possent. Item [libro 1. bell. Gall.] Diu cum esset pugnatum. Item [libro. 2. bell. Gall.] Ipse cum primum pabuli copia esse inciperet. Pro cum diutius, cum diu, cum ipse. Item Vt, Terentio, Ciceroni, & Cæsari paßim. Terent. [And. act. 4. scen. 1.] Nec te quiuit hodie cogere, illam ut duceres. &, Huc face ad me ut uenias. &, Atque incommodis alienis sua ut comparet commoda. Cæsar [lib. primo bell. Gall.] Eáque res colloquium ut diremisset. Idem [libro tertio bell. Gallici.] Breui spatio interiecto, uix ut his rebus, quas constituisset, collocandis

candis atq; administrandis tempus daretur. Enim, *ut* Terent. [Adelph. act. 2. scen. 1.] *Enim non sinam.* Quæ Copulatiua, *ut* Horat. *in Car. seculari: Orbis et cantus referátq; ludos.* Idem: [lib. 2. Od. 19.] *Ore pedes, tetigitq; crura.* Idem: [lib. 1. sat. 6.] *Magna sonabit cornua, quod uincátq; tubas.* Tibul. [libro 1. eleg. 3.] *Messalam terra dum sequitúrque mari.* Ne, *ut* Horat. [libro primo sat. 8.] *Cum faber incertus scamnum faceret ne Priapum.* Sed hæc ordinis mutatio in Que, & ne, durißima est, quare imitandam non censeo. Sed enim. Virgil. [libro 2. Aeneid.] *Impius ex quo Tytides sed enim scelerúmque inuentor Vlysses.* pro sed enim ex quo. Quoniam. Idem: [Eclog. 3.] *Insanire libet quoniam.* pro quoniam libet. Relatiuum quoq; substantiæ loco suo nonnunquam abest non sine gratia, ut Cicer. [lib. 1. Offic.] *In medio relictũ quod erat, populo Roman. adiudicauit.* Terent. [Hecyr. act. 4. sce. 4.] *Mater quod suasit sua, adolescens mulier fecit.* Plaut. [Amph. act. 4. scen. ultim.] *Vix apud me sum, uigilans qui prope dormio.* Sicubi tamen longius à loco suo dictio est transgressa, Hyperbaton etiam speciali nomine dicunt, ut in illo Ciceronis [pro Cluentio] notat Quintilianus: [lib. 8. cap. ult.] *Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Rectum enim*

esse ait, in duas partes diuisam. Ad hanc Hyperbaton referri potest & dictio, quæ inter adiectiuum positum in accusatiuo, & appellatiuum in genitiuo est interposita, quod sæpissimè facti tatum ab autoribus leges, ut Terent. [Eunuch. act.2.sce.2.] Paululum da mihi operæ. Cicer. [lib. 10.epist. 5. famil.] Sed amor uoluntatisq; coniunctio plus habet suauitatis. [Terent. Eunuch.act.4.scen.6.] Neque repeto pro illa abs te quicquam pretij.

HYSTEROLOGIA.

CVM Præpositio non casui, cui seruit, sed uerbo, quasi cum eo compositum sit, iungitur, Hysterologian Seruius uocat: ut, Tyriam qui adueneris urbem. pro ueneris ad Tyriam urbem.et, Quas uento accesserat oras. &, Atq; rotis summas leuibus perlabitur undas. Et Horat. [in arte] Innati triuijs. Donatus Hysterologiam, siue Hysteronproteron, præposterum ordinem sensuum uocat:ut [Virg.li.1.Aen.] Et torrere parant flammis, & frangere saxo. Sed hæc ratione ad constructionis rationem parum pertinet. Huc pertinent illa [Virg.eod.li.] Vrbem quā statuo uestra est.et, [Plau. Amph.act. 4.sc.1.] Naucratē, quem conuenire uolui, in naue non fuit. Rectū enim erat: Quā urbem statuo. &, Quem Neucratē conuenire uolui. Qualis ordo apud oratores obseruatur, ut ante est dictū.

Tmesis.

TMESIS.

TMesis uocatur, cum composita uoce diuisa, dictio aliqua eius partibus interponitur: quod facere autores libenter uidentur, ut Quintil. [lib. 2. cap. 14.] Neq; enim rogationibus, plebísue scitis, sancta sunt ista praecepta. Virgil. [lib. 3. Georg.] Septem subiecta trioni. Et Terent. [And. act. 2. sc. 5.] Quae meo cunq; animo libitum est facere. Idem [Eunuch. act. 3. scen. 3.] Thais maximo te orabat opere, ut cras redires. Idem [act. 4. scen. 7.] Omnia prius experiri quàm armis sapientem decet. Plautus [Pers. act. 1. scen. 2.] Sed sum ne ego stultus, qui rem curo publicam? Cicer. Quam rem procul inquit dubio dixisset. Idem [libro secundo Offic.] Rem uerò publicam penitus amisimus. Idem [libro 1. Tuscul.] Ante Salaminam ipsam Neptunus obruet, quàm Salaminij Trophaei memoriam: priusque Bœotia Leuctra tollentur, quàm pugnae Leuctricae gloria. Non minus libenter & illa Congregandi aduerbia, Non modò, non solum, non tantum, interposita dictioni dirimunt. Quintil. [libro 5. cap. 11.] Sententijs quidem Poëtarum non orationes modò sunt refertae, sed libri etiam Philosophorum. Cic. [de Senectut.] Est enim munus eius non ingenij solum, sed laterum etiam, & uirium. Idem [Eod. loc.] Nec uerò dubitat agricola quamuis senex

quærenti, cui ferat, respondere, dijs immortalibus, qui me non accipere tantum à maioribus uoluerunt, sed etiam posteris prodesse.

PARENTHESIS.

PArenthesis est sensus quispiam sermoni antequam absoluatur interiectus, qui quanquam eius uiribus aliquid confert, tamen sublatus legitimum sermonem relinquit, ut: [Virg. lib. 1. Aeneid.] Iuppiter hospitibus (nam te dare iura loquuntur) Hunc lætum Tyrijsq; diem Troiáq; profectis Esse uelis. Horat. [lib. 1. sat. 1.] Cætera de genere hoc (adeò sunt multa) loquacem Delassare ualent Fabium.

SYNCHYSIS.

SYnchysis est ordo dictionum confusior, alicuius incontinuitatis uitandæ caussa susceptus. Donatus Hyperbaton obscurum, & ex omni parte confusum interpretatur, ut: [Virg. lib. 1. Aeneid.] Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa uocant Itali medijs quæ in fluctibus aras. Quod sic ordinat: Treis naues abreptas Notus torquet in saxa, quæ saxa in medijs fluctibus latentia Itali uocant aras. Sed hîc confusio in una relatiui est clausula. Aliquando duarum clausularum miscentur dictiones, ut apud Horatium sæpenumero, ut in illo [libro primo

primo ſat. 5.] Namq; pila lippis inimicum & ludere crudis. Idem [ead. ſat.] Pené macros arſit, dum turdos uerſat in igni. Et alibi [libro primo, ſat. 4.] Cum mea nemo Scripta legat, uulgo recitare timentis ob hanc rem, Quod ſunt, quos genus hoc minimé iuuat, utpote plures Culpare dignos. Et in illo anonymi autoris: Nam lacrymis ſtruit inſidias, dum fœmina plorat. Eſt enim ordo ibi: Ludere pila eſt inimicum lippis & crudis. &, Dum uerſat macros, turdos pené arſit in igni. hic: Sunt plures, quos genus hoc minime iuuat, utpote culpari dignos. In quibus exemplis hinc maximé confuſio oritur, quod quæ dictiones alteri ſenſui debentur, in altero ſunt poſitæ. Vtitur hac compoſitione ſuprà cæteros omnes (quod ſciam) autores Horatius, ut etiam in Satyra 8. Lanea & effigies erat altera cerea. Et paulò poſt: Serpentes atq; uideres infernas errare canes. Eſt enim ordo: Erat lanea effigies, & altera cerea. Item: Videres ſerpentes errare, atq; infernas canes. Vbi Porphyrio ait ſic feré inſtituere Horatium coniunctiones, ut non ſuo loco ponat. Et iterum in arte Poëtica: Qui uariare cupit rem prodigialiter unam, Delphinum ſiluis appingit. Et in eadem: Chorúſque turpiter obticuit ſublato iure nocendi. Sic enim ordino: Prodigialiter appingit, & iure turpiter nocendi.

Huc quodammodo spectat & illud Hypallages genus, quale est Virgilij in sexto: Ibant obscuri sola sub nocte. pro soli sub obscura nocte. Idem [lib.2. Aeneid.] Sceleratam intorserit hastam. pro ipse sceleratus. Idem [lib.3.] Namq; omnem cursum mihi prospera dixit Relligio. pro omnis religio dixit prosperum cursum, ut Seruius enarrat.

Est Hyperbaton & cum relatiuum Qui, non ex proxima clausula, sed superiore aliquid repetit, ut in illo Virgilij [libro quarto] Me puer Ascanius, capitisq; iniuria chari, Quem regno Hesperiæ. Tale uult Seruius & illud esse: [Virgil. libro secundo Georg.] Sunt & Aminææ uites, firmißima uina, Tmolus & assurgit quibus, & rex ipse Phaneus. Ad Vites enim referri ait, non ad Vina, ne forte uinis dicere cogatur. Sed frustra, cum non solum eo casu Latinißimi utantur, ut Plin. [lib.16. cap.10.] Vasa uiatoria ex ea uinis in Gallia facta mortifera fuisse compertum est. Sed etiam Genitiuo. Idem de Faustiano [lib.14. cap. 6.] Solum uinorum flamma accenditur. Vt meritò coarguenda in talibus Grammaticorum superstitio sit, qui contra usum summorum in Romana lingua uirorum multa temere præcipiunt, ueluti etiam propria carere plurali.

Ad hunc locum pertinet & naturalis ordo sensuum

ſenſum mutatus, ſiue Hyſterologiam, ſiue Hyſteronproteron, ſiue ſenſuum Metatheſin, ſiue quocunq; hunc nomine appelles. Cuiuſmodi eſt tum in eo, quod Syneſtrammenon Græcis dicitur, ubi relatiui ſenſus demonſtratiuo pronomini, cuius demonſtrationem interpretatur, præponitur, ut in illis Ciceronis [pro Ligario] Sed hoc non concedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, eaſdem in alijs reprehendatis. Idem [pro eodem] Quotus enim iſtud quiſq; feciſſet? ut à quibus partibus in diſſenſione ciuili non eſſet receptus, eſſétq; etiam cum crudelitate eiectus, ad eas ipſas rediret? Tum ubi Relatiuum ſenſui, ad quem refertur, poſtponitur, ut Ouid. de Pont. [libro 2. eleg. 6.] Quódq; ſoles animo ſemper quod uoce precari, Omnia Cæſaribus ſic tua facta probes. Tale eſt illud Liuij [lib.1.decad.1.] cum ſimilibus: Quod bonum, fauſtum, felíxq; ſit, inquit, Quirites regem create. Metatheſis.

Etiam talia, licet ſit Enallage relatiui, quale eſt Ciceronis ad Rufum [li.5.epiſt.20.] Tamen quæ tua ſuauitas eſt, quiq; in me amor, nolles à me hoc tempore æſtimationem accipere.

Tũ uerò in illa figura, quæ Græcis eſt uſitatiſsima, in qua Relatiui diuerſitatis ſenſus, quæ natura ſequi debeat, præponitur, ut in illo Ciceronis [libro primo epiſt. 1. famil.] Cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio.

Idem [libro 15. epist. ultim. famil.] Cui quidem amori utinam cæteris rebus possem, amore certé respondebo. Terentius Adelph. [act. 3. sc. 3.] Pisces cæteros purga Dromo, congrum istum maximum sinito in aqua ludere paulisper. Celsus [libro 8. capite 1.] Ex ijs cæteræ quidem suturæ in unguem committuntur, hæ uerò, quæ super aures transuersæ sunt, totis oris paulatim extenuantur.

Tum in illa figura, ubi est obtestatio cum comprecatione, ut in illo Virgilij [Eclog. 9.] Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, Sic cythiso pastæ distentent ubera uaccæ. Incipe si quid habes. Horat. [lib. 1. Od. 3.] Sic te diua potens Cypri, Sic fratres Helenæ lucida sydera, Ventorúmq; regat pater, Obstrictis alijs præter Iapiga Nauis, quæ tibi creditum Debes Virgilium finibus Atticis Reddas incolumem precor. Natura enim precatio præcederet, ut in illo Ouid. de Pont. [lib. 2. eleg. 6.] Idq; facis, faciásq; precor, sic mater & uxor, Sic tibi sint fratres, totáque salua domus.

EORVM QVAE PARTIBVS ACCIDVNT ENALLAGE.

Sequitur accidentium Enallage, quam ideo in hunc locum distulimus, quòd ea maximè legi-

legitimæ ſtructuræ leges perturbat. Quippe quæ in his potiſsimum uerſetur.

Caſum igitur pro caſu poſitum, quæ Antiptoſis dicitur, multis modis apud illuſtres autores legimus. Nam & nominatiuus pro uocatiuo, ut Virg. [lib.6.Aen.] Proijce tela manu ſanguis meus. pro mi. Idem [lib.8.] Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum. pro fluuie. Idem [Eclog.7.] Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba, Et quæ uos rara uiridis tegit arbutus umbra, Solſtitium pecori defendite. pro arbute, quæ eos tegis rara umbra. Et Perſius [Sat. 1.] Vos ô patricius ſanguis. pro patricie. Tale mihi uidetur & illud Plinij [lib.7.cap.29.] Salue primus omnium parens patriæ appellate. Quod exilius fortaſſe ſonaſſet, ſi Prime dixiſſet, rectius tamen eſſet dictum, cum in eandem recidat perſonam cum, Appellate.

Antiptoſis.

Nominatiuus pro uocatiuo.

Et contrà, uocatiuus pro nominatiuo, ut Perſius [Sat.3.] Cenſorémue tuum uel quod trabeate ſalutas. pro trabeatus. &, Macte Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis, apud Horatium [lib.1.ſat.2.] Donatus uerò ait & in illo Terentij [And.act.4.ſc.2.] Vocatiuum poni pro Nominatiuo: Tu modò anime mi noli te macerare. Sed fruſtra, ut mihi uidetur.

Vocatiuus pro Nominatiuo.

Rurſus nominatiuus pro genitiuo, Priſciano autore, ut Liuius [lib.1. decad. 5.] Periti religionum,

Nominatiuus pro genitiuo.

gionum, iurísq; publici, quando duo ordinarij consules eius anni, alter ferro, alter morbo perijsset, suffectum consulem negabant comitia habere posse. Salust. [de coniur. Catilin.] Igitur initio reges (nam in terris nomen imperij id primum fuit) diuersi, pars ingenium, alij corpus exercebant. In hoc tamen genere possunt & alij casus in priori loco poni, ut Plaut. in Cass.* Habet gladium, sed duos, quibus altero te occisurum ait, altero uillicum. pro quorum. Quintil. [lib. 1. cap. 5.] Sed autores alios in ordinem redegerint, alios omnino numero exemerint. Cæterum ubiq; rectius, & magis ex arte, genitiuus in priori loco poneretur. Non infrequens tamen est diuersus usus, & Græcis usitatißimus.

Genitiuus pro ablatiuo.

Genitiuus pro ablatiuo, ut in illo Plinij [libro septimo cap. 29.] quod plané est Solœcophanes, modò rectè scriptum sit: Omnium triumphorum lauream adepte maiorem. pro omni triumpho. Num igitur fortè omißum est, Laureis, fuitq; uetus lectio, Omnium triumphorum laureis laureā adepte maiorem, aut laurea scriptum? Cicer. Attic. [libro 5. epist. 18.] In oppido Antiochiæ. pro oppido Antiochia. Et pro accusatiuo, ut in illo Virgilij [libro 3. Aeneid.] cum similibus: Et celsam Butroti ascendimus urbem. &, [libro primo Aeneid.] Fontem superare Timaui. Esset enim magis ex consuetudine

ſuetudine locutio: Butrotum celſam urbem, & fontem Timauum.

Datiuus pro nominatiuo, uel accuſatiuo, ut Virgil. [lib .1.] At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo. Liuius: [libro ſexto decad. 4.] Scipio,* cui Africano fuit cognomen. Item: [lib. primo. decad.1.] Fauſtulo fuiſſe nomen ferunt. Recta enim locutio in omnibus talibus eſt per nominatiuũ, uel accuſatiuũ, Iulus, Africanus, & Fauſtulum, ut Cicer.* Argentarius Sextus Clodius, cui Spuridion fuit cognomen. Terentius: [in prolog. Hecyr.] Hecyra eſt huic nomen fabulæ. Frequens tamen eſt datiui uſus. De his ſuprà dictum in primo libro eſt. Datiuus pro nominatiuo, uel accuſatiuo.

Datiuus pro genitiuo, ut Virgilius: [libro decimo] Ceruix cui lactea crines Accepit. pro cuius ceruix. Idem in VII. At iuueni oranti ſubitus tremor occupat artus. Ouid. [libro ſecundo Metamorpho.] Ille pater, rectórque deûm, cui dextra triſulcis Ignibus armata eſt. pro cuius. Et illud Terentij in Phorm. [ſce. ultim.] Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nauſiſtrata, et quod tuo uiro oculi doleãt? Niſi Quod, pro, Vt audis. Virgil. [libro primo Georg.] Et cultor nemorum, cui pinguia Cææ Tercentũ niuei tondent dumeta iuuenci. Datiuus pro genitiuo.

Datiuus quoque pro accuſatiuo uarie uſurpatur. Aliâs pro ſimplici, præcipuè poſt infinitum Datiuus pro accuſatiuo.

nitum Esse, ut in talibus, quale est illud Horatij: [in arte] Mediocribus esse poëtis, Non homines non dij, non concessere columnæ. Et Brutus ad Ciceronem: [epist. 16. in libro epist. ad Brutum] Et quis supplicat, ut optime meritis de Repub. liceat esse saluis? Martial. [libro 9.] Nobis non licet esse tam disertis, Qui musas colimus seueriores. Rectũ enim in his est, mediocres, saluos, disertos. ut Quintilianus: [libro quarto capite quarto.] Procuratorem tibi esse non licuit. Terentius: [Heauton. act. 2. sce. 4.] Nam expedit bonas esse uobis. Sed sunt in datiuo ad Græcorum potius imitationem prolata. Aliâs pro accusatiuo cũ præpositione, duntaxat poëtis, sæpißiméq; Virgilio, ut [li. 1. Aen.] It cœlo clamor. Teren. [And. act. 1. sc. 1.] Interea mulier quædam ab hinc triennium ex Andro commigrauit huic uiciniæ. pro ad hanc uiciniam. Donatus aduerbium in loco dicit, Huic uiciniæ: cuius ad locum sit, Huic uiciniam, quod tamen non congruit cum uerbo commigrauit. Hunc Datiuum octauum casum esse Sergius ait. Etiã alio modo cum Apud præpositione, uel Secundum: ut, Pridie Nonas Ianuarias Cæsari Delphinus matutino exoritur. pro apud Cæsarem, uel ut alij græco more sunt locuti, secundum Cæsarem, uel iuxta Cæsarem.

Accusatiuo ꝑ ablatiuo. Accusatiuus pro ablatiuo, ut Horatius in Epod.

Epod. [Od. 5.] Senem quidem* omnes rideant adulterum nardo perunctum, quale nunquam perfectius meæ laborauerunt manus. Hoc modo & nominatiuus pro ablatiuo. Idem in primo Ser. [Sat. 5.] Occurrunt animæ, quales neque candidiores Terra tulit. pro quali, & qualibus. Ponitur enim utrobique relatiuum in ipso casu, quo demonstratiuum Talis (quod Prisciano autore, ubi adiectiuum non præcedit, subauditur) poni deberet.

Ablatiuus pro genitiuo, ut Virgilius [libro primo Georg.] Et iniquo pondere rastri. Et alibi: [libro secundo Georg.] Et acuto robore uallos. De quo genere alibi inter legitimas constructiones meminimus. Item ablatiuus cum præpositione pro genitiuo, ut in illo Terentij [Eunuch. act. 4. sc. 5.] Adibo, atq; ab eo gratiam hanc, quam uideo uelle, inibo: Vbi Donatus, Gratiam ab eo inibo, pro eius gratiam merebor. Nam adeò amat Terentius Ab eo, pro Eius ponere, ut in Andria [actus 1. scen. 1.] Ea primum ab eo animaduertenda iniuria est, id est, eius iniuria. Ablatiuus ꝓ Genitiuo.

Ablatiuus pro Datiuo. Virgilius [libro decimo Aeneid.] Hæret pede pes, densúsque uiro uir. pro pedi. Sunt & qui uoces illas, Senatu, metu, ornatu, ablatiuos pro datiuis positos putent, Ablatiuus ꝓ Datiuo.

tent, ut in illo Virgilij [libro primo AEneid.] Parce metu Cytherea. Cum sint ipsæ potius Datiui à uulgatis genitiuis senatus, metus, ornatus, ut Cæsari ex Gellio [li.4.cap.16.] placet. Non aliter quàm illi Senatui, metui, ornatui, à priscis & exoletis genitiuis Senatuis, metuis, ornatuis. Cuius generis apud Terentium [Heaut. act.2. sc.3.] legitur: Eius anuis caussa. Sic in prima inclinatione antiquus genitiuus finiebatur in as. Ennius: Dux ipse uias. Liuius Andronic. Mercurius, cúmq; eo filius Latonas. Cuiusmodi genitiui ratio in paterfamiliâs & materfamiliâs adhuc durat. In tertia uerò terminabatur in I, præsertim in proprijs, ut Virgilius [lib. 2. Aeneid.] Et uulnere tardus Vlyßi. Cic. [libro 4. in Verr.] In Timarchidi* potestate sociorum populi Romani antiquißimorum atq; amiciss. liberos, matres, bona, fortunas omnes fuisse. In Quinta per es, ij, uel e, exijt, ut: Huius dies, huius dij, huius die. Cic. [pro P. Sestio] Equites uerò daturos illius dies* pœnas. Virgilius [lib. 1. Aeneid.] Munera lætitiámq; dij. Salust. [de bell. Iugur.] Vix decima parte die reliqua. Nec lectorem perturbet, quod quædam ex his ad Anacoluthon retulimus, cum sit diuersa utriusq; loci ratio. Hic namq; accidentium immutatio tantum spectatur, ibi consequutionis à superioribus uariatio.

GENERVM ENALLAGE.

Ex generibus uerò Masculinum pro Fœminino aliquando ponitur, ut: Amaræ cortices, & ualidi silices. pro amari, & ualidæ. Et apud Horatium [Epod. Od. 8.] Et mammæ putres, equina quales ubera. pro qualia. Hoc autem pené Solœcophanes est, utpote dissidente adiectiuo ab eo, cui innititur, appellatiuo. Masculinum pro Fœminino.

Masculinum pro Neutro, ut in illo Quintil. [lib. 1. cap. 10.] Ne miremur, quod ab antiquorum plerisq; Aenea & Anchisa sit dictus. Nisi quis particulam, Nominatiuus, subaudiat. Sunt enim quæ ὀριιῶς dicuntur, omnia Neutra, nec declinata. Itaq; interpretes aliquando Neutrum articulum Græcum ijs præponunt, ut Donatus super illud in Andria [act. 2. scen. 2.] Egóne dicam? τὸ ego, inquit, Emphasin habet. Quæ ratio si in multis seruaretur, non parum claritati conferret. Nos aliquando eiusmodi uoces nota, quæ eum articulum quodammodo repræsentet, à fronte includimus, semicirculo à tergo, ita nimirũ à Parentheseos consuetis notis has distinguentes. Non ignorandũ Oratores rem pro uoce in quibusdam huius generis loquelis libentius usurpare, ut: Virtus à uiro est appellata, potius quàm nomen uirtus est dictum uel deductum à uiro. Cic. [lib. 1. Tus.] Ipse animus ab anima dictus est. Vtriusq; tamen dicendi generis exem- Masculinum pro Neutro.

plum est in illo Ciceronis [lib.3. Tusc.] Ab inuidendo autem inuidentia rectè dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen inuidiæ. Quod uerbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius, ne quis altero tantum modo loqui putet licere.

Neutrum pro Fœminino.

Neutrum pro Fœminino. Teren. in Eunuch. [act. 3. scen. 5.] de ancillis loquens: Continuo hæc adornant, ut lauet. Idem in Phorm. * Hæc illæ erant itiones, Idem in Heauton. [act. 1. scen. 1.] Vel uirtus tua me, uel uicinitas (quod ego in propinqua parte amicitiæ puto) Item in Andria: * Ego quoque unà pereo, quod mihi charius est. pro qui mihi charior sum, ut inquit Donatus. Et Plinius [libro 18. cap. 35.] de tempestatum præsagijs: Nube grauida candicante, quod uocant tempestatem albam, grando imminebit. Et Virgilius [libro 3. Georgic.] de Capris: Hæc quoque non cura nobis leuiore tuenda. Simile his fuerit & illud eiusdem [libro 1. Aeneid.] Hîc illius arma, hîc currus fuit, Hoc regnum dea gentibus esse. Nisi quis pro illo Hoc, aut Hic, aut Hanc scribendum putet, refertur enim planè ad Carthaginem. Nec ignoro hæc, quoniam in diuersis sint sensibus, ad Syllepsin posse referri.

NVMERORVM ENALLAGE.

EX numeris quoque ſingularis pro plurali, ut Saluſt. [de con. Cat.] Interea ſeruitia repudiabat. cuius rei initio ad eum magnæ copiæ concurrebant. pro quorum. Ter. [Heau. act. 2. ſc. 4.] Cuius mos maximè eſt cõſimilis ueſtrûm, hi ſe ad uos applicã. Idem: [Eunuc. act. 2. ſc. 1.] Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? Et Horat. [in arte] At ueſtri proaui Plautinos & numeros & Laudauere ſales, nimiũ patienter utrumq; Ne dicam ſtultè mirati. Et Ouid. [in epiſt. Oeno.] Et fleſti, et noſtros uidiſti flentis ocellos. pro flentium, niſi noſtros pro meos dixeris. Cic. ad Cælium [lib. 2. epiſt. 10.] Vel quia totum negocium non eſt dignum uiribus noſtris, qui maiora onera in repub. ſuſtinere & poßim, & ſoleam. In prima tamen perſona tolerabilius hoc eſt, quòd in ea pluralis pro ſingulari etiam cum gratia frequentißimè poni ſoleat. In ſecunda & tertia non item. Huius generis eſt & illud Plauti [Cap. act. 4. ſcen. 1.] cum ſimilibus. Nominandi tibi iſtorum magis erit, quàm edundi copia. Niſi Diomedis ſententia magis placet, qui participialia uerba certam habere perſonam, aut numerum, aut ſignificatum negat.

Singularis pro plurali eſt & in illo Cn. Pomp. ad L. Domitium: [lib. 8. epiſt. 18. Att.] Aequum eſt me à te impetrare, ut cohortes quæ

Singularis pro Plurali.

ex Piceno & Camerino uenerunt, quæ fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. Sed hoc genus nunc in Archaismon abijt.

Pluralis pro Singulari.

Et Pluralis pro Singulari. Plin. [li. 10. cap. 73.] In Africa maior pars ferarum æstate non bibunt inopia imbrium. Virgil. [libro 1. Aeneid.] Pars in frusta secant. Ouid. [lib. 4. Metamor.] Pars uolucres factæ. Idem in Fast. [lib. 2.] Hoc dedimus nos tibi nomen eques. Sunt qui hæc Syllepses uocant, ut ante est dictum. Cæterum huius generis sunt, & illud Virgilij [lib. 1.] Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Littora iactetur odio Iunonis iniquæ Nota tibi. Vbi Notum potius uidetur dicendum, cum referatur ad sensum. Sensus autem omnino singularis est numeri. Item illud eiusdem: [lib. 8.] Fulmen erat toto genitor quæ plurima cœlo Deijcit in terras. Et Cicero pro Milone: Si tempus est ullum iure hominis necandi (quæ multa sunt) certè illud est non modò iustum, uerumetiam necessarium, cum ui uis illata defenditur. Et Terent. in Eunuch. [act. 1. scen. 2.] Eunuchum dixti uelle te, quia solæ his utuntur reginæ.

PERSONARVM ENALLAGE.

PErsona quoq; permutatur, sed minus usitatè: ut, Danai qui parent Atridis, contra Priamum

Priamum arma sumite. Cui tamen non ualde dissimile uidetur illud Virgilij [Eclog. 7.] Muscosi fontes & somno mollior herba, Et quæ uos rara uiridis tegit arbutus umbra, Solstitium pecori defendite. Aliter quoq; fit mutatio personæ, sed tolerabilius, ut Terent. in Phorm. [act. 1. scen. 2.] Si quis me quæret rufus, præstò est, desine. pro præstò sum, nam de se loquitur. Personæ Enallage est & in illo: Dij faciant sine me non moriatur ego.

MODORVM ENALLAGE.

FRequentißima tamen in omni ueterum lectione est immutatio modorum. Nam Finitiuũ pro Imperatiuo legimus, ut Itis, paratis. pro ite, parate. Et Indicatiuum pro Potentiali, maximè in præterito imperfecto, ut: Virg. [lib. 2. Georg.] Et si non alium latè iactaret odorem, Laurus erat. pro esset. Plinius 8. Figura & magnitudo erat lacerti, nisi crura essent recta, & excelsiora. Idem 18. de Erisimo: Idémq; erat, nisi pinguius esset. Et pro subiunctiuo. Cic. ad Attic. [lib. 5. ep. 1.] Dices quid? quasi isthuc erat magnum. pro esset. Finitiuus pro Imperatiuo.

Rursus Futurum Indicatiui pro Imperatiuo. Cicer. ad Trebat. [libro 7. epist. 21.] Sed ualebis, meáque negocia uidebis, méque dijs adiuuantibus ante brumam expectabis. pro uale, uide, expecta. Futurum Indicatiui pro Imperatiuo.

Imperatiuus pro futuro indicatiui.

Contráq;, imperatiuus pro futuro indicatiui. Virg. [Eclog.7.] Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto. pro aureus eris. Et Ouid. in Metam. [lib.1.] Dent ocyus omnes, Quas meruere pati, (sic stat sententia) pœnas. pro dabunt, nisi potentialem dicas, pro debent dare, qui tamen Isodynamos est futuro.

Imperatiuus pro optatiuo.

Rursus Imperatiuus pro Optatiuo, ut Virg. [lib.3. Aeneid.] Viuite felices quibus est fortuna peracta Iam sua. pro uiuant. Qua interpretandi ratione non erit Enallage in Sua.

Subiunctiuus pro imperatiuo.

Subiunctiuus quoq; pro Imperatiuo, cum alibi, sicut prædictum est, ut Terent. [And. act.3. scen.4.] Quiescas. Tum ubi imperatiuus deest præcipué, ut uelis, malis.

Subiunctiuus uel potentialis pro indicatiuo.

Et subiunctiuus, uel potius potentialis pro indicatiuo, ut in quotidiano usu, Vellem adesset, nollem abesset. Ouid.*Nunc uellem formosa forem. pro uolebam. Nulla enim ratio est, cur subiunctiui sint, aut optatiui huiusmodi uoces. Ne in illo quidem Virgil. [lib.2. Aeneid.] Hoc Ithacus uelit: quod Quintilianus pro uellet exponit. Donatus autem in illo Terentij [Adel. act.4. scen.5.] Ita uelim me promerentem ames: Velim inquit antiqué, pro uolo.

Infinitus modus gro præ-

Praeterea infinitus modus pro præterito imperfecto finitiui, ut Teren. [And. act.1. scen.1.] Facile

Facilé omnes perferre, ac pati, cum quibus erat cunq; unà. pro perferebat, & patiebatur. Idem [Ead. scen.] Ego illud sedulò negare factum. quod tamen Prisciano atque etiam Quintiliano per defectum uerbi Cœpit, exponitur, ut: Cœpi negare, ut Virg. [lib. 2. Aeneid.] Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri Spes Danaûm. Hanc figuram historicã uocat Seruius, sed usurpatur & ab oratoribus aliquando, ut Cic. [lib. 1. de Orat.] Galba autem alludens uarié & copiosé, multas similitudines afferre, multáq; pro æquitate contra ius dicere. Interdum uerò uidetur infinitum pro præterito perfecto poni, ut Terentius in Adelph. [act. 1. scen. 1.] Ille contrà hæc omnia, ruri agere uitam, semper parcé, ac duriter se habere. pro eo quod est egit, habuit: Nam & sequitur, uxorem duxit, nati filij duo sunt. Et in Phorm. [act. 2. scen. 1.] Itáne tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo? Nec meum imperium (age mitto imperium) non simultatem meam reuereri? pro reueritus est. Etiam pro supino in Sum, uel Tum. Terentius [Phorm. act. 1. sc. 2.] Vultísne eamus uisere? Sed hoc Græcum est.

Infinitum pro præterito imperfecto finitiui.

TEMPORVM ENALLAGE.

Tempus uerò pro tempore positũ frequentissimé inuenias. Nam & præsens pro imperfecto & perfecto, tam in prosa quàm in uersu

Præsens pro imperfecto et perfecto.

ſu poſitum legas, maximè cum rem quaſi geri, & ſub oculis poni ſtudemus. Vnde Energia Grammaticis dicitur. Terent. [And. act. 1. ſcen. 1.] Accedo ad pediſſequas, quæ ſit rogo, ſororem eſſe aiunt Chryſidis. pro acceßi, rogaui, dixerunt. Virgil. [lib. 3. Aen.] Et omnis humo fumat Neptunia Troia. pro fumauit. Idem in Quarto: At regina graui iamdudum ſaucia cura, Vulnus alit uenis, & cæco carpitur igni. pro alebat, & carpebatur. Idem [lib. 2.] Quintiliano teſte: Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ. pro mercarentur. Et poſt continuatiuas Si & Niſi, etiam eleganter, ut Idem [lib. 1. Aeneid.] Ni faciat maria, ac terras, cœlúmque profundum, Quippe ferant rapidi ſecum, uerrántq; per auras. pro faceret, ferrent, & uerrerent. Plin. de Erinacijs [lib. 8. cap. 37.] Si non ſint illi aculei, fruſtra uellerum mollities in pecude mortalibus data. pro ſi non eſſent. Terent. [And. act. 2. ſc. 1.] Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. pro eſſes, & ſentires. Talia uidentur & illa paßim uſurpata, Quid facias, & quid faciat. Sic uidetur & imperfectum pro pluſquàmperfecto in Adelphis poni, ut: [actus 1. ſcen. 2.] Nam ſi eſſet, unde id fieret, faceremus. pro fuiſſet, & feciſſemus. Etiam perfectum pro pluſquàmperfecto, ut Virg. [lib. 2. Aeneid.] Et ni mea cura reſiſtat, Iam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit

Energia.

Imperfectum pro pluſquam perfecto.

Perfectũ pro pluſquamperfecto.

ſerit enſis. ubi tulerint pro tuliſſent poſitum eſt. Sic Liuius [in præfat. bel. Macedon.] Me quoq; iuuat, uelut in parte fuerim laboris. Præſens pro futuro, præſertim in infinitis. Virgil. [lib.1.] Progeniem ſed enim Troiano à ſanguine duci Audierat. pro ducendam eſſe. Item aliter, ut Seneca in nat. quæſtioni.* His hoc nomen imponimus, ac facio quod Virgilius, qui dubitat de nomine? Deinde id de quo dubitauit, poſuit. Item præteritum pro futuro, ut in illa dicendi figura, qualis eſt Hannibalis apud Liuium: Si tales animos in prælio habebitis, quales hîc oſtenditis, uicimus. Et Quint. [decla.3.] Si tales milites omnes habemus, mari uicimus.

Præſens pro futuro in infinitis.

Præteritum pro futuro.

Cæterum præteritum perfectum pro imperfecto adeò frequenter, ut niſi cum rem inchoatam nec abſolutã ſignare ſtudemus, translatitiè ferè pro eo poni uideatur. Quod liquidò in narratione illa Thaidis in Eunuch. [act. 1. ſcen.2.] perſpicienti patet: Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi. Et mox: Ibi tum matri paruulam puellam dono quidam mercator dedit. Et paulò pòſt: Matris nomen & patris dicebat ipſa: patriam, & ſigna cætera neq; ſciebat, neq; per ætatem tum potuerat. Mercator hoc addebat. Et iterum: Sororem pleriq; eſſe credebant meam. Ego cum illo quo cum uno rem habebam tum hoſpite, abij huc, qui mihi reliquit hæc quæ

Præteritum perfectũ pro imperfecto.

habeo omnia. Et post pauca: Interea miles qui me amare cœperat, in Cariam est profectus, te interea loci cognoui. Et iterum: Forte fortuna affuit hic meus amicus. Quid autem Eunuchum legentes remitto? quasi non in ipsa prima scena Andriæ narratio Simonis clarißimè quod hîc præcepimus, ostendat. Ponitur & pro præsenti, sed Poëtis duntaxat, ut Virg. [li.2. Aeneid.] Quanquam animus meminisse horret, luctúq; refugit. Et aliter præteritum perfectum pro futuro, maximè in potentiali modo, ut in talibus: Terent. in Hecyr. [act.3.scen.4.] Deniq; hercle aufugerim potius, quàm redeam. Quo loco Donatus coniunctiuum dicit pro indicatiuo positum futuro, uel ut alij dicunt, promißiuo. Et in Heaut. [act.2.scen.3.] In mea uita tu tibi laudem is quæsitum scelus. Vbi si paululum modò quid te fugerit, ego perierim. Et in Adel. [act.2.sc.4.] Obsecro hercle hominem istum impurißimum quamprimum absoluitote, ne si magis irritatus siet, aliquâ ad patrem hoc permânet, atq; ego tunc perpetuò perierim.

Præteritum perfectum pro futuro.

Plusquàmperfectum pro imperfecto. Cic. ad Att. [lib.2.epist.24.] Fit senatusconsultum, ut Vectius quod cõfessus esset se cum telo fuisse, in uincula conijceretur: qui emisisset cõtra Remp. esse facturum. pro qui emitteret. Cæsar Comment. [lib.1. bell. Gall.] Nonnulli etiam Cæsari nuncia-

Plusquàmperfectum pro imperfecto.

nunciabant, cum castra moueri, aut signa ferri iußisset, non fore dicto audientes milites.

Fore pro esse.

Huc spectat & quod Fore quoq; pro Esse legitur, ut Cic. ad Att. [lib.5. epist.22.] Addis si quid secus, te ad me fore* uenturum. Cum alioqui ut notat Valla [li.1.ca.28.] huic infinito participium subijci non liceat, quod participium in se includat: ac sicubi subiectum legi uidetur, ibi nominis uice ponatur, ut Cicero: *Spero amicitiam nostram notam posteritati fore. Et in illo Cæsaris [li.1.bel.Gal.] Non fore dicto audientes milites. In his Notam, et Audientes, nominum uice funguntur, ut etiam docet constructio cum datiuo. Affore quoq; compositum pro præsenti accipi in illo Ciceronis ad Sulpitium uidetur [li. 4.epist.6.] Quo magis te expecto, téq; uidere quamprimum cupio, maior mihi ratio affore nulla potest, quàm coniunctio consuetudinis, sermonúmq; nostrorum.

Affore.

Futurum uerbum cum futuro participio coniunctum.

Porrò legitur nonnunquam & futurum uerbum cum futuro participio coniunctum, in quibus Enallage est uel participij, uel certe uerbi. Ouid. [lib.9.Metam.] Si quis tamen Hercule, si quis Forte deûm* doliturus erit. Idem [lib.2.de arte.] Tu procul absenti cura futurus eris. Propert. [lib.4.ad Paul.] Et si quid doliturus eris. Mart. [lib.14.] Mergite me fluctus, cum rediturus ero. Rursus Ouid. [lib.2.de arte.] Ensifer

ſer Orion aſpiciendus erit. Idem [lib. 2. de remed.] Huic pater ante oculos durus habendus erit. Cic. ad Attic. [lib. 12. epiſt. 4.] Tu tamen ſi quid cum Silio uel ipſo die, quo ad Sicam uenturus ero, certiorem me facias.

Sunt & aliæ nõ paucæ ſermonis formulæ, in quibus legitima & naturalis emendatæ ſtructuræ ratio in genere & numero ad unguem non ſeruatur, maximé ubi inter appellatiua, quæ idem aliquo pacto ſignificant, uerbum ſubſiſtendi uocandíue intercedit: in quibus cum ratio uerbum, participium, & relatiuum ad prius referenda poſtulet, uſus etiam ad poſterius ſubinde refert. Verbum quidem, ut Terent. [And. act. 3. ſc. 3.] Amantium iræ amoris redintegratio eſt. Et Ouid. [lib. 2. Amo. eleg. 4.] Siue aliqua eſt oculos in me deiecta modeſtos, Vror, & inſidiæ ſunt pudor ille meæ. Idem [lib. 3. de arte.] Veſtes quas geritis, ſordida lana fuit. Plin. [lib. 18. cap. 11.] Iuſtum erat duæ libræ in quinq; ſemodios. In hoc genere ſunt, qui notent uerbum ad id quod proximé ipſum præcedit, quamuis in ordinando ſenſu poſt ſit ponendum, aptari debere, ut in iam dictis exemplis. Sed huic obſeruationi reclamare uidetur illud Liuij [li. 1. ab urbe.] Patres certe ab honore, Patricijq; progenies eorũ appellati. In prima quoq; appoſitione ſimilis legitur generis, itémq; numeri Enallage,

ge, ut in illis Plinij [libro 31. cap. 2.] Tungri ciuitas Galliæ fontem habet insignem. &, [lib. 2. cap. 52.] Vulsinij oppidum Thuscorum opulentißimum, totum concrematum est fulmine. Participium uero ad posterius refertur, ut in illo Terentij:* Nunquam æquè paupertas onus uisum est mihi graue, & miserum. Relatiuum uerò, ut Salust. [De con. Cat.] Est locus in carcere, quod Tullianum appellant. Et Cic. [pro P. Sextio.] Tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus. Et Liuius [lib. 4. dec. 1.] Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt, urbs prona in paludem. Quint. [lib. 1. cap. 6.] Nec miretur, cur ex scamno fiat scabellum, aut à pinna, quod est acutum, securis utrinq; habens aciem bipennis. Idem [lib. 1. cap. 10.] Accentus, quas Græci Prosodias uocant. Virg. [lib. 7.] Hic subitam canibus rabiem Cocytia uirgo Obijcit, & noto nares contingit odore, Vt ceruum ardentes agerent, quæ prima malorum Caussa fuit.

Has sermonis formulas, quod in promtu credo non erat, ad quas maxime figurarum species referrent, ueteres (quod sciam) in incerto reliquerunt. Nobis uel propter examinis methodum, quam latinæ linguæ tyronibus huic operi subijcere destinauimus, ad certum locum reuocandæ sunt uisæ. Itaq; quod commodißimum est uisum, in accidentium Enallagen ea retulimus, ut sit

ut sit in alijs numerus pro numero, in alijs genus positum pro genere.

In illis uero Teren. [Eunu. act.1.sce.1.] Cum similibus: Et quod nunc tute tecum iratus cogitas: Egóne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modò, mori me malim, sentiet qui uir siem. Hæc uerba una me hercle falsa lacrymula, quam oculos tergendo* miserè, uix ui expresserit, restinguet. Et: [And. act.1.sce.1.] Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad uenandum, aut ad philosophos: horum ille nihil egregie præter cætera studebat. Duplex ratio est. Nam uel Synestrammenon facias, éstque sic Enallage singularis pro plurali in relatiuo, ut sit quod, pro quæ nunc tute tecum iratus cogitas. &, Quæ plerique omnes faciunt adolescentuli. Vel Epanalepsin, cum ita concinnes sermonem, ut sit duplex figura: Eclipsis, subaudito pronomine demonstratiuo, Illud: Et Epanalepsis, resumto diuersis uerbis quod prius erat positum, hoc pacto: Illud quod nunc tute tecum iratus cogitas. Egóne illam &c. Hæc uerba, & illud, Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant &c. horum ille nihil egregie præter cætera studebat.

Anaco-

ANACOLVTHON.

DE Anacolutho, quod huc distulimus, scire licet Grammaticorum sententia id tum accidere, cum ab ea quæ ponitur in protasi, dißidet uox, quæ adhibetur in apodosi. Sicut notat Donatus in illo Terentij: [Eunuch. act. 4. scen. 7.] Omnia prius experiri, quàm armis sapientem decet. Vbi ait ἀνακόλουθον esse armis, pro arma. Item in illo Eunuch. [scen. ult.] PHAED. Cur ergo in his ego te conspicor regionibus? THRAS. Vobis fretus. Anacoluthon esse ait, & uitiosa ratio est. Est Anacoluthon & in illo Columellæ [libro 2. cap. 2.] Nullum enim temere uidemus locum, qui modò pigrum contineat humorem, non eundem uel nigrum, uel cinerei coloris. Nec minus in illo Terentij [Hecyr. act. 3. scen. 1.] Nos omnes quibus est alicunde aliquis obiectus labor, omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est.

DE VARIIS IN EADEM ORATIONE FIGVRIS.

HAs simplices figuras quisquis recte perceperit, facilè deprehendet, sicubi binæ, ternæúe coierint. Nos exempli caussa paucas delibabimus. Incidunt pariter in eundem sermonem Eclipsis & Syllepsis, ut in illo Virgilij [libro 1. Aen.] Vnde hominum genus, & pecudes, unde

imber

imber & ignes. Est enim Eclipsis uerbi Sum. Quod tamen nisi mutatum, accommodari quatuor diuersis non potest. Quæ ratio Syllepseos est. Nã siue Sit subaudias, non respondebit pluribus, siue Sint, nõ conueniet cum singularibus.

Prolepsis quoq; ipsa multæ planè sunt figuræ. Nam & Eclipsis in ea coniunctionis est, ut dictum suo loco est, & sæpe Anastrophe, uel Hyperbaton, ut cum genitiuus præponitur dictioni, quæ in eum transit: & Zeugma, uel Syllepsis, semper cum quod in partibus desideratur, à priore petatur.

In illo quoq; Salustij triplex non minus figura est: Igitur initio reges (nam in terris id nomen imperij primum fuit) diuersi, pars ingenium, alij corpus exercebãt. Nam & Enallage in illo Reges pro regum, & præter Prolepsin etiam Syllepsis in uerbo Exercebant. Accidit autẽ Prolepsis cum alia Syllepseos ratione in illo Terentij [Adel. act. 1. sc. 2.] Verũ Demea curemus æquam uterq; partem, tu alterum, ego uerò alterum. Refertur enim illud Alterum, ad rem, nõ ad uocem. Cum Prolepsi uerò etiã Eclipsis alicuius generalis uerbi in illo Virgilij deprehenditur: [li. 12. Aen.] Continuo reges ingenti mole Latinus Quadrijugo inuehitur curru &c. Bigis it Turnus in albis etc. Tum pater Aeneas Romanæ stirpis origo, Et iuxta Ascanius magnæ spes altera

tera Romæ. Simul enim cum illo Reges, audiendum est uerbum Procedunt, uel tale quippiam.

Iam in illo quoq; Terentij [Eunuc. scen. ult.] Scin' me in quibus sim gaudijs? notat Donatus duplicem figuram: Syllepsin, quod pronomen ad Scis declinatum est, non ad Sim: Archaismon, quod huiusmodi elocutio iam inueterauit, & quasi exoleuit. Mihi tamen Hellenismon esse magis placet, quàm Archaismon, cum sit Græcis sermo talis familiarißimus, ut post dicemus. Duplex figura est & in illo Horatij [lib. 1. sat. 4.] Fuluius acer Ambulat & Caprius rauci, nempe Syllepsis & Zeugma.

HELLENISMOS.

RESTABANT tradenda duo, Hellenismos & Archaismos (quorum uterq; à trita Romanis emendatæ structuræ ratione nonnihil deflectitur) nisi mihi posterioris generis illustrium grammaticorum Festi, Nonij, Donati, & Seruij diligentia laborem demeret, qui ferè quicquid huiusce figuræ apud uetustißimos eorum, qui extent, Plautum, Terentium, Ciceronem & Virgilium legitur, studiosè notarunt. De reliquis enim, qui uel non extent, uel si extent, ad stylum latinum efficiendum non multum conferunt (quandam de ijs quoq; memorati Grammatici curam habuerūt) quid attinet esse solicitos? De altero, cuius illi minus meminerunt, quoq; au-

tores, qui habentur, frequentißimè utuntur, potius quæ succurrunt, sed ad constructionem duntaxat pertinentia, age nonnulla delibemus.

Græcæ constructiones sunt, in quibus dictio non ei casui iungitur, quem Latina proprietas exigit, sed Græca, quales sunt illæ, Virg. [lib. 2. Georg.] Cui nec certauerit ulla. Et Ouid. Dum nouus est etiam* cœpto pugnemus amori, pro cum qua, & cum amore. Sic enim Græci, Ἀριστοφάνης, [in Pluto.] Ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαί σοι. Præterea Horatij: Desine curarum, pro à curis. Græcè enim, Λῆγε τοῦ πόνου, ait Isoc. Eiusdem Horat. [lib. 1. epist. 16.] Alium sapiente bonoq́;. Sic Græci, Ἄλλον τε σοφοῦ καὶ ἀγαθοῦ τε. Nam Latini alium à sapiente dicunt. Item Cicer. [de Orator. libro 1.] ad Quint. frat. Nam quod inertiam accusas adolescentium. Et Aemil. Prob. in Lysan. In quo accuratißimè eius auaritiam perfidiámq; accusarat. Sic enim Græci, Isoc. Μηδὲ καταγνῶς τῶν ἀνθρώπων τοσαύτην δυστυχίαν. Idem: Οὐκ ἔστιν ὅστις οὐκ αὐτὸς αὑτοῦ καταγνώσεται τὴν λεγίστην ζημίαν. Nam Latinè, accusas adolescentes inertiæ, &: Accusarat eum perfidiæ, potius diceretur. Item Horatius: [libro 3. Od. 31.] Agrestium regnauit* populorum. Græci, βασιλεύω σοῦ. Thucydid. Ἐπὶ Κύρου Περσῶν πρώτου βασιλεύοντος. Et statim post, ὃς μετὰ Καμβύσιν

περσῶν

περσῶν ἐβασίλευσε. Nobis enim absolutum est. Et Terentius: [Adelph. act.3.scen.4.] Vt uobis decet. Græcè, ὡς πρέπει ὑμῖν. Latinè enim, decet uos dicitur. Xenophon Apologia: ὥστε πρέπουσαν φαίνεσθαι τὴν μεγαληγορίαν αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ. Lucian. οὐ δὲ πρέποντα σεαυτῷ.

Ad Græcam etiam formam figurata constructio est, & quoties in masculino præsertim, uel fœminino, ex intransitiua fit transitiua, appellatiuo in genitiuum pluralem mutato, & adiectiuo genus ab eo sortiente, ut Plinius: [libro 9. cap.51.] Plani piscium, quibus cauda non obest. Idem: Surdis etiam rerum sua cuique sunt* remedia. Idem: [lib.11. cap.37.] In capite paucis animalium nisi uolucribus apices. Idem: [eod libro cap. 50.] Canum degeneres caudam sub aluum reflectunt. Idem: [lib.8.cap.48.] Nigræ lanarum nullum colorem bibunt. Sic Græci. Isocrat. Αἰσχρὸν τοὺς μὲν γραφεῖς ἀπεικάζειν τὰ καλὰ τῶν ζώων, τοὺς δὲ παῖδας μὴ μιμεῖσθαι τοὺς σπουδαίους τῶν γονέων. Græca Metabasis & illa est, omnibus ferè uerbis communis, quam Græci κατ᾽ ἔλλειψιν uocant. Virg. [libro 11. Aeneid.] Nec ueterum memini, lætorúe laborum. Cui simile est illud eiusdem: [eodem libro] Quas illi læta laborum Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido Fecerat. Item: [eodem libro.]

Iustitiæne prius mirer, bellíne laborum? Supplendum enim utrobiq; est, ut sit caussa laborũ, caussa iustitiæ. Sic illi Plutarch. Aristide, τοῖς μὲν πολεμίοις συγγνώμην ἔχειν φάσκοντες, εἰ πάντα πλούτου καὶ χρημάτων ὤνια νομίζοιεν. Xenoph. pædia Cyri, Ἐγὼ τοίνυν ἔφη ὁ Τιγράνης, εἰ μὲν ἄγασαι τοῦ πατρὸς, ἢ ὅσα βεβούλευται, ἢ ὅσα πέπραχε τοῦ δοκεῖν πάντα ἡμαρτηκέναι, πάνυ σοι συμβουλεύω τοῦτο μιμεῖσθαι. Huc spectat & illud Salustij in Iugurth. *Quæ postquam gloriosa modò neq; belli patrandi cognouit.* Vbi Priscianus [libro 18.] Caussa, subaudit.

Græca non minus constructio est, & quam Latini post uerba, quæ in infinitum non feruntur per defectum Vt finalis, per infinitum tamen eloquuntur, sed quod per Vt est interpretandum, ut illa est Persij: [Sat. 2.] *Et pectore læuo Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.* Similiter post adiectiua, ut Virgil. [lib. 3. Georg.] *Pestis acerba boum, pecoriq; aspergere uirus.* In talibus enim auditur, Vt pro Ὥστε, quod apud Græcos infinito sæpißimè iungitur. Isocr. πρὸς Νικοκλέα, Καὶ γάρ τοι κύριοι γενόμενοι καὶ χρημάτων πλείστων καὶ πραγμάτων μεγίστων διὰ τὸ μὴ καλῶς χρῆσθαι ταύταις ταῖς ἀφορμαῖς πεποιήκασι, ὥστε πολλοὺς ἀμφισβητεῖν πότερόν ἐστιν ἄξιον ἑλέσθαι τὸν βίον τὸν τῶν ἰδιωτῶν

τῶν

τῶν μετρίως δὲ πραττόντων, ἢ τὸν τῶν τυραννευόντων. Latinum enim potius ſit, Vt lætetur, Vt aſpergat. Huc ipſe cum Seruio & illa Virgilij referenda putem: [lib. 1. Aene.] Dederatq; comas diffundere uentis, &: [lib. 9.] Ille ſuo moriens dat habere nepoti, &: [lib. 5.] Magnum dat ferre talentum. Niſi Quintil. & poſt eum Donatus in poſtremo Enallagen facerent uerbi pro participio, ut ſit: Dat ferendum. Seruius tamen nobiſcum græcam ait figuram, pro ut diffunderentur, uel potius ut ipſe interpretor, ut diffunderent ſe. Ἀριστοφάνης, [in Pluto] Εἴ μοι πορίσας ἄρτον τίν' εὖ πεπεμμένον, δοίης καταφαγεῖν. Theocrit. [Idil. 4.] Βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν. Et in his quidem tacetur particula Vt. In illo uero Horatij [libro 1. Od. 11.] uidetur adhibita: Tu ne quæſieris ſcire nefas, quem mihi, quem tibi Finem Dij dederint Leucothoë, neu Babylonios Tentaris numeros, ut melius quicquid erit, pati, pro ut melius quicquid erit, patiaris. At in illo Terent. in Adelph. [act. 2. ſcen. 3.] Itaq; unam hanc rem habere me præter alios præcipuam arbitror, fratrem hominem neminem eſſe primarum artium magis principem. Videtur Vt particula ſubaudienda, ſed apoſtaticôs, non telicôs, ut ſit ſenſus, Fratrem talem, ut nemo homo ſit magis princeps primarum artium.

Eclipsis Græca.

E Græco & illa Eclipsis accepta est, qua passim pro particularibus utimur: Est qui, Sunt qui, Est quando, Est ubi. Horat. [lib. 1. Od. 1.] Sunt quos curriculo puluerem Olympicum Collegisse iuuat. Et iterum: Est qui nec ueteris pocula Maßici. Dicunt enim Græci, Ἔστιν ὃς, & εἰσὶν οὓς, & ἔστιν ὅτε, & ἔστιν οὗ. Etiam illa: [Virgil. lib. 6.] Deiphobe Glauci, &: [lib. 3.] Hectoris Andromache, pro Glauci filia, & Hectoris uxor. Hoc genere (Seruio autore) circa patres & maritos duntaxat utimur. Græci, Aristoph. [Nebul.] Ἔπειτ' ἔγημα Μεγακλέους τῶ Μεγακλέους ἀδελφιδῆν. Aliquando tamen uidetur & ad seruos referri, ut Terentius: [And. act. 2. scen. 2.] Forte huius uideo Birriam.

Græca Eclipsis est, & cum in citandis autoribus ablatiuo utimur sine In præpositione, ut Terentius Eunucho, Virgilius Aeneide, Plautus Milite. Quod genus loquendi frequens est cum apud alios, tum maxime apud Nonium Marcellum. Sic enim Græci. Plutarch. in Parallelis: Ὡς ἱστορεῖ Κριτόλας τρίτῃ ἠπειρωτικῶν. Ὡς Θεότιμος δευτέρῳ μακεδονικῶν. Ὡς Ἀριστείδης ἐν νεακαιδεκάτῳ ἰταλικῶν. Græcam esse figuram affirmat Seruius etiam in illis elocutionibus: [Virg. li. 1. Aen.] Expleri mentem nequit, &: [Ibidem] Os humerósque deo similis. Item [lib. 4.] Omnia Mercurio similis, uocemq́; colorémq́;

coloremq́;, & : [lib.1.] Nuda genu, &: [eodem libro] Faciem mutatus & ora. Cum sint ad similes Græcas affictæ, in quibus deest præpositio κατὰ Latine enim per ablatiuum potius loquimur, ut Martial. [lib.12. ad Candidum] Ore tener, latus pectore, crure glaber. Græci per accusatiuum & præpositionem subauditam, ut Isocrat. Ἀλλ᾽ ὅπως τὰ τῶν τρόπων ἤθη σπουδαῖοι πεφυκέναι δόξουσι. Et Theocritus: [Idil 28.] Μορφῇ μὲν ἀγαθῷ, τὸν δὲ τρόπον οὐκ ἔθ᾽ ὁμοίῳ. Ex hac, quod in ea plerunque proprietas partis toti tribuitur, præbita est neotericis erroris occasio, ut quod in structuræ ratione hîc nouatur, Synecdochen appellarent, cum sit in Græcis Synecdoche Tropi species, non Lexeos figura. Idem Seruius ait hanc rem poëtarum propriam. Reperitur tamen & apud Historicos. Pompon. Mel. de priscis Britannis: [libro 3.] Vltro corpora infecti. Idem alibi: [libro 2.] Sarmatæ totum brachati corpus, & nisi qua uident, ora tecti. Mihi quoq; accusatiuus adiectiuorum nominum, quæ ad quantitatem referuntur, ad eundem modum per Eclipsin græco more positus uidetur: Multum, paulum, paululum, nimium, minimum, plurimum, aliquid, quippiam, aliquantulum, quantum. Addantur his, Cæterum & cætera, præcipuè cum uel comparatiuis iunguntur, ut Terentius: [Eunuch. actu 1. scena 2.]

Eius frater aliquantulum ad rem est auidior. Et Quint. [lib.12.cap.9.] At quidam si forte susce perint negocia paulum ad dicendum tenuiora. Valer.Max. [lib.4.cap.1.] Quantum domo inferior, tantũ gloria superior euasit. Varro: Praxiteles propter artificium egregium nemini est paulum modò humaniori ignotus. Vel ijs uocibus, quæ comparatiuorum uim habent, ut Virg. [li.12.] O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci Virtute exuperas. Vel supra necessarias uerborum transitiones adhibentur, ut Cice. pro Plancio: Quoniam istis uestris lacrymis, de illis recordor, quas pro me sæpe & multum profudistis. Virgil. [lib.2. Aeneid.] Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore. Terent. [And.act.2.sce.6.] Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ? Columell. [lib.1.cap.6.] Circa uillam deinceps hæc esse oportebit, furnum & pistrinum, quantum futurus numerus colonorum postulauerit, piscinas minimum duas. Plin. de canibus: [lib.8.cap.40.] Ferunt 70. diebus, & plurimum tribus mensibus. Et de ursis:* Pariunt plurimum quaternos. Pro hoc uulgus Vt plurimum dicit, Græcorum more, qui Ως ἐπὶ τὸ πλεῖστον dicunt, sicut & ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, quod ad consuetudinem etiam refertur. Eodem modò & Quid usurpatur, licet ad quantitatem non referatur. Quint. [decl.6.] Quid tibi tantum mali feci?

feci? Quid offendi? Teren. [*Eunuch. act. 2. sc. 2.*] Homini *homo quid præstat?* In quibus Laurentius Quid pro in quo *accipit*. Quomodo etiam Græci τὶ pro κατά τι. *Aristophan.* [Pluto] Τοῖς δ' ἐμβαδίοις τί χρήσεται ὡς εἰπέ μοι. Demosthenes: τί δὲ χρησόμεθα ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τούτῳ. Aliquando *simile* quid in pronomine *accidit*. Cice. [*de amic.*] Hoc *præstat amicitia* propinquitati. Terent. [*Adelph. act. 1. scen. 1.*] Hoc *pater ac dominus interest*. Nec *obstet huic sententiæ*, quod Idiomatis *uerborum de* Interest, *aliter præcepimus*. Et Cicer. Scipio *Africanus id ætatis, atq; ijs rebus gestis*. Et Virgil. [*Eclog. 4.*] *Téque adeò decus hoc æui te consule inibit*. Terent. [*Heautont. act. 1. sce. 1.*] Ego *istuc ætatis non amori operam dabam*. *Nisi duo posteriora temporis esse accusatiuos mauis*. In illis *uerò, Multum uigilo, plurimum ambulo, transitionem uerborum, ut alibi diximus, explent, nec ulla opus est præpositione subaudita*. Declarant *ea, quæ suprà diximus accusatiuos esse potius quàm aduerbia, quòd etiam aliqua ex ijs in multitudinis numero leguntur*. Virgilius [*lib. 3.* Georg.] *Multa gemens ignominiam, plagásque superbi* Victoris. Liuius: [*lib. 1. ab urb.*] Ergo *uirum, cætera egregium, secuta, quàm in petendo habuerat, etiam regnantem, ambitio est*. Plinius: [*lib. 8. capit. 15.*] Tradunt *in Misia feram*,

quæ Bo*nasus uocetur, equina iuba, cætera tauro similem.* Græci. Plutarchus in Cicer. Πολλὰ ἀντιόχου παρακελευομένου τοῖς κοινοῖς ἐπιβαλεῖν πράγμασι. Et in uita Ant. Ἦν δὲ καὶ τὰ πολλὰ ῥωμαίοις ἐπαχθὴς ἡ τῶν τριῶν ἀρχή. Sic *etiam dicunt uulgo* μέγα, & μείζω φρονεῖν. *Isocrates*, πλεῖστα ὠφελῆσαι δυνηθῶσι. *Idem in* Areopag. Οὐ τοῖς τείχεσι μέγιστα καὶ κάλλιστα περιβεβλημένοις. *Et statim post*, Ἀλλὰ τοῖς ἄριστα καὶ σωφρονέστατα τὴν αὐτῶν διοικοῦσιν. *Græca mihi uidetur* Eclipsis *& in illo* Quintiliani *in primo*, [*capite* 20.] *de quo alibi diximus: Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Quis nō obtundi poßit, si per totum diem cuiuscunque artis unum magistrum ferat? mutatione recreabitur, sicut in cibis, quorum diuersitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur: aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi. Videtur enim deesse sermoni, si non ita est, ut sit, aut si ita non est, dicant mihi.* Sic Græci. Demosthenes Olynth. Καιροῦ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι πρὸς τοῦτο πάρεστι Φιλίππῳ τὰ πράγματα. ἢ παρελθών τις ἐμοὶ, μᾶλλον δὲ ὑμῖν, δειξάτω ἢ ὡς οὐκ ἀληθῆ ταῦτ᾽ ἐγὼ, ἢ ὡς οἱ τα πρῶτα ἐξηπατημένοι τὰ λοιπὰ πιστεύσουσι αὐτῷ. Eclipsis *uerò illa* Cæcilij Plinij *ad* Calestinum Tyronem: [*libro* 1. *Epist.* 12.]

Increuerat ualetudo, quam temperantia mitigare consueuit, tentauit, perseuerantem constantia fugit. Iam dies alter tertius quartus abstinebat cibo &c. ad illam Demosthenis formata uidetur. Demosthenes, καὶ μετὰ ταῦτα διελθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ τούτου, ἑκατομβαιῶν, μεταγειτνιῶν, βοηδρομιῶν, τούτου τοῦ μηνὸς μόλις μετὰ τὰ μυστήρια δέκα ναῦς ἀπεστείλατε ἔχοντα χαρίδημον κενὰς καὶ πέντε τάλαντα ἀργυρίου.

Eclipsis Græca est & in illo Terentij in Adelph. [act. 5. scen. 3.] Ne nimium modò bonæ istæ tuæ nos rationes Mitio, & tuus iste animus æquus subuertant, pro uide ne subuertant. Sic Græci. Aristoph. [Pluto.] ὅπως δέ μοι καὶ τἄλλα συμπαράστατε ἔσεσθε, καὶ σωτῆρες ὄντος τοῦ θεοῦ.

Atticos imitari uidemur & in nominibus oppidorum & urbium, cum tres motus localis differentias, quas illi diuersa duntaxat uocis terminatione in plurimis θι, θεν & δε, discernunt, nos tribus casibus citra præpositionem efferimus. Vbi enim illi ad quæstionem ποῖ, ἀθήναζε respondent, nos per accusatiuum Athenas dicimus. Vbi illi ad quæstionem πόθεν, ἀθήνηθεν, nos per ablatiuum, Athenis. Vbi rursus illi ad quæstionem ποῦ, ἀθήνησι dicunt, nos aliâs per ablatiuum uel datiuum (nonnulla circa id do-

ctorum

ctorum discordia) ut Carthagini, uel Carthagine. Aliâs per genitiuum, ut Romæ. Simili cum illis ratione & in uocabulo Domus utimur. Sicut enim illi οἴκοθι, οἴκαδε & οἴκοθεν dicunt, ita nos domi, domum & domo dicimus. Hac fortassis interpretatione quidam etiam docti sunt inducti, ut dubitent, an aduerbia sint censenda: cum tamen nomina esse illud haud dubiè uincat, quòd adiectiuis & relatiuis accidentium legem præscribunt. Adiectiuis, ut Ouid. *Doctas eat, inquit, Athenas. Virgil. [lib. 4. Aeneid.] Tyria Carthagine qui nunc Expectat. Sueton. in Galba, Carthagine noua conuentum agens tumultuauit. Titus Liuius: [lib. 3. dec. 2.] Capuam flectit iter luxuriantem longa felicitate ac indulgentia fortunæ. Relatiuis, ut Cicer. ad Lentulum: [lib. 1. epist. 7.] Te cum classe & exercitu proficisci Alexandriam, ut eam cum pace præsidijsque firmaris &c. Lentulus Cicer. [libro 12. epist. 14.] Nulla alia re * confisus, Laodiceam, quæ est in Syria, se contulit. Seruio tamen aduerbia esse placet, super illo Virgil. [lib. 2. Aeneid.] Omnia ni repetant Argis.

Pleonasmi Græci. Græci sunt & illi Pleonasmi. Virgil. [lib. 3. Georg.] Oestron Græci uetêre uocantes. Idem in Georg. [eod. lib.] Sæpe uolutabris pulsos siluestribus apros Latratu turbabis agens. Et in Aeneide: [lib. 2.] Et diuûm amplexæ simulacra tenebant.

tenebant.

tenebant. Et rursus: [Ibid.] Clypeoq; sinistram Insertabam aptans. In quibus uel redundant participia illa: Vocantes, agens, amplexæ, aptans. Vel subaudiendum est pronomen pro loco, illum, illos, uel illa, ut sit Eclipsis. Græcis nanque hæc ratio familiarissima. Aristophon. [Pluto.] Ἀλλ' οὐ λαχοῦς' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι. Idem: φέρε νῦν, νόμος γάρ ἐστι. τὰ καταχύσματα ταυτὶ καταχέω σοῦ λαβοῦσα. Idem: οὐκοῦν ἐρεῖς ἀνύσασα κνισμόν τινα; Pleonasmus ad imitationem Græcorum est & in illo Terentij in Phorm. [act. 2. scen. 3.] Negat: neq; eius patrem se scire qui fuerit? negat. Neq; Stilphonem ipsum scire qui fuerit? negat. Integra enim est locutio, si demas Neq;. Sic Græci. Aristop. [Pluto.] Ἐξαρνός ἐστι μὴ δ' ἰδεῖν με πώποτε. In illo enim Horat. Neq; se fore posthac tam facilem dicat, Hypallage Græca potius uidetur. Sic Græci, οὔ φασι παραγενέσθαι, pro φασὶν οὐ παραγενέσθαι. Homerus β. Iliados, οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτῶν ἄλλον ἔμμεναι. Ἀριστοφ. [in Pluto.] Εἰ τοῦτο γένοιθ' ὃ ποθεῖθ' ὑμεῖς, οὐ φήμ' ἂν λυσιτελεῖν σφῶν.

Enallage Græca est & cum præsens pro futuro accipitur, ut in illo Phorm. [act. 2. scen. 4.] Quid ago? dic Hegio. Sic Græci, τί δρῶ; Ἀριστοφ. [in Pluto.] ἢ ταπὶ τούτοις δρῶ. Præterea Terentij illa, in qua ad singulare redditur plurale:

Pleonasmi Græci.

rale: [in prolog. Eunuch.] Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis quamplurimis, & minimé multos lædere, in his Poëta hic nomen profitetur ſuum. Sic Demoſthenes in Olynthiacis, Εἰ μὲν γάρ τις ἀνὴρ ἐν αὐτοῖς οἷος ἔμπειρος πολέμου καὶ ἀγόνων, τούτους μὲν φιλοτιμία πάντας ἀπωθεῖν αὐτὸν ἔφη.

Si pro An. Græca Enallage eſt & cum Si pro An ponitur, ut in illo Terentij: Eſtne ea intus? Si ſit, rogas? Idem: [Heautont. act 1. ſc. 1.] Viſam ſi domi eſt. Columell. [lib. 8. cap. 5.] Animaduertat an pulli roſtellis oua procuderint, & auſcultetur ſi pipiant. Ariſtoph. πλούτω, πευσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους, εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδεὲν.

Niſi pro ſed. Item, Niſi pro Sed, ut Teren. [And. act. 4. ſc. 1.] Neſcio, niſi mihi deos ſatis ſcio fuiſſe iratos, qui illi auſcultauerim. Et ſæpe alibi. Græci enim. Ariſtoph. [Pluto.] Εὖ τοι λέγειν ἔμοιγε φαίνεσθον πάνυ, πλὴν ἓν μόνον δέδοικα.

Hoc pro partim. Præterea cum Hoc pro Partim legitur, ut Virgil. [lib. 2. Georg.] Iamq; reperti Qui ſaxo ſuper, atque ingentis pondere teſtæ Vrgerent hoc effuſos munimen ad imbres. Hoc, ubi hiulca ſiti findit canis æſtifer arua. Ισοκράτης συμμαχικῷ. τοῦτο μὲν γὰρ τὴν περσῶν δύναμιν ἅπαντες ἴς μὲν τηλικαύτην τὸ μέγεθος γεγενημένην, οὐ διὰ τὴν τῶν ἀνδρῶν φρόνησιν,

σιν, ἀλλ᾽ ὅτι μᾶλλον τῶν ἄλλων τὴν βασίλειαν τιμῶσι, τοῦτο δὲ Διόνυσον τὸν τύραννον ὅτι παραλαβὼν τὴν μὲν ἄλλην σικελίαν ἀνάστατον γεγενημένην, τὴν δ᾽ αὐτοῦ πατρίδα πολιορκουμένην οὐ μόνον αὐτοὺς τῶν παρόντων κινδύνων ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ καὶ μεγίστην τῶν ἑλληνίδων πόλεων ἐποίησεν.

At pro Ergo.

Et cum At pro Ergo uel quare, ſicuti ἀλλὰ apud Græcos. Ouid. in Metamorph. 2. Vix me patiuntur ubi acres Incaluere animi, ceruixque repugnat habenis. At tu, funeſte ne ſim tibi muneris autor, Nate caue. Sic Homerus: [Iliados libro 1.] Ἀλλ᾽ ἴθι μή μ᾽ ἐρέθιζε, σαώτερος ὥς κε νέηαι. Idem: [eodem libro.] Ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.

Eſt pro Licet.

Eſt quoque pro licet, ad imitationem Græcorum ſimuli figura uidetur dictum, ut Virgilius: [libro 6.] Cernere erat, pro licebat. Et Plinius de Erinacijs: [libro 8. capite 37.] Aliter non eſt occidere, & tergori parcere. Idem: [libro 11. capite 37.] Nocturnorum animalium, ueluti felium, in tenebris fulgent, radiántque oculi, ut contueri non ſit. Et affirmatiuè, ut alibi diximus. Plinius: [libro 17. capite 9.] De noſtris moribus bene ſperare eſt, ſi tanta apud maiores fuere auiaria. Horatius: [libro 1. Satyra 2.] Chois tibi penè uidere eſt ut nudam. Et Gellius ſæpe: [libro 3. cap. 1.] Vt multos uidere eſt pe-

cuniæ

cuniæ cupidos. Idem: [lib.13.cap.28.] Animaduertere est pleraque uerborum Latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse. Sic Græci ἔστι pro ἔξεστι dicunt. Demosthenes: κατὰ μειδίου, οὐ μόνον δ' ἐπὶ τούτων τοῖς ἐκ προαιρέσεως ὑβρισταῖς χαλεποὺς ὄντας ἰδεῖν ἔστι τοὺς νόμους, ἀλλὰ καὶ ἐφ' ἁπάντων. Præterea In pro Inter, simili imitatione ponitur, ut Plinius de Cilio: [libro 11.cap.37.] Hoc uulnere diductum non coalescit in paucis humani corporis membris. Lucian. ταῦτα μέντοι τὰ τέκνα ὁρώμενα ἐν τοῖς θεοῖς.

In pro Inter.

Postea interrogatione.

Græca imitatione usurpata est illa locutio Plinij de Helpide & leone cum similibus: [li.8.cap.16.] Miremur postea uestigia hominis intelligi à feris, cum etiam auxilia ab uno animalium sperent? Terent. [Adelph.act 4.scen.5.] Eho nónne hæc iusta tibi uidentur postea? Et Græci, Aristoph. [in Pluto.] Εἶτ' οὐ ξυνίης τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ; Idem: [eodem loc.] ὦ μιαρώτατε ἀνθρώπων ἁπάντων. εἶτ' ἐσίγας πλοῦτος ὤν; Hanc figuram per Et nonnunquam efferre uidentur Latini. Virgil. [lib.1.Aeneid.] Et quisquam numen Iunonis adoret, Præterea aut supplex aris imponat honorem. In quo genere aduertendum Latinos ferè uel potentiali modo uti solere, uel eius periphrasi, ut Cicer. [libro 10. epistola 11. Attico.] Et dubitari potest, quin

ille

ille seu uictus seu uictor redierit, cædem facturus sit? Casus quoq; nonnunquam ad Græcum idioma immutatur. Aliâs in tali figura, qualis est Teren. [Eunuch. act. 3. sc. 5.] Cum meipsum noris quàm elegans formarum spectator siem. Idem rursus: [scen. ult.] Scin' me in quibus sim gaudijs? Idem [And. act. 1. sc. 1.] Obserues filium, quid agat. Sic enim Græci sæpißimè. Aristoph. Pluto: Ἄγε δὴ σὺ πρότερον σαυτὸν ὅστις εἶ, φράσον. In his enim omnibus Latina potius locutio est per Nominatiuum: Cum noris quàm elegans ego ipse formarũ spectator siem. &, Scin' in quibus ego sim gaudijs? &, Obserues quid filius agat. Aliâs sub hac figura, qualis est in Rhetoricis ad Herennium: [lib. 1.] Inter insinuationem & principium hoc interest, quia principium eiusmodi debet esse, ut statim apertis rationibus, quibus præscripsimus, aut beneuolum, aut attentum, aut docilem faciat auditorem. Et Terent. [And. act. 4. sc. 1.] Restitue in quem me accepisti locum. Vtrobiq; enim pro uocabulum Qui, non ad suum, sed præcedens uerbum refertur: cum rectum sit, quas præscripsimus, & in locum, in quo accepisti. Ita Græci. Isoc. τοῖς δ᾽ ἄλλοις οἷς ἔχομεν, οὐδὲν τῶν ἄλλων ζώων διαφέρομεν. Aristoph. Pluto: τάλαιν᾽ ἐγὼ, τῆς ὕβρεως ἧς ὑβρίζομαι.

Accusatiuus pro Nominatiuo.

Alia rursus figura nominatiuus pro accusatiuo,

Nominatiuus pro accusatiuo.

uo, nempe post infinitiuum, quoties ea uerba sequitur, quæ in sensum infinitiui duntaxat feruntur. Qualia *sunt,* Dico, Sentio, Aio, *cum synonimis : & eadem est agens persona uerbi finiti, & infiniti, ut Catul.* *Phaselus iste, quem uidetis hospites, ait fuisse nauium celerrimus. Et parodia de hoc ipso: Sabinus ille, quem uidetis hospites, ait fuisse multò * celerrimus,* Ouid. [*lib.13. Metam.*] *Sedenim quia retulit* Aiax Esse Iouis pronepos. Virgil. [*lib. 2. Aeneid.*] *Sensit medios illapsus in hostes.* Terent. [And.*act.4. sc. 6.*] *Quæ sese optauit inhonestè parare hìc diuitias potius, quàm in patria honestè pauper uiuere.* Lucanus quoq; paulò etiam durius: [*lib.9.*] Tutúmq; *putauit iam bonus esse socer.* Nec minus durè, *ut uidetur,* Ouid. de Tristib. [*lib.2.*] Acceptum *refero uersibus esse nocens.* Sic Græci. Isocrat. καὶ σεαυτὸν ὡς ἄνθρωπος ὢν ὑπομιμνήσκες. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας. Εἰ μὲν γὰρ ἅπαντα ὅσα ὑπέσχετο ὑμῖν ἐκ τῆς εἰρήνης γέγονε καὶ τοσαύτης ἀνανδρίας καὶ κακίας ὡμολογεῖτε ὑμεῖς εἶναι μεστοί.

A Græcis planè & *illa casus mutatio accepta est: Cum ablatiuus in consequentia diuersa persona non est ab ea, quæ finitum uerbum præcedit, ut* Q. Tull. *ad* Tyron. [*li.16.epist.penul.*] Non potes *effugere huius culpæ pœnam te patrono, Marcus est adhibendus. pro ipse patro-*

nus,

nus, uel si ipse sis patronus. Volcatius Sedigitus apud Gell. [lib. 15. cap. 44.] *Eum me iudice errorem dissoluam tibi.* Sic Græci. Plato Apolog. Ἀλλ' ἀπορία μὲν ἑάλωκα οὐ μέντοι λόγων. ἀλλὰ τολμῆς καὶ ἀναισχυντίας καὶ τὰ μὴ ἐθέλειν λέγειν πρὸς ὑμᾶς τοιαῦτα οἷα ὑμῖν μὲν ἥδιστ' ἂν ἦν ἀκούειν θρηνοῦντός μου καὶ ὀδυρομένου καὶ ἄλλα ποιοῦντος καὶ λέγοντος πολλὰ καὶ ἀνάξια ἐμοῦ ὡς ἐγὼ φημί. *Sed & illa, cum præpositioni* In, *pro ablatiuo subijcitur accusatiuus, ut Gell. notat* [lib. 1. cap. 7.] *in oratione Ciceronis de imperio Gn. Pomp. Cum nostros portus, atq; eos portus, quib. uitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Et in Amphit. Plaut. [act. 1. scen. 1.] *Nunc uerò mihi in mentem fuit. pro in potestate, in mente, quod contrà raro aut uix fit.* Ideóque illud Virgilij, *Rapuitq; in fomite flammam,* Seruius esse ait penè Solœcophanes. Tale tamen est & illud Ouid. Metamorph. [lib. 2.] *Aspice uultus Ecce meos, utinámque oculos in pectore posses Inserere. Nisi quis in pectora scribēdum censet.* Plutarch. in Antonio, Ἀντώνιος δὲ τὴν πόλιν ἐκλιτῶν, καὶ τὰς μετὰ τῶν φίλων διατριβὰς, οἴκησιν ἐνάλιον κατεσκεύαζεν αὑτῷ περὶ τὴν φάρον εἰς τὴν θάλασσαν.

Datiuus loco ablatiui cum p̄positione.

Græcā Antiptosin uocat Seruius, cum post paßiua datiuus loco ablatiui cum præpositione

adhibetur, ut Virg. [*lib. 1.*] *Nec cernitur ulli.* Horat. [*lib.1.Od.6.*] *Scriberis Vario fortis & hostium uictor.* Xenoph. ὁσίως μοι καὶ δικαίως ἅπαντα τὸν βίον βεβιωμένον. Isoc. ad Demonic. ὥστε μηδὲ τὸν ἅπαντα χρόνον δύνασθαι λήθην ἐμποιῆσαι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων. *Græcæ non minus sunt & illæ, de quibus suprà in* Enallage *dixi:* Nobis non licet esse tam disertis. Et Macrob. [*lib. 1. cap. 7.*] *Si uobis uolentibus est. Sic Græci.* Aristoph. [Pluto.] οὕτως γάρ ἐστι πλουσίοις ἅπασιν ἡμῖν εἶναι; Et, ἐμοὶ βουλομένῳ ἦν.

Nomen pro Aduerbio. *Græca quoque* Antimeria *est, cum nomen pro aduerbio sumitur ad hunc modum.* Plin. [*lib.32.cap.4.*] *Hæc singula & matutina & uespertina dantur. pro mane & uesperi.* Virg. [*lib.3.Georg.*] *Nec gregibus nocturnus obambulat, pro noctu. Idem rursus :* [*libro 8.Aeneid.*] *Nec minus Aeneas se matutinus agebat. pro mane.* Huc attinet *& illud eiusdem:* [*lib.9.*] *Vibranti gladio connixus ab aggere dexter* Occupat. Aristoph. [Pluto.] Δῆλος δ' ἐστὶν ὅτι τοῦ πράγματος ἀκήκοεν τῇ βαδίσει καὶ τῷ τάχει. Homer. [*lib.2.Iliad.*] Ἄλλοι μὲν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ εὗδον παννύχιοι. Idem [Eod.li.] οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Græca uidetur & illa Enallages *forma, quæ in* Prolepsi *sæpe usurpatur, ut* Salust. [*de con.*

Cat.]

Cat.] Itaq; initio reges diuersi, pars ingenium, alij corpus exercebant. De qua in Enallage diximus. Est enim Græcis familiarißima. Cebes, Αὗται τοίνυν ἔφη, ἡ μὲν τὴν μάστιγα ἔχουσα καλεῖται τιμωρία, ἡ δὲ τὴν κεφαλὴν ἐν τοῖς γόνασιν ἔχουσα λύπη, ἡ δὲ τὰς τρίχας τίλλουσα ἑαυτῆς ὀδύνη.

Græcum est & illud Salustij cum similibus, in quibus post Masculina & Fœminina subijcitur Neutrum: Huic ab adolescentia cædes, rapinæ, discordia ciuilis grata fuere. Terent. [Eunuch. act. 3. scen. 2.] Atq; hæc qui misit, non soli sibi postulat te uiuere. Ad Eunuchum enim & ancillam refertur illud Hæc. Idem [Heaut. act. 1. sc. 1.] Tamen uel uirtus tua me, uel uicinitas, quod ego in propinqua parte amicitiæ puto, facit ut audacter moneam & familiariter. Cic. de Offic. [lib. 1.] Quam similitudinem natura, ratióque ab oculis ad animum trasnferens, multò etiam magis pulcritudinem, constantiam, ordinem in consilijs, factísq; conseruanda putat. Sic Græci. Isocrat. κόσμον, αἰσχύνην, δικαιοσύνην, σωφροσύνην, τούτοις γὰρ ἅπασι δοκεῖ κρατεῖσθαι *&c. Tale putat Seruius & illud Terentij [Eunuch. act. 3. sc. 1.] Qui habet salem, quod in te est. Homerica figura est, qua utitur Virgilius in comparationibus interdum, qualis in illa cernitur [libro 4. Georg.] Qualis*

populea mœrens philomela sub umbra, Amissos queritur fœtus, quos durus arator Obseruans nido implumes detraxit. &, [*lib.2.Aen.*] *Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus.* Et Ouid. [*lib.3.Metam.*] *Falcata nouißima cauda est, Qualia dimidiæ sinuantur cornua lunæ.* Est enim Enallage *Qualis pro qualiter, ut in illa* Homer. [*Odyss.6.*] οἵη δ' ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα, ἢ κατὰ τηΰγετον περιμήκετον ἢ ἐρύμανθον, τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείαις ἐλάφοισι. τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο ἀγρονόμαι παίζουσι. γέγηθε δέ τε φρένα λητῶ, πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται καλαὶ δέ τε πᾶσαι, ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοις μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

In illa tamen primi Aeneidos, quæ ex hac est uersa: Qualis in Eurotæ *ripis, aut per iuga* Cynthi *Exercet* Diana *choros, quam mille secutæ Hinc atq; hinc glomerantur* Oreades: *Eclipsis uel prouocabuli Qui, uel aduerbij Quando magis quadrare uidetur, propter* Apodosin *illam:* Talis *erat* Dido. *ut sit, qualis* Diana, *quæ exercet: uel, qualis* Diana, *cum uel quando exercet choros. Simile est & illud* Horat. *in Serm.* [*lib.1.sat.6.*] Eóq; *Non ut magna dolo factum negat esse suo pars, Quod non ingenuos habeat, clarósq; parentes, Sic me defendã. Sic* Theocrit.

crit. Idil. 1.] Ἅδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος ἢ τὸ κάταχες τῆν ἀπὸ τᾶς πέτρας, καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.

In illa uerò ſexti Aeneidos, uix hoc ſufficiat: Quale ſolet ſiluis brumali frigore uiſcum Fronde uirere noua, quod non ſua ſeminat arbos, Et croceo fœtu teretes circundare truncos, Talis erat ſpecies auri. Supplendum enim uidetur, quale eſt uiſcum, quod uiſcum ſolet brumali frigore &c.

FINIS.

DE ARTE GRAMMATICA.



CVm cōstet esse & rationem certam & opus absolutum, orationis congruæ, & uerbis aptè constructis ac proprijs exprimentis conceptam animo sententiam, non est dubium quin artis nomine appellari poßit ea facultas, quæ uia & ordine procedens perficiat, ut congrua & consentanea oratione uti poßimus. Hæc à Græcis γραμματική nominatur. Non enim dubium est, quin huius artis initia alia fuerint nulla, quàm cognitionis litterarum, quàm qui tenere se, & alijs traditurum esse profitebatur, γραμματιστής nominabatur: Tum enim, ij (quemadmodum in Teutonica adhuc lingua dicitur) qui legere & scribere scirent, quòd essent uulgò doctiores, inprimis colebantur. Lectio autem proponebatur apud Græcos pueris Poëtarum tantum. Et uersibus primos libros compositos fuisse, notius est, quàm ut indicandum sit. Legebant igitur Poëtas apud Musicum, id est, in ludo litterario: & Magister sæpe lectione sua illis præibat. Et docebantur simul ut fidibus scirent, simul ut carmina Poëtarum ritè accommodarent. Itaq; litterarum cognitionem planè cum Musices arte coniunxere,

iunxere, ut & Quintilianus oſtendit. Et apud
Ariſtophanem in fabula cui nomen Equites, Ha-
lantopola negat ſe Muſicam tenere præter litte
ras, Ac ne has quidem bene. Verum poſtea, cum
non modo litterarum ſcientia, ſed quædam etiã
ſermonis certa & exquiſita ratio, quam opt. ar-
tium ſtudijs augeſcentibus, in ſcriptis doctorum
reperiri conſtaret, expeteretur, cúmq; non mo-
do conſuetudinem, ſed etiam certam quandam le
gem eſſe loquendi placeret, De uſu ueterum do
ctorum collecta à peritis & ingenioſis homini-
bus præcepta fuerunt, ſecundum quæ & uerbo
rum proprietas ac natura exquireretur, Et ue-
ritas perſcribendi illa perſpiceretur, Et pro-
nunciationis quidã ueluti cantus obſeruaretur,
Et ad proferendos ſenſus animi, uerba inter ſe
congruenter & aptè ſtruerentur. Quibus qui-
dem partibus grãmatica diſciplina abſolui cre-
ditur, quarum ſunt nomina Græca nemini ferè
ignota, ἐτυμολογία, ὀρθογραφία, προσῳ-
δία, σύνταξις. Quoniam uerò ea de quibus
præcipiebatur, etiam demonſtranda erant in li-
bris ueterum autorum, ne ſine exemplis manca
eſſet hæc ars, & ieiunior ſolis præceptis conten
ta, ideo ad officium grammaticorum adiuncta
fuit, cura etiam enarrandi & explicandi opt. au
tores, de quibus omnis rectè loquendi facultas
ac copia, quaſi de fonte manaret, Quorũq; teſti

 monijs

monijs præcepta confirmarentur, & exemplis illustrarentur. In quo cum peracri iudicio opus esset, etiam iudicādi de ijs, quæ recte quæue perperam dicta uiderentur, scientiam grammaticorum propriam esse uoluerunt. Quo quidem iure ipsis concesso, ita sunt licenter usi ueteres, ut emendare antiquorum scripta, tollendo, substituendo, mutando, quæ uisum fuisset, etiam certos libros alijs autoribus quasi adiudicare, alijs abiudicare non uererentur. quod & ipsum Fabius tradidit libro primo. Atq; hinc illæ partes grammaticæ alteræ quædam quam priores quatuor, nomina inuenerunt, quæ sunt quasi distinctæ functiones & propria munera huius artis. Græci ὁριστικὴν uocant & ἐξηγητικήν. Fabij est diuisio, in recté loquendi scientiam, & poëtarum enarrationem. Et Græca ab eodem nomina memorātur, μεθοδικῆς ac ἱστορικῆς. μεθοδικὴ, seu ὁριστικὴ, complectitur præcepta & ueluti uiam demonstrat, qua perueniatur ad orationis congruitatem. hac in parte est legendi, scribendi, loquendi ratio, quarum postrema duplex est, uerborum per se, & eorum coniunctorum inter se. Enarrationis autem est emendatio, explicatio, interpretatio & iudicium. Etsi iudicium, ut ait præclaré Fabius, mistum est his omnibus. Ita progressa hæc ars ab elementis litterarum, per uerborum cognitionem ad emendatam & omnibus

bus

bus partibus ſuis abſolutam orationem, planè & perſpicuè indicantem animi uoluntatem & ſententiam, procedit, atque hoc opus & hic eſt finis illius.

DE SIMPLICI ORATIONE ET FIGVRATA.

ORatio eſt ſimplex quæ neque uerbis neque ſenſu abducta eſt à communi quodam habitu ac modò linguæ Gentis ſuæ. Sed figurata quæ illam ſimplicitatem amiſit. In uerbis autem ſunt τρόποι & σχήματα λέξεως, de quibus nunc nihil dicemus. Sunt & quæ πάθη dicuntur, magis ſyllabarum, litterarum, accentuum, quàm uerborum quædam affectiones: de quibus Grammaticum etiam diligenter initio præcipere, & has mutationes et uarietates pueris oſtendere oportet. Græci ſecundum διαλέκτους, id eſt, genera linguarum hæc diſcrimina expoſuerunt, atque hanc rationem ad Latinum quoque ſermonem aſſumere quidem tentarunt, ſed neque ſatis commodè Græca diſtinctio facta eſſe, & in lingua Latina fieri omnino poſſe non uidetur. Non enim unius dialecti certa genera peculiaria harum figurationum, ſed omnium hæ communes ſunt: Et Latini diſcrimina Dialectorum omnino non obſeruarunt. Etſi enim aliter quondam Vmbri, aliter Oſci,

aliter

aliter Præneſtini, aliter Romani, aliter Patauini locuti fuerunt, tamen non fuerunt illa eiuſmodi ut genera quædam ſeu quoſdam χαρακτῆρας, ut Herodotus uocat, γλώσσης conſtituerent. Sed communi appellatione ſecretæ linguæ uerba, γλωσσήματα, & hoc genus γλωσσηματικὸν, quemadmodum & Græci γλώσσας, τὰς διαλέκτους appellarunt. Verum de generibus ſermonis Græci, qui ſecundum nationum præcipuarum ſonos & ἰδιώματα diſtinctus fuit, dictum à nobis eſt aliâs, & iterum fortaſſe dicetur. Nunc autem de his ſingularum dictionum, uel potius partium harum expoſitionem noſtram pertexemus.

Omnes igitur uariationes quinq; generibus comprehenduntur, Quæ deinceps breuiter referemus, & quæ quibus formæ mutationum ſubijciantur oſtendemus, additis exemplis tam Græcis quàm Latinis, quibus indicationes figurarum explicentur. Tota uerò hæc doctrina, ut omniũ artium ac diſciplinarum, Græcorum eſt, ad Latinam linguam accommodata ab eruditis uiris. Itaq; in Græcis exemplis certius res perſpici poterit. proderunt autem hæc cognita ad totam rationem Grammaticæ artis certius percipiendã, & naturam ac proprietatem linguæ animaduertendam, ſine qua nulla unquam erit bona & diſerta elocutio. Nam his compræhendi omnia poterunt

terunt, quæ à communi & simplici forma orationis abducta, & in aliam traducta fuerint, quæ μεταπεπλασμένα *Græci uocant, & figurationem ipsam* μεταπλασμόν. *& mutationem, quasi turbata simplicitate uocis,* πάθος. *Poterunt & ea quæ* σχήματα *tam* διανοίας *quàm* λέξεως, *&* τρόποι *dicuntur. Sed de his aliâs. Nunc illa, ut propositum est,* πάθη *explicemus.*

Sunt igitur quinque dictionum singularum seu γραμματικὰ πάθη, *Quæ spectantur in litteris, syllabis, accentibus singulorum uerborum, his nominibus.* πλεονασμὸς *seu* προέλκον. *Adiectio.* ἔνδεια, *siue* ἔλλειψις, *seu* λεῖπον. *Detractio.* μετάθεσις, *transpositio.*

Μετάληψις, *transmutatio. uel, ut Donatus, Immutatio, cui est* μετάθεσις, *transmutatio.* τμῆσις, *diuisio.*

Πλεονασμός, *quæ est adiectio, abundans in dictione, syllaba, littera, tempus, habet nouem formas.*

Prima est πρόσθεσις, *appositio. Cum initio augetur dictio. ut* στάχυς ἄσταχυς, σταφὶς ἀσταφίς. *Vt* ἐπὶ δ᾽ ἠμύει ἀσταχύεσσιν, ιλ. β. *Est autem* σταφὶς, *passa uua, ut Theocrito* ἀσταφυλὶς σταφὶς ἐστὶν. πᾶς ἅπας. *quod tamen ipsum magis est quasi* ἅμα πᾶς, *ut uniuersi intelligantur. Hac Attici multum usi fuerunt, unde*

&

& hæc, ἑώνημαι, ἑώρακα. Exempla Latina esse possunt, gnatus, gnauus, gnotus. stlatum, stlites. sdlocus.

Secunda, ἀναδίπλωσις, reduplicatio. ut usitaté in præteritis uerborum, & uerbis in μι. τέτυφα, τίθημι. cucurri, momordi. Attica magis figurata sunt τεθορυβοπεπορικμένον, ἠριστοπεπόλωτο. à uerbis θορυβοπορῶ, & ἀριστοπορῶ, ἀταρτηροῖς ἐπέεσιν, ιλ. ά. pro ἀτηροῖς, infestis, contumeliosis. ἐτήτυμος pro ἔτυμος, tale est, tetuli, pro tuli.

Tertia, ἔκτασις, productio litteræ. καλὸς, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. ἶσος. ἶσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν. Theocrit. Et ιλ. β. ἴλιον ἐκ πέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι. Et littera mutata, πηλῆος, ἀμαθίη, ἀκαταστασίη, λήθη. φιλομήλη. ἑώρων, duplici augmento. ut ἠδυνάμην, Atticé. In Latinis usitaté mutationes, uenio ueni, lego legi, cædo cecidi. Aliæ etiam huius formæ plurimæ. Dianam teneræ dicite uirgines. Italiam fato profugus Lauináq; uenit Littora. Volat Itala Coruus. Et Sidonia Dido. Metamorph. li 6. Vitam dederitis in undis. Nec fortuitum spernere cespitem, Horat. carm. lib. II. damnosa canicula. & similia.

Quarta ἐπέκτασις, Extensio, cum in medio syllaba abundat. Hac Iones multum usi fuerunt, ἀδελφεὸς, pro ἀδελφός. ιλ. ά. ἤδεε γὰρ κατὰ θυμὸν

θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο. Et κατὰ παρένθεσιν, ἀδελφειὸς, ιλ. ζ. ἔτρεψεν ἀδελφειοῦ φρένας. πτολεμήια ἔργα, pro πολέμια. Viámque indugredi sceleris, Lucretius: apud eundem est & indupetitus, impeditus. Et iacere indumanus, in manus. Et hæc, cinctutis non exaudita cethegis. Mauors, Induperator. Nam ueteres Latini hanc figuram crebrò usurparunt. Quam quidam & ἐπένθεσιν nominarunt, id est, interpositionem, contrariam syncopæ.

Quinta est διαίρεσις, diuisio. hæc est syllabæ distractio. παῖς πάϊς, νοῦς νόος, ῥοῦς ῥόος. οδ. ε. τὴν δ᾽ ἐφόρει μέγα κῦμα κατὰ ῥόον. ἑρμῆς, ἑρμέας, & κατὰ παρένθεσιν ἑρμείας. πηλείδου πηλείδαο. hæc est & ipsa Ionica. αὐτέης pro αὐτῆς. τουτέων, pro τούτων, τουτέοισι pro τούτοις. νηρεὺς, νηρεΐδης. & διῃρημένως, νηρεΐδης, hinc νηρεῖς, & κατ᾽ ἔκτασιν, νηρηΐς. Lucret. lib. 3. Gelidai stringor aquai. Et Ennianum: Albai rex longai. Et Virgilianum: Aulai in medio. Nil, nihil. Catul. Quod zonam soluit, δισυλλάβως. Et Horat. Nunc mare nunc siluæ. Et Ouid. Debuerant fusos euoluisse meos. Lucret. Appellare suemus. tale est suauis δισυλλάβως.

Sexta παρένθεσις, Interpositio uocalis, sed qua dictio syllabis non augeatur. Et hæc Ionica. μοῦνος, pro μόνος. νοῦσος, pro νόσος. ξεῖ-

νος

νος pro ξένος. οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, pro οὐρέας. κεῖν' ὄχεα, pro κενά. οὔνομα, pro ὄνομα. Eij, pro Ei. Lucret. lib. 3. Coniunctius eij, Troiugena interpres diuûm. pro Troigena. Et Lucret. libro 2. Nam quod fluuidum est, pro fluidum. Et, corpora iactari unius genitalia reij. Et libro 5. Via qua munita fideij. Fabius docet ueteres porrectas syllabas geminis uocalibus scripsisse, cum una tantum syllaba tamen enuntiarentur. ut feelix, paalus. Postea addidisse ad E litteram I, ut furei, omneis.

Septima διπλασιασμὸς, duplicatio, est eiusdem cõsonantis geminatio, absq; augmento syllabarum. ὅττι pro ὅτι, ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. μέσσον, pro μέσον. ἔννεπε, pro ἔνεπε, ιλ. γ. ἔδδεισεν δ' ἑλένη, pro ἔδεισεν. Et φιλομμειδὴς ἀφροδίτη. Catullus, Tibullus, pro Catulus, Tibulus. Cæcinna, pro Cæcina. Relliquias Danaûm, pro reliquias. Relligione sacrum, pro religione. Redducit, Lucret. pro reducit. Veteres S S geminasse sæpe perhibent, ut caussa, diuißio, quemadmodum & Fabius docuit.

Octaua προέμπτωσις, cum cõsonans diuersa iungitur alteri ἐν συλλήψει, sic etiam non crescet numerus syllabarum. πτόλις, πτολίεθρον, πτόλεμος, cum sit communiter πόλις & πόλεμος. Cognosco, Ignotus. Tale fuerit, quam

uis

uis cum uocali iungatur consonans, redhibeo, indeptus.

Nona adiectionum forma est προσχηματισμός, quæ & παραγωγή dicitur, Cum syllaba in fine uerbi afformatur, atq; eadem & προσπαράληψις dicitur. Vt λόγοισι, μούσῃσι, & ἔφηοθα. peculiaria Ionibus. Ad quam pertinet & ea quæ uocatur ἐφέλκυσις, cum ν littera attrahitur à uocali finali. καὶ ςαφυλὶς ςαφὶς ὄςὶν καὶ ῥόδον αὖον ὀλεῖται. Theocrit. Et cum proxima sequens dictio initialem habuerit uocalem, ἐγὼν, κὲν, pro ἐγὼ, κέ. ιλ. α. εἰ δέ μοι οὐ δώσουσιν ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι. Theocrit. ὡργεῖος κἠγὼν. Argiuus ille & ego. Amarier, fabularier, dicier, admittier.

Adiectioni contraria est detractio, id est, ἔνδεια, & contrarias habet totidem species.

Prima harum est ἀφαίρεσις, ablatio, cum initialis demitur littera. ὀρτὴ pro ἑορτὴ, κεῖνος pro ἐκεῖνος, αἶα pro γαῖα, Hæc sunt Ionica. Attica autem talia, ποῦ ᾽ςὶν ἡ δίκη, Phœnißis, pro ποῦ ἐςίν; Et ζηλωτὸς ὅςις ηὐτύχησεν εἰς τέκνα, καὶ μὴ ᾽πισήμους συμφορὰς ἐκτήσατο, pro μὴ ἐπισήμους. Aristoph. εἰρήνῃ. αὐτὸ ὁ ᾽γὼ ᾽λεγον, pro αὐτὸ ὁ ἐγὼ ἔλεγον. Euripid. ἢ ᾽πὸ συμφορᾶς τινος, pro ἢ ἀπό. Mitte, pro Omitte seu Amitte. Virgilius: Mitto ea quæ muris bellando ex-

hausta sub altis. Plaut. Milon. Ecce ergo mitto. Tale est Spem ponite. Et spumas salis ære ruebant. & similia multa.

Secunda ἄρσις, Hæc est syllabæ max. duplicatæ ablatio. βεβλημένος, βλημένος, δεδεγμένος, δεγμένος. δεγμένος αἰακίδην, ιλ. ι. operiens. Tale est conia, pro ciconia. Lar, ueteribus Lalar, ut dicitur Fastorum 2.

Tertia συστολή, Correptio litteræ. ξερὸν pro ξηρὸν, δῆσας Hesiodo breui posteriore. Theocrit. καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκοι. Mart. sero dedit pœnas. Nimbosus orion. steterúntq; comæ. Transtulerunt, Lucret. Idem Dididerunt.

Quarta συγκοπή, Concisio syllabæ in medio dictionis. κάμμορος pro κακόμορος. καγκείοντες pro κατακείοντες. κάββαλε, pro κατάβαλε. καββαλικώτερος apud Plutar. sternatior. κάδδε κὲν εὐχωλὴν, pro κατὰ δὲ εὐχωλὴν. δάσκιος ὕλη, pro δασύσκιος. Latini hac figura sæpe usi fuerunt. Horat. Qui me commorit, pro commouerit. Quæ me surpuerat mihi, pro surripuerat. Lamnæ pro Laminæ. Actæ non alio rege puertiæ, pro pueritiæ. Caldior est, acres inter numeretur. Et quos Nunquam erepsemus, pro erepsissemus. Virg. Vixet, pro uixisset. Aen. XI. Manet alta mente repostum Iudicium Paridis, pro repositum. Terentius, uxorem decrerat sese mihi dare hodie. Et Plau.

Nec

nec ille ſirit Iuppiter. Et Mercatore: At ne Di ſirint, pro ſiuerint. Vbi corrupta ſcriptura legitur, Athenæ deſierint. Lucret. lib. 4. Sed magis uniuerſum. Et li. 2. Motus quoq; ſurpere debent, pro ſurripere. Et lib. 5. cum ſatiate cibi, pro ſatietate. Et Eunucho, ubi ſatias cœpit. Talia ſunt ſæclum, uinclum, Deûm, numûm, aureûm, liberûm, labrûm, pro ſæculum, uinculum, Deorum, numorum, aureorum, liberorum, lauabrum. Interdum duæ ſyllabæ excluduntur, δευκαλίδης, pro δευκαλιωνίδης, ὑπερίδης, pro ὑπερονίδης.

Quinta συναλοιφή, complexio Quintiliano, Eſt comprehenſio uocalium, qua de duabus ſyllabis una efficitur, fit autem multifariam, Sed duæ ſunt ſpecies huius συναίρεσις & κρᾶσις, quæ & ἐπισυναλοιφή. Niſi fortè hæc tertia eſt ſpecies ponenda, ad quam referatur & ea quæ συνίζησις & quæ συνεκφώνησις dicitur. συναίρεσιν appellarunt, cũ uocales in contractione remanent, ut illud Phæton pro Phaëthon. Et Lucretianum lib. 2. Tandem coierunt ξισυλλάβεως. Tale eſt θοἰμάτιον, pro τὸ ἱμάτιον. νηρῇδες, pro νηρηΐδες. ᾄδης, pro ἀΐδης. ὀρφέϊ, ὀρφεῖ. Orphi Calliopea. κρᾶσις, cum non remanent, ut τἀμὰ, τἄλλα, pro τὰ ἐμὰ, τὰ ἄλλα. ὧλλοι, pro οἱ ἄλλοι. ἅτερος, pro ὁ ἕτερος. ἐγ᾽ ᾧδα, Medea, pro ἐγὼ οἶδα.

δα. κἆτα, pro καὶ εἶτα. & quod supra posuimus ὡργεῖος κ' ἠγὼν, pro ὁ ἀργεῖος καὶ ἐγώ, χὠλαρισαῖος, pro καὶ ὁ. Aristoph. ὄρνισι τἀπόλλωνος, pro τοῦ ἀπόλλωνος, Est enim figura hæc & Atticorum. Et reperitur in Latinis uerbis crebrò. Tibicen, pro tibijcen. bini, biuni. duellum, bellum. siet, sis. audijt, audit. uæmenti, pro uæhementi, Lucret. Sultis, si uultis. Sodes, si audes. Capsis, cape si uis, nam sis est si uis. ἐπισυναλοιφὴ & συνίζησις, quæ συνεκφώνησις, in enuntiando contrahit syllabas, quæ integrè uel una uel duabus in dictionibus perscriptæ fuerunt, ut, ιλ. γ. ἢ οὐχ' ἅλις, hic dactylus est κατὰ συνίζησιν, id est insidente una syllaba in alteram. Item ιλ. ί. ἢ λάθετ' ἢ οὐκ ἐνόησε. duo continui sunt dactyli. πηληϊάδεω. δεω. una syllaba enũtiatur, etsi minus uerè alij συνίζησιν in ληϊ, esse uoluerunt. δενδρέῳ ἐφεζόμενοι. & χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ Initiales dactyli. ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν. μὲν δεοὶ, spondæus est. ιλ. ο. οὓς τέκετο ῥέα. Theocrit. καὶ τυρόεντα μέγαν, est spondæus & dactylus, cum sit τυ longa syllaba. Hesid. εἴαρι πλεῖν. εια, una longa. Et, μὴτ' ἔαρ γιγνόμενον. Spondæus est primus pes. Et ῥεῖα μὲν γὰρ. Et Theognid. οὐ γὰρ ἄτερ θεῶν, γίγνεται ἀνθρώποις οὐ κακὸν οὔτ' ἀγαθόν. θεῶν, una est syllaba. Sed ubiq; hæc occurrunt apud Poëtas. Latina exempla

pla ſunt, Nunc ſcio quid ſit amor. dit enim Diomedes, pronunciandum, Nunc ſcio, κατ᾽ ἐπισυναλοιφήν. Item, Pendent lychni laquearibus aureis. Et, ſceptróq; inuiſus eburneo.

Sexta eſt ἔλλειψις, quod etiam apud quoſdam eſt generis nomen, Cum in medio uocalis, abſq; diminutione ſyllabarum, omittitur. ab alijs appellata ὑφαίρεσις. γεραιὸς, γεραός. λεπτρειὸν, λεπτρεόν. ἐκτόρειος, ἐκτόρεος. Aulla, olla. Prætor ex Lucilio citatur, pretor priore breui. Pretor ne ruſticus fias.

Septima προέλλειψις, cum earundem duplicatarum conſonantium omittitur altera. κάλιον, pro κάλλιον, porſenna, porſena.

Octaua ἔκθλιψις, detritio, cum diuerſarum litterarum altera abijcitur, ſeruato numero ſyllabarum. σκηπτὸν, pro σκῆπτρον. aſtruo, pro adſtruo. aſto, pro adſto. cos, pro cons. Columella, pro Columnella. & columa etiam pro columna. multum ille & terris, multillit.

Nona ἀποκοπή, amputatio finalis ſyllabæ uel litteræ. ut δῶμα, δῶ. κρῖ, κρῖμνον. βρῖ, βριθύ. ῥᾶ, ῥᾶον. συρακώ, σαρακοῦσαι, δωρικῶς. λή, λίαν. ἥλί, ἥλιος, Quæ ex Epicharmo & Euphorione Strabo memorat. Item ex Arato, εἰς ἄνεμον ἢ τα πηδὰ κυβερνητῆρες ἔχοιεν, id eſt, τὰ πηδάλια, cum tamen οδ.υ. ſit ἀνερρίπτουν ἅλα πηδῷ. Latina exempla ſunt. En-

do sua do, pro in domo sua. guberna, pro gubernacla. Volup, pro uolupe antiquo. nihil pro nihili. Animal, ceruical, & similia præcisa littera e, famul pro famulus, Lucret. lib. 3. Proinde ac famul infimus esset. Vesperug. litera autem ablatæ exemplo sunt, ἄθω, pro ἄθων. Virgil. Aut Atho aut Rhodopen, πρῷ πρωΐ. Et, horridus miles amatur. Lucret. Puncto temporis imago. Et puncto temporis reddant. Et apud Ciceronem, multmodis, uasargenteis, pro multis modis & uasis argenteis. Sed ad superiora & hæc referentur, Arcesilas, pro Arcesilaus. & ἀρχέλας, pro ἀρχέλαος. ἁρποκρᾶς, pro ἁρποκράτης, Aeolica et Dorica dialecto. apud Plautum in Pænulo, Antidamæ filium, pro Antidamarchi, ut mox, Antidamarchi adopticium. Sunt & hæ ἀποκοπαί, ἐπ' ἄρχοντος εὐκλείδου, pro ἐπὶ ἄρχοντος, prætore. καθ' ἱπποκράτη, pro κατὰ ἱπποκράτη.

Μετάθεσις Transpositio seu translatio est toni, litteræ, syllabæ. Hæc Donato, ut diximus, & Fabio transmutatio est. ut ἀχίλλευς, ἀχιλεύς, AEolice. ὀρφῶς, λαγῶς, pro ὀρφος, λάγος, Atticé. καρδία, κραδία, κάρτος, κράτος, κελάρυζα, λακέρυζα, ut placet grammaticis. κεπτοκρύφαλος, κρυπτοκέφαλος, Thymbre, Thymber. Euandre, Euander. I præ, præ i. Hæc figura & ἐνάλλαξις & ὑπέρθεσις nominatur,

minatur, ut pregula, pergula. Tharsumenus, Thrasumenus. fecerunt tamen aliqui ὑπέρθεσιν & μετάθεσιν species ἐναλλάξεως. ut hæc esset litterarum ὑπερβιβασμός, id est, transmutatio, καρδία, θάρσος, πυκνή, pro κραδία, θράσος, πνυκί. Syllabarum ὑπέρθεσις, ὀθνεῖος, pro νοθεῖος, γουνὸς pro γόνυος.

Μετάληψις, Transmutatio seu immutatio, cum alius tonus, littera, syllaba, pro alio tono, littera, syllaba sumitur. ἐγῶν Aeolicè pro ἐγών, quod Doricum est. ὔμμες ὑμεῖς. ἠπεδανός, ἀπεδανός. δισσὰ διξά. ἐρίηρες ἑταῖροι, pro ἐρίηροι. Olli, pro illi. pulcrum pro pulcro. optumus, pro optimus. auger, pro augur. Volgus pro uulgus. aruentores, pro aduentores, & arcessere pro accessere. ualesij, fusij. passes, arbos, impete, burri, Bruges, Balæna. Nec sum animi dubius. Hanc figuram uocarunt & ἀντίθεσιν, quod aliud pro alio poneretur, & ἐναλλαγὴν, Immutationem, & παραλλαγὴν Demutationem. & ἀλλοιότητα, uariationem.

Τμῆσις, dissectio est coniunctorum, quasi dislocatio compositionis, ut ἄκρα πόλις, pro ἀκρόπολις, λείπειν τὴν τάξιν, λιποτακτεῖν, quod Attici non dixerunt. Aristoph. ἀπὸ σ' ὀλέσεις. apud Homerum creberr. sunt. αὐτὰρ ἐπεὶ διά τε σκόλοπας καὶ τάφρον ἔβησαν, ιλ. ό. & ιλ. δ. ἐπ' ἂρ ἤπια φάρμακα εἰδὼς, πάσσε.

ἔπος τ' ἔφατ' ἔκτ' ὀνόμαζε. Ideoq; syllabis hæc accidere putantur, has una aut plurib. alijs dirimentibus. ut, Quæ me cunq; uocant terræ. per mihi gratum. per ecastor scitus puer. Lucr. Qui uitam cunq; gubernat. Inq; pediri, pro impedirique, &, Inter enim iecta est, pro Interiecta enim est. Disq; sipatis, p dißipatisq;. Virg. X. Et inutilis inq; ligatus cædebat. Cic. p ue Coss. Tale est non queo, non uolo, pro nequeo, nolo.

Atq; hæc cũ temere & ignoranter fiant, barbarismi sunt, & per omnes species flexionum et tractationes partium orationis exempla facile fingi possunt. ut gnullus. sicut gnatus, poëtarum, muse, ô magistre. Et Fabiana Metieo, suffecio, simulachrum, fœneris. ut aut aliquo loco superfit aut desit, aut transpositum, aut cõmutatum aliquid sit. Eademq; fere accidunt similiter & in uerborum cõtextu, id est, structura orationis, et scriptis autorum linguæ σχήματος. in reprehensione solœcismi nomen habent. quorum quasi ὁδοῦ παρέργως. nam hanc etiam partem in præsentia explicandam non putauimus, generalia exẽpla subiecimus. ut pleonasmi, βοῶν ἐπιβουκόλος ἀνήρ, ὀφθαλμοῖσιν ἴδωμαι. & ὄσσα οἱ αἶσα, γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ ὅτε μιν τέκε μήτηρ. ἐξουρανόθεν. Talia sunt, Qui nati coram me. cernere lætũ fecisti. Et, cum mihi se nõ ante oculos tam clara uidendã obtulit. Et,

Sic

Sic ore locuta est. Et, Id ꝓpterea. Et, Post deinde. Et, Tum postea. Et περιφράσασθε, sis sciens.

Detractiones sunt in his, ἔρχοντι πεδίοιο, pro διὰ πεδίοιο. Italiam fato profugus Lauináq; uenit Littora. Transpositio, ἢ δόξαν ἤτοι διαβολὴν, Enim tacere nequeo. Mecum, tecum. ὀμμάτων ἄπο. ἀμαθίας ὕπο.

Transpositio late patet, αἴθη δ᾽ἥλυσ᾽ ἐοῦσα. pro δ᾽ἤλθα. Vbi illic scelus est. Dardanus, Lydus, Oenotrus, pro Dardanius, Lydius, Oenotrius. Ego illud sedulo negare factum. Quam figuram orationis ἰσοσικὴν dixere, ubi tamen quibusdam ἔκλειψιν seu ἔλλειψιν, non μετάλειψιν esse placet.

Τμῆσις aũt est, cum quid interponitur quod orationẽ cohærentẽ dirimit, Quis me autẽ, fac uelle, sinet: Quæ à plerisq; παρένθεσις dicitur. In his etiam solœcismorum exempla confingere cuiuis in promtu. Veni in Romã. Abij Italia. Aũt feci nõ. Romæ discessi. Omnia enim quæ malé et uitiosé dicũtur, uerbis etiam cõpositis, ea his generibus continẽtur: Quemadmodum oẽs figuræ orationis quib. hæc quasi illuminatur, ornatur, amplificatur, deniq; quemcunq; habitum conspicuum sumit, & quasi gestũ edit, de quib. nũc dicendum nõ est, sed aliâs fortasse à nobis aliquid proferetur, in quo post tam multorum studia, opera non prorsus perijsse uideatur.

ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ ΛΕΞΕΩΝ, ΕΚ ΤΩΝ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΥ ΤΡΥΦΩΝΟΣ.

Τὰ τῶν λέξεων πάθη εἰς δύο γενικώτατα διαιροῦνται, ποσόν τε, καὶ ποιόν. καὶ τοῦ μὲν ποσοῦ εἴδη, ἔνδεια, καὶ πλεονασμός. τοῦ δὲ ποιοῦ, μετάθεσις, καὶ μετάληψις. ἀμφοτέρων δὲ ὁμοῦ συνελθόντων, τμῆσις γίνεται. ἔστι δὲ ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, πάθη πέντε. πλεονασμός. ἔνδεια. μετάθεσις. μετάληψις. τμῆσις.

Πλεονασμός.

Πλεονασμὸς μὲν οὖν, ἐστὶ περισσότης χρόνων ἢ χρόνου στοιχείων, ἢ στοιχείου.

Ἔνδεια.

Ἔνδεια δὲ, τοὐναντίον, χρόνου, ἢ χρόνων στοιχείου, ἢ στοιχείων ἐλάττωσις.

Μετάθεσις.

Μετάθεσις δὲ, ἐστὶ στοιχείου μετακίνησις ἐκ τῆς ἰδίας τάξεως ἐφ᾽ ἑτέρας. οἷον, δαρτά. ἀντὶ δρατά. κραδία, ἀντὶ καρδία. κάρτος, ἀντὶ κράτος. καλεῖται δὲ καὶ ἐνάλλαξις, καὶ ὑπέρθεσις.

Μετάληψις.

Μετάληψις δὲ, ἐστὶ στοιχείου μετακίνησις. οἷ-

ον.

ον, ἠπεδανός, ἀντὶ ἀπεδανός. αἱμηπότης, ἀντὶ αἱμαπότης.

Τμῆσις.

Τμῆσις δὲ, ἐστὶ συνθέτου λόγου ἀνάλυσις εἰς δύο λέξεις. οἷον, ἄκρα πόλις, ἀντὶ ἀκρόπολις. Τούτων δὲ τῶν πέντε παθῶν τὰ μὲν, εἰς εἴδη τέμνεται, ὅ, τε πλεονασμὸς, καὶ ἡ ἔνδεια. τὰ δὲ λοιπὰ, εἰσὶν ἄτμητα. Τοῦ δὲ πλεονασμοῦ εἴδη εἰσὶν ἐννέα. Πρόσθεσις. Αναδίπλωσις. Εκτασις. Επέκτασις. Διαίρεσις. Παρένθεσις. Διπλασιασμός. Παρέμπτωσις, Καὶ προσχηματισμός. Τῆς δὲ ἐνδείας εἴδη εἰσὶν ἐννέα. Αφαίρεσις. Αρσις. Συστολή. Συγκοπή. Συναλοιφή. Ελλειψις. Παρέλλειψις. Εκθλιψις, καὶ ἀποκοπή. Αντίκειται οὖν πρόσθεσις μὲν, ἀφαιρέσει. Αναδίπλωσις δὲ, ἄρσει. Εκτασις, συστολῇ. Επέκτασις, συγκοπῇ. Διαίρεσις, συναλοιφῇ. Παρένθεσις, ἐλλείψει. Διπλασιασμὸς, παρελλείψει. Παρέμπτωσις, ἐκθλίψει. Προσχηματισμὸς, ἀποκοπῇ.

Πρόσθεσις.

Πρόσθεσις μὲν οὖν, ἐστὶ προσθήκη στοιχείου κατ' ἀρχὴν τῆς συλλαβῆς. οἷον, ἀσταφὶς, ἀντὶ σταφίς. ἄσταχυς, ἀντὶ στάχυς. θαμὰ, ἀντὶ ἅμα.

Ἀναδίπλωσις.

Ἀναδίπλωσις δέ ἐστιν ἡ τῶν πρώτων ἢ δευτέρων συλλαβῶν διὰ τῶν αὐτῶν συμφώνων ἢ ἀντιστοίχων ἐπάλληλος ἐκφορά. γίνεται δὲ ἐπὶ ῥημάτων, καὶ μετοχῶν, καὶ ὀνομάτων πλεονάζει δὲ παρὰ τοῖς Ἴωσι καὶ αἰολεῦσιν. οἷον, κεκάμωσιν, ἀντὶ κάμωσι. λελάχωσιν, ἀντὶ λάχωσιν. ἀταρτηρός, ἀντὶ ἀτηρός. ἐτήτυμον, ἀντὶ ἔτυμον.

Ἔκτασις.

Ἔκτασις. ἐστὶν ὅταν τὰ συστελλόμενα δίχρονα ἐκταθῇ, ἢ τὰ βραχέα εἰς τὰ μακρὰ ἀντίστοιχα αὐτῶν μεταθῇ. οἷον, καλός, κᾱλός. κόρη, κώρη.

Ἐπέκτασις.

Ἐπέκτασις, ἐστὶ πλεονασμὸς συλλαβῆς κατὰ μέσον ὁμοτόνου, ὅταν μὴ γενικὸν παρατήρημα κωλύσῃ. οἷον, εὐτύχεον, ἀντὶ εὔτυχον. ἀδελφειός, ἀντὶ ἀδελφός. πολεμήϊα, ἀντὶ πολέμια.

Διαίρεσις.

Διαίρεσις, ἐστὶ συλλαβῆς ἀνάλυσις, ἢ διάστασις εἰς δύο. τὸ τε πάθος Ἰώνων, καὶ θετταλῶν. οἷον, πάϊς, ἀντὶ παῖς. κόϊλον, ἀντὶ κοῖλον. βέλεος, ἀντὶ βέλους.

Παρένθεσις.

Παρέν-

Παρένθεσις, ἐστὶ προσθήκη φωνήεντος κατὰ μέσον, οὐ ποιοῦντος συλλαβήν. οἷον, πνείοντος, ἀντὶ πνέοντος. κεινὴ, ἀντὶ κενή. νοῦσος, ἀντὶ νόσος. ξεῖνος, ἀντὶ ξένος. εἰληλυθὼς, ἀντὶ ἐληλυθώς. τὸ δὲ πάθος ἰώνων.

Διπλασιασμός.

Διπλασιασμὸς, ἐστὶ τοῦ αὐτοῦ συμφώνου προσθήκη κατὰ μέσον, οὐκ ἀποτελοῦντος συλλαβήν. οἷον, ὅττι, ἀντὶ ὅτι. ἄδδην, ἀντὶ ἄδην. μέσσον, ἀντὶ μέσον. ἔννεπε, ἀντὶ ἔνεπε. ὁππότε, ἀντὶ ὁπότε. τὸ δὲ πάθος ἰώνων.

Παρέμπτωσις.

Παρέμπτωσις, ἐστὶ προσθήκη συμφώνων κατὰ μέσον, οὐκ ἀποτελούντων συλλαβήν. οἷον, πτόλις, ἀντὶ πόλις. πτόλεμος, ἀντὶ πόλεμος.

Προσχηματισμός.

Προσχηματισμὸς, ἐστὶ προσθήκη συλλαβῆς κατὰ τὸ τέλος. ἔστι δὲ τῶν τεσσάρων διαλέκτων ἴδιος. οἷον, λόγοισιν, ἀντὶ λόγοις. μούσαισιν, ἀντὶ μούσαις. προσώπατα, ἀντὶ πρόσωπα. ἐγὼν, ἀντὶ ἐγώ. λεκτέον δὲ καὶ περὶ ἐνδείας.

Ἔνδεια.

Ἔνδεια, ἐστὶν ἀφαίρεσις κατ' ἀρχὴν στοιχείου. οἷον, ὀρτὴ, ἀντὶ ἑορτή. αἶα, ἀντὶ γαῖα. κεῖνος, ἀντὶ ἐκεῖνος. τὸ δὲ πάθος ἰώνων.

Ἄρσις.

Ἄρσις, ἐστὶν ἀποβολὴ κατ᾽ ἀρχὴν τῆς ἀναδιπλωμένης συλλαβῆς. οἷον, βλῆσθαι, ἀντὶ βεβλῆσθαι. δέχθαι, ἀντὶ δεδέχθαι. βλημένος, ἀντὶ βεβλημένος.

Συστολή.

Συστολή, ἐστὶν ὅταν τὰ ἐκτεινόμενα δίχρονα συσταλῇ ἢ τὰ μακρὰ, ἢ τὰ βραχέα ἀντίστοιχα αὐτῶν μεταθῇ. οἷον, φυσίζοος, ἀντὶ φυσίζωος. ξερὸν ἀντὶ ξηρόν.

Συγκοπή.

Συγκοπή, ἐστὶν ἀποβολὴ συλλαβῆς κατὰ τὸ μέσον. οἷον, κάμμορος, ἀντὶ κακόμορος. δάσκιον, ἀντὶ δασύσκιον.

Συναλοιφή.

Συναλοιφή, ἐστὶ δύο συλλαβῶν κατὰ φωνῆεντος ἕνωσις καταβολῇ τόνων. γίνεται δὲ κατὰ τρόπους ἑπτά. ἁπλοῦς μὲν, τρεῖς. κατὰ θλίψιν. κατὰ κρᾶσιν. κατὰ συναίρεσιν. συνθέτους δὲ, τέσσαρας. κατὰ θλίψιν, καὶ κρᾶσιν. κατὰ θλίψιν, καὶ συναίρεσιν. κατὰ κρᾶσιν, καὶ συναίρεσιν. κατὰ θλίψιν καὶ κρᾶσιν, καὶ συναίρεσιν. κατὰ θλίψιν, ἐπ᾽ ἐμὲ, ἀντὶ ἐπὶ ἐμέ. κατὰ κρᾶσιν, τἀμὰ, ἀντὶ τὰ ἐμά. κατὰ συναίρεσιν, νηρῇδες, ἀντὶ νηρηΐδες. κατὰ θλίψιν καὶ κρᾶσιν. κἀγὼ, ἀντὶ καὶ ἐγώ. κατὰ θλίψιν

καὶ

ἢ συναίρεσιν, ἐμοῦ ποδ' ὠκύς, ἀντὶ ἐμοὶ ὑπὸ δ' ὠκύς. κατὰ κρᾶσιν ἢ συναίρεσιν, ὤ'πόλος, ἀντὶ ὁ αἰπόλος. κατὰ θλίψιν ἢ κρᾶσιν καὶ συναίρεσιν, ἐν τᾳ̃ θιοπίᾳ, ἀντὶ ἐν τῇ αἰθιοπίᾳ.

Ἔλλειψις.

Ἔλλειψις, ἐστὶν ἀποβολὴ φωνήεντος κατὰ μέσον, οὐ ποιοῦντος συλλαβήν. ἀμύξαι, ἀντὶ αἰμύξαι, γεραὸν, ἀντὶ γεραιόν.

Παρέλλειψις.

Παρέλλειψις, ἐστὶν ὅταν ἕν τι τῶν διπλασιαζομένων συμφώνων παραλείπεται. κάλιον, ἀντὶ κάλλιον. θᾶτον. ἀντὶ θᾶττον.

Ἔκθλιψις.

Ἔκθλιψις, ἐστὶν ἀποβολὴ ἑνὸς συμφώνου ἐντός τῆς πρώτης καὶ τελευταίας συλλαβῆς, οὐ ποιοῦντος συλλαβήν. σκῆπτον, ἀντὶ σκῆπτρον.

Ἀποκοπή.

Ἀποκοπὴ, ἐστὶν ἀφαίρεσις συλλαβῆς κατὰ τὸ τέλος. οἷον, δῶ, ἀντὶ δῶμα. ἀπόλλω, ἀντὶ ἀπόλλωνα. ποσειδῶ, ἀντὶ ποσειδῶνα.

ANNO=

ANNOTATIONES CASPARIS LANDSIDELII LIPSICI.



Vm hoc quicquid est operæ ac laboris in indicandis autorum locis, qui in libello Linacri, perutili sanè discipulis linguæ Latinæ citantur, suscepissem, primũ ut gratificarer ijs quibus tum erudiendis studia mea impendebam, deinde uerò etiam ut satisfacerem quibusdam sedulò idipsum flagitantibus, quòd putarent exempla pleraq; esse perobscura & ad imitandum minus apta adolescentibus, nisi quo loco & qua ratione essent ab ipsis autoribus usurpata uiderent, & uelut in rem præsentem perducerentur, deprehendi multa paßim perperam uel citata uel exarata, quæ etsi iudicabam minimè esse dißimulanda, ijs tamen sine discrimine corrigendis aut penitus tollendis manum admouere non audebam. Quis enim ferret (hoc præsertim sæculo quo uix quicquam etiam præclarè actum reprehensione caruit) in alieno opere curiosius uersantem, multáq; suo iudicio transponentem aut mutantem prorsus? Quis autem, non alienus à studijs humanitatis, adeò est imprudens, morúmq; ac ingeniorũ & planè uitæ communis ignarus, qui nesciat semper fuisse libera eruditorum iudicia, atq;, in hoc præser-

tim

tim genere, nō rarò dißidentes sentētias? Quemadmodum & animorum motus diuersi sunt ac uarietatis propemodum infinitæ. Atqui, quid alterū in unaquaq; re statuenda mouerit, quod quisque consilium ubiq; sequutus sit, cur discedere à recepta aliqua opinione seu sententia uoluerit, explicare uelle curiositatis esse uidetur non necessariæ. Neque ego tanquam Criticus antiquus ausus sum pronunciare, quæ ipsius autoris sint propria, quæúe ab alijs corrupta aut interposita. Sed quo unicuiq; liberum iudicium in omnibus relinquerem, neque arguerer temere quicquam mutasse, aut reprehendisse immeritò, ea qua potui diligentia et fide contuli locos singulos penè cum exemplaribus autorum ijs quæ nunc habentur emendatißima, & quicquid obseruatione aliqua non omnino indignum uidebatur, adnotatum simpliciter consilio uiri clarißimi et eruditione ac uirtute præstantis Ioachimi Camerarij, ut seorsim ad libellum adijceretur curaui. Reliqua autem manifestißima errata librariorū prorsus absq; indicatione ulla sustuli. Non grauatim alteri cuipiam hanc industriæ laudem concessurus, ut, si qua sunt præterea perturbata aut confusa meliore, si poßit, ordine collocet, praua corrigat, restituat labefactata, aliena è medio tollat. Mihi satis fuit in tantis occupationibus et curis pleraq; quasi digito demonstrasse.

AD LIBRVM PRIMVM.

PAgina 5. Saluſtius Audito &c.] Citatur à Priſciano, ſed plenius. At Lucilius Audito Martium Regem pro conſule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.

Eadem pag. & 312. Teſtato] Alij teſtatæ.

11. Si pars &c.] Al. Si pedum quadrageno diſtent ſpacio.

Ead. Quia ſeptena eſt] in emendatis codicibus paßim legitur, quæ quia ſeptena ſunt. Verũ lectio prior eſt apud Vallam, lib. 3. cap. 6. Elegant.

Ead. Durare ad &c.] Al. Durare libidinem contactu herbæ cuiuſdam &c. poſuit.

22. Idem ſi fas &c.] Al. Nulla excluſura dolentes Ianua ſi fas.

29. Suggere tela manu.] Al. Suggere tela mihi.

34. De præſentibus.] Al. De ſequentibus, hoc ſenſu. Idem non ſolum de primis annis præceptum ſit, ut ſcilicet ſemper anticipemus aliquid ex ijs quæ diſcenda ſunt, ſed etiam de ſequentibus.

Ead. Eamus & in &c.] Virgil. lib. 2. Aeneid. Moriamur & in media arma ruamus.

35. Dij uota ſecundent.] Al. Dij uiſa &c.

Eadem

Ead. Dij illum &c.] Eunuch. act. 2. scen. 3. Vt illum dij deæq; senium perdant.

38. Marsici.] Al. Maßici. Celebratißima sunt Maßica Bacchi munera, apud Virgilium, Horatium, Martialem. Plin. lib. 14.

Eadem Pagina, Cicer. ad Quint. frat. Nihil est quod uerear de eius eruditione. Idem: Quod labores nihil est.] Vel ex hoc loco iudicari posse arbitror multa paßim esse deprauata, quorundam oscitantia, qui primi hoc opus descripserunt. Apparet enim ea, quæ unius loci erant, diuulsa esse, propterea, quod per errorem præcedentia uerba Terentij repetita, speciem diuersorum locorum præbuerant. Ciceronis uerba sunt in lib. 2. epist. 3. De eius eruditione quod labores nihil est.

39. Macijq; meditabor.] Al. Macijq; literis meditabor.

Ead. Patris] Al. Parentis, fortaſſe rectius, ne claudicet uersus.

Ead. Proprium] Al. Impropriū. Et ita legendū est: Loquitur enim de uitio, quod fit p quantitatem, ueluti si quis magnum pecuniolū dicat.

Ead. Scirem.] Al. Sciam.

40. Vbi si quid &c.] Al. Vbi si paululum modò quid te fugerit.

Ead. Migrare.] Al. Migrasse.

53. Hoc tam subito & repentino.] Al. hoc tanto tam repentino. O 2 Ead.

Ead. Qui in opere &c.] Al. Qui opere rustico faciundo facile sumtum exerceant suum.

57. Apud illos habuisset.] Pagina sequenti pro, habuisset, comperisset, in eodem Senecæ loco rectè legitur.

60. Molendum &c.] Al. Vsque molendum esse pistrino. Siue, Molendum usq; in pistrino.

61. Esse perferendum] Al. ad structuram orationis illius accommodatè, usitata ratione, essent perferendi, legunt.

63. Liuius, Habes &c.] hæc sunt in oratione Ciceronis pro Cælio.

64. Ad M. Leccam &c.] Al. Apud M. Lepidum. Et de M. Lepido loqui Ciceronem, non de M. Portio Lecca, ex historia liquet. Verum ad pro apud sæpe usum esse eundem notum est. Incidit forte Linacer in corruptos Seruij commentarios, de quibus hæc duo exempla Ciceronis descripta uidentur.

Ead. Nam refert &c.] Al. Nam ut refert in agro ad quam partem cæli quisq; locus spectet, sic ad &c.

67. Horat. Iliacos &c.] lib. 1. epist. 2. Iliacos intra muros peccatur & extra.

Ead. Ancillulam.] Al. aniculam.

68. Plaut. in Mostell. Glaucoma ob &c.] In Milite act. 2. Glaucomam ob oculos obijciemus. Sic & Priscianus libro 6. addens illud Laberij

Nec

Nec Pythagoream dogmam doctus: quod hæc neutra Græca antiquißimi secundum formam primæ declinationis extulerint.

69. Ita petulans est &c.] Al. Ita petulans es atq; acer, ut ne ad solarium quidem idoneus etc. eiusmodi locis exercitus sis.

Ead. Per se utrumq;.] Al. Seorsim utrumq;.

70. Cice. pro Quint. Ego &c.] Al. Ego pro te nunc hoc consulo, post tempus, in aliena re, quod tu &c.

72. Serranus quoq; horum.] Al. Quisq; horum loco &c.

73. Bonum à tempest. &c.] Al. Liberum à tempestatibus & à religionibus &c.

74. Idem: ab Decumana &c.] Eodem libro. Ab Decumana porta in castra irrumpere conantur.

75. Cicer. ad Attic. Emi domum &c.] Nusquam (quod sciam) emtionis illius, his quidem uerbis, meminit ad Atticum. Sed lib. 5. epi. fam. Quod ad me (inquit) pridem scripseras, uelle te bene euenire quod Craßi domum emissem, emi eam ipsam domum &c.

76. Quantum nos] Al. Ecquid nos.

77. Cicer. E renibus laborat.] lib. 2. Tuscul. Cum è renibus laboraret. Dionisius, scilicet, Heracleotes.

78. Terent. Pro isto] Phorm. act. 2. scen. 1.

82.Salust.Panem in diem mercari.] Vall.lib. 4. cap. ult. adiecta etiam interpretatione hanc lectionem confirmat. Exemplaria autem impressa, quæ uidere licuit, Panem indies mercari, habent.

Ead. Hæc quæ in horam &c.] Al. At hi qui in horam uiuunt non modo de fortunis & de bonis &c.

83.Cicer.Cum id &c.] Philip.1. Cum serperet in urbe infinitum malum, idq; manaret indies latius.

84.Quo mihi fortuna si non permittitur uti] Al. Si non conceditur uti. Linacer longe aliter infra libro 6. pag. 405. Quo mihi fortunam, si non permittitis uti? & tanquam approbans eam ipsam lectionem, inquit, Id est ad quem usum uel finem dicatis mihi esse fortunam?

86.Duo quidem nominatim rogo, primum ut si quid satisdatum erit amplius &c.Et paulò aliter pag.120. Duo quidem à te nominatim rogo, Primum ut si quid satisdatum amplius &c.] Emendati codices sic habent. Sed duo quæ te nominatim rogo: Primum ut si quid satisdandum erit amplius &c. atq; sic legendum facile probant sequentia, cures ut satisdetur fide mea.

87.& 182. Ambiente (ut dictum est) ocæano &c.] Al. Ambienti &c. longißimè ab ortu ad occasum patet.

Ead. Cæſari nihil æquè ac iudicis &c.] In Iulio. Vt ad populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit. C. Rabirio dicit Suetonius Cæſaris iudicis acerbitatem profuiſſe.

88. Forſit honorem.] pro, forſit, forſan nunc legimus: Priſcianus uerò inter aduerbia in t, ſat pro ſatis, & forſit pro forſan, hoc ipſo exemplo Horatij uſus, recenſet.

90. Plaut. Euax &c.] Al. Euax iurgio Hercle tandem uxorem abegi ab Ianua.

Ead. Virgil. Heu quæ me &c.] lib. 2. Aeneid. Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt Accipere?

91. Terent. Eunuch. Ha ha he defeſſa &c.] act. 5. ſcen. 7. Perij defeſſa iam ſum miſera de te ridendo. Illa ridentis interiectio eſt in ſcen. 1. actus 3.

92. Idem, ad hæc accedebat] Huc accedebat, non, ad hæc, conſtans eſt lectio.

96. Terent. Sed uim patris &c.] And. act. 1. ſcen. 5. Sed uim ut queas ferre, Puto autem, patris adiectum ex paraphraſi, quæ eſt in commentarijs.

AD LIBRVM II.

101. Etſi nullus dixeris.] Hecyr. act. 1. ſcen. 2. Si non quæret, nullus dixeris.

102. Quod ſcribis &c.] Quod ad me de Hermathena ſcribis.

Ead. Plaut. Aulul. Iam ad te &c.] act. 1. Iam ad te reuortar, nam est quod uisam domum. De aula enim sua non de Megadoro loquitur.

103. Vestra.] Al. Vestras.

104. Sed si quid sit &c.] And. act. 4. scen. 3. sed, si quid est, Quod mea opera opus sit uobis, aut tu plus uides, manebo.

105. Nec fuga iam super ulla.] Est quidem apud Virgilium in 8. Aeneid. Neq; enim fuga non super ulla pericli est. Sed τμῆσις in eo uersu præstat exemplum dißimile.

109. Stomachi autem &c.] Al. Ipsius autem partes eæ, quæ sunt infra id, quod deuoratur, dilatantur, quæ autem supra, contrahuntur, Sed cum aspera arteria (sic enim à medicis appellatur) ostium habeat &c.

Ead. Pers. Hesternum &c.] Satyr. 5. Iam cras hesternum consumsimus.

Ead. Euge tum,] pro Euge tuū. Mendum est librarij, ut infra cap. 126. Cuius uestri? pro cuius nostri?

Ead. Tuas decimo &c.] Al. Tuas XI. Calend. &c. quid actum sit.

110. Loca calida &c.] Al. Loca calida propè aream faciunt, ac umbracula, quo succedant homines in æstu tempore meridiano. Quo, id est sub quæ umbracula, potius, quam in quæ, ut Linacer.

Eadem

Ead. Sisenna ut Gellius citat.] Non puto à Gellio citari, sed Nonio Marcello.

112. Caßius Hæmia ex Gellio &c.] Plin. libro 13. cap. 13. hunc Hæmine locum ex libro 4. annalium paulò aliter citat. Lapidem fuisse quadratum circiter in medio arcte uinctum candelis quaqua uersum &c. in Gellio non legi.

114. Plaut. Amphit. I tu &c.] act. 2. Hanc fuisse corruptam lectiõem quondam, docent emendationes Piladis. Et propterea etiam nunc uulgò legitur, Age tu, Subsequor te. At exemplar Plautinum ad fidem codicis uetustißimi magno iudicio & exquisita diligentia à D. Ioachimo Camerario restitutum habet, Age, i, tu secundum. Sequor, subsequor te.

115. Plaut in Trucul. Iam &c.] In Mercatore act. 3. Ecastor iam biennium est cum mecum rem cœpit habere.

Ead. Dies haud &c.] Dies haud ita multi intercesserant, cum ex Leontinis legati præsidium finibus suis orantes, uenerunt.

117. Virgil. Et Dardana &c.] lib. 2. Aeneid. Ipse deos in Dardana suscitat arma.

118. Non uult.] Al. Nolunt.

120. Mare Ponticum est dulcius cæteris maribus, id est, minus amarum.] Interpretatio quidem huius loci Salustiani Diomedis est, sed le-

ctio diuersa, ita enim apud hunc, Seruium quoq; in 12. Aeneid. & Priscianus lib. 15. Mare Ponticum dulcius est quàm cætera maria, Vbi Priscianus, quam, comparationis seu electionis aduerbium esse admonet, quamuis interpretatio eius, id est, ἤπερ apud Græcos coniunctio sit electiua.

Ead. Quem ego infra] Al. Quem ego esse infra.

121. Suet. Aug. Ad modum pristinum splendorem &c.) ut sensus constet, ex ipso auctore assumenda quædam sunt hoc modo, Senatorum affluentem numerum, ad modum pristinum & splendorem redegit.

Ead. Virgil. Gurgite septeno &c.] Laurentius quoq; Eleg. libro 3. cap. 6. Virgilium huius uersus auctorem facit, Qui est ex lib. 8. Lucani.

Ead. Bis denis nauibus.] Al. Ter denis, idq; conuenit expositioni Seruij.

123. Cicer. Sexcenta possum &c.] libro 3. in Verr. Possum sexaginta decreta proferre, & libro 2. de diui. Sexcenta licet eiusmodi proferre.

Ead. Qui cum ad unum] Al. Qui cum unum.

125. Item qui pro quis. Virg. Qui nunc &c.] lib. 6. Aeneid. Quid uult concursus ad amnem? de qua lectione non dubitare quenq; arbitror.

126. Cum iure &c.] Al. Quo pacto ex iure, quemadmodum & Linacer ipse infra lib. 6.

Ead.

Ead. Orat te, si se ames, hera, ut ad se uenias] Varié hic locus citatur à Linacro, ut pag. 224. Orare iußit si se ames, hera, ut ad se uenias. Alibi: Orare iußit hera, si se ames ut ad se redeas. Primam lectionem etiam probasse uidetur ordinatione sententiæ. Legitur nũc in libris castigatioribus, Orare iußit si se ames, hera, iam ad sese uenias.

127. Nam negligentia tua &c.] Phormione scen. ult. Nam neq; negligentia neq; odio id fecit tuo, Sensu nimirum contrario legendum, res ipsa, de qua uerba fiunt, docet.

129. Vna omnes &c.] Al. Foras simul omnes proruunt se.

131. O tempora &c.] libro 12. epistol. 28. ad Attic.

132. Gellius, Qui ornarent &c.] lib. 5. cap. 6. Qui ouaret introire solitum equo uehente. Interpretatio adiecta à Linacro, conuenit corruptæ, non ueræ lectioni.

Ead. Terent. Falsus es animo.] And. act. 4. scen. 1. Falsus es.

133. & 244. Horat. tabulamq; sinistro.] lib. 1. epist. 1. Tabulamq; lacerto, recté legitur.

134. Id quod ad rem.] Al. Idq; ad rem.

Ead. Nequicquam credite amice.] Al. Ac nequicquam cognite amico.

135. Iuuenem.] Al. Adolescentem.

136. Ter.

136. Terentius: Vel rex mihi semper agebat gratias.] Eunuch. act.3.scen.1. Vel rex semper maximas mihi agebat, quicquid fecerã, Vbi Donatus admonet subaudiri, gratias, ab eo quod supra dixit, Magnas uero agere gratias Thais mihi.

Ead. Nil aliud &c.] lib.6.fasto. Nec tu aliud Vestam quàm uiuam intellige flammam.

Ead. Nihil aliud] Al. Neq; aliud.

AD LIBRVM III.

Pag.145. Chremetem percußisse &c.] Qu. lib.8.cap.2.

150. Quæ quidem &c.] Al. Quem quidem, scilicet Dionisium.

151. Quod omnium est primum.] Al. Quod rerum omnium est primum.

152. Iustum erat &c.] Al. Iustumq; erat duæ libræ in quinq; semodios.

Ead. pag. appellant] Al. appellatur.

Ead. de orat.] in Bruto.

Ead. quod eo loco] Al. quod ibi.

154. Cicer. Quibus &c.] Attic.lib.14.ep.6. Quibus in extremis erat. Eius generis ἐλλείψεις frequenter occurrunt in lectione epistolarum Ciceronis.

155. Idem, Cum ipsa &c.] lib.5.epistol.21.ad Attic. Quin cum omnibus copijs ipsa prima æstate Euphratem transiturus sit.

Ead.

Ead. Qui ſe primos] Al. Qui eſſe primos ſe.

160. Quali digna tabella] Iuuenal. Sat. 4.

162. Quiſquis fuit ille deorum] Ouid. 1. Metamorph.

164. Recipere.] Al. Accipere.

Ead. Idq́; ſi nunc &c.] Al. Idq́; ſi nunc memorare hîc uelim &c. ueré poßim.

167. Quam Iuno fertur terram magis omnibus unam.] Al. Terris, & rectè.

168. Celebritatem.] Al. Celebritate.

169. Quin uxorem illam.] Al. Quin eam uxorem.

170. Vt ſatis] Al. Vtrum ſatis.

Ead. Virg. An quiſquam nobis &c.] Vbi hîc uerſus ſit apud Virgilium non memini. Eſt uerò non ualde dißimilis Eclog. 5. An quicquam nobis tali ſit munere maius.

171. Tam bono.] Al. Tanto bono.

172. Corrigere.] Al. Corripere, ſine dubio rectius.

174. Inter & Acheidas &c.] Inter Achæidas longe &c. uerſus eſt Ouidij in ep. Briſe.

Ead. Superq́;.] Al. Præterquam.

176. Aues nō adeſſent] Al. Non admiſiſſent.

Ead. Cicer. in Piſonem proximus Pompeium ſedebam.] ad Attic. libro 1. epiſt. 9. Proximus Pompeio ſedebam, Quo in loco etiam fuerunt qui Pompeium legerent.

178. Centum & duos &c.] Al. CXXII. annos impleri negauit posse, Berosus excedi centum septemdecim.

179. Trina bella.] Tria bella, in castigatis codicibus.

Ead. Mutatio & in alias figuras transitus.] Al. Mutationes &c.

180. Vicenas & centenas turtures.] Al. Vicenos & centenos.

181. Germanici nostri triumphum &c.] Al. Consulatum. Ipso enim carmine non triumphum sed consulatum Domitiani celebrat.

182. Pars nostra terrarum, de qua memoro, ambiente &c.] Al. Ambienti, ut dictũ est, ocaeano uelut innatans, longißimè ab ortu ad occasum patet &c. In eodem loco pro octogies, octuagies in emendatis Plinij codicibus & castigationibus Hermolai habetur contra doctrinam L. Vallae, in lib. 3. eleg.

183. Horat. Si septingentis &c.] lib. 1. epist. 1. Si quadringentis sex, septem milia desunt. Loquitur enim de censu equestri qui fuit quadringentorum sestertiorum Auto. Plin. libro 33. capite 2.

184. pro Milone. In quibus propter &c.] Al. Qua in fundo propter &c. mille hominum uersarentur. Et hanc fuisse perantiquam lectionem apparet ex eò, quod illam reprehendens Gellius,

Gellius, Ciceronem, mille hominum uersabatur, scriptum reliquisse, grammatica ratione probare contendit, pariterq; eum secutus. Macrob. lib. 1. cap. 5. Satur.

Ead. Cicer. Si doceo &c.] lib. 5. in Verrem: Quid? si docebo iudices eos, qui CCCC. milia mod. lucrifaciunt. Eiusmodi notis talia scribere solitos fuisse antiquos, à multis est in monumentis illorum obseruatum, ut frustra Priscianus hoc in loco modium pro modiorum positum annotasse uideatur.

187. Pertinax.] Al. Peruicax.

Ead. Plaut. Cupidus &c.] Pænul. act. 1. Leno ad se accipiet auri cupidus.

188. Egomet.] Al. Ego pol.

189. Tam lactis.] Al. Quam.

190. Nec reuerentior] Al. Aut illa reuerentior.

Ead. Liuius: Contentus libertatis.] libro 4. dec. 3. Iam libertatis contentos esse.

Ead. Ascilua.] Ast Ilua.

Ead. Plautus: Falsus animi.] Terentius Eunuch. act. 2. scen. 2. Vt falsus animi, Vbi animi pro animo, ἀντίπτωσιν ueterum esse Donatus ait.

Ead. Præfectus pretorij.] Al. Pretorio, & fortasse rectius, cum usus, ut ita potius dicatur, obtinuerit.

191. Perq;

191. Perq; nouem &c.] Conuertendus est uersuum ordo hoc modo, Sedit humo nuda, nudis incomta capillis Perq; nouem &c.

192. Sanguinis atq; animæ corpus inane fuit] in epist. Briseid. Sanguinis atque animi pectus innane fuit.

Ead. Prospicit.] Al. Respicit.

193. Horum ego semper optarem.] Horum, semper ego optarim &c.

194. M. Perpenna &c.] Al. M. Perpenna & nuper L. Volusius Saturninus omnium quos in consulatu sententiam rogauerant, superstites fuere.

196. Villula cepisset] Al. Villa recepisset.

Ead. Lucus erat.] Al. Lucus iners.

197. Idem, Atq; ita &c.] Eod. cap. Atq; item mense ultimo Aprilis serito tantum &c.

198. Terent. Dignus es odio cum suspitione isthac tua scelus] Suspicor hic duos locos confusos esse, quorum alter est in Andria act. 2. sce. 1. Abi hinc in malam rem cum suspitione isthac, scelus. Alter, act. 5. sce. 4. Dignus es cum tua religione odio. Prior nihil ad rem facit.

199. Filium.] Al. Gnatum.

Ead. Senectute affectum &c.] Quin. Scæuola confectus senectute, præditus morbo.

Ead. Magnorum haud quaquam indignus auorum.] Al. Magnorum haud unquam &c.

200. Thais

200. Thais quam ego maiuscula est] al. Thais ego quam sum maiuscula est.

Ead. Alius sapiente bonóq;] Versus integer est. Neue putes alium sapiente bonóq; beatum.

202. Solinus. Calamitosior an beatior &c.] Sic ille de Augusto cap. 3. Tanta ac tot in uita eius inueniuntur aduersa, ut non sit facile discernere, calamitosior an beatior fuerit.

205. Cic. pro Murena, Ea cædes &c.] Non ex oratione pro Murena, quæ extat: sed pro Vareno, quam non habemus, citatur hoc exemplum à Prisc. lib. 12.

Ead. Si in re est] al. Si in rem est.

Ead. Quid est mea.] al. Quid id mea. ut sit ἔκλειψις uerbi, interest.

208. Teren. Hem tot mei &c.] Heaut. act. 1. sc. 1. Al. Hem tot mea solius soliciti sunt caussa. Linacer secutus est Vallam, qui in hoc uersu, mei, legit lib. 2. cap. 1. tanquam hic paßio significetur. In, mea, actio in seruitijs explicatur.

209. Quint. Deinde cum satis &c.] Etiam illa non aliter referuntur à Valla. At (nisi fallor) nunc mutatis quibusdam, ita habetur lib. 2. cap. 7. Tum expertas uires libero cœlo, suæq; ipsorum fiduciæ permittunt.

Ead. Copia placandæ &c.] al. Sit modo placandæ.

214. Quintil. Damonem & Phinciam &c.]

Ciceronis hæc sunt ex lib.3. Offic. ubi pro Phintiam, Pithiam legitur. Verum comperi quibusdam uideri ueram esse scripturam, Phintiam, quod & ipsum indicandum putauimus.

216. Teren. Munus &c.] Eunuch. act. 2. sc. 1. Munus nostrum ornato uerbis quod poteris: & istum æmulum, quod poteris ab ea pellito.

218. Ouium ad summum genera duo] al. Ouium summa genera duo.

Ead. Doctum atq; educatum] al. Doctum atque eductum. Educare rarò ueteres, educere frequenter dixerunt. Sic in Eunuch. Docere atq; educere. Et, Educta uti téq; illáq; dignum est. Heaut. Bene ac pudice eductam. Adelph. Eduxi à paruulo. Apud Virg. Paruos educere natos. Item: Eductum Aegeriæ lucis. Et plane in re nota, ne his quidem exemplis opus fuisset.

Ead. Idem in Eunuch. Qui tibi &c.] act. 4. sc. 7. al. Sane quod tibi nunc uir uideatur esse, hic nebulo magnus est. Neque frustra Donatus admonet hanc esse figuratam locutionem.

AD LIBRVM IIII.

224. Sed quod amare sinas] al. Verum ut etc.

225. & 283. Lude decent animos] al. Annos.

Ibidem. Cic. de Orat. Quandoq; id deceat prudentiæ tuæ] Vbi exemplum hoc extet, uel ubi omnino simile reperiri poßit apud Ciceronem, nescio. Sunt quidem uerba penè eadem; sed pror-

prorsus alio sensu, & constructione planè non conuenienti instituto Linacri. in lib.3. de Orat. Scire quid quandoq; deceat, prudentiæ.

226. Cic. Tacitus uerò ille finis &c.] de ami. Tertius uerò ille finis deterrimus, ut quanti quisque seipsum faciat, tanti fiat ab amicis. recte.

Ead. Plaut. Menech. Die septimi &c.] al. Die septimi Auctio fiet Menæchmi mane sanè septimi, Venibunt serui, supellex, fundi, ædes, omnia uenibunt, quiqui licebunt præsenti pecunia.

227. Pennarum attritu sonare creditur] al. pennarum & fœmorum attritu sonare, creditur sanè.

Ead. Eun. Multo etc.] act.4.sc.5. Vah, quanto nunc formosior uidere mihi, quàm dudum.

228. Substratione] al. Substructione. (12.

231. Ad Trebatiũ] Ad Appiũ Balbũ, li.6.ep.

232. Quidam si unus &c.] Quidam tradunt si unus gignatur, nono die cernere, si gemini decimo, idémq; in singulos adijci, totidémque esse tarditatis in lucem dies, & ab ea quæ fœmina sit, ex primipara genita, citius cerni.

233. Diu uideor uita uiuere] Castigatũ quoddam exemplar Plauti habet, Tam ne tibi diu uideor uitam uiuere. In plerisq; alijs dictio, Vita, planè est omissa.

236. Gaudeat alienis] Dictio, Alienis, in castigatißimis quibusq; desideratur.

237. Teren. Omnes labores mei leues fuere] al. Omnes mihi labores fuere, quos cœpi, leues.

Ead. Egeat] al. Indigeat.

Ead. Quem ſcio.] al. Nam hunc ſcio.

238. & 494. Procuratorem &c.] al. Male petis, procuratori enim tibi eſſe non licuit.

240. Dedecus eſt meum] Non, meum, ſed noſtrum. Sequitur enim, noſtrum, inquam, te coniungens.

Ead. Minuſculum.] al. Immuſculum. Eſt autem Immuſculus auis, quam alij regulum, alij oſſifragam dicunt, autore Feſto.

242. Plin. Animal ſtridoris horrendi.] lib. 7. cap 2. Choromandarum gentem uocat Tauron ſilueſtrem, ſtridoris horrendi.

Ead. Ceruicibus.] al. Cruribus.

244. Liui. Si nihil.] Hæc ſunt ex libro ſeptimo Q. Curtij.

246. Val. Max. Si Dioniſium non adulares &c.] lib. 4. cap. 3. Quo in loco longe aliter: Si Dioniſio adulari uelles, iſta non eſſes. Imò inquit, Si tu iſta eſſe uelles, Dioniſio non adulareris. Actiua autem uoce uſus eſt Lucret. li. 5. longe alio pacto gannitu uocis adulant. Et Cic. 2. Tuſcul. Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.

247. Liuius Quod &c.] lib. 1. Quod annixurus pro ſe quiſq; ſit, ut cum ſua uice functus offi-

cio ſit, parentũ etiã patriæq́; expleat deſideriũ.

248. Idem ad Tironem] Ad uxorem, ep. 14.

Ead. Cic. ad Heren. Cæcilius &c.] Lib. 2. C. Cælius iudex abſoluit iniuriarum eum, qui Lucilium Poëtam in ſcena nominatim læſerat. P. Mutius eum, qui L. Accium Poëtam nominauerat, condemnauit.

Ead. Liui. Latæ &c.] Lib. 2. ab urb. Latæ deinde leges, non ſolum quæ regni ſuſpicione conſulem abſoluerem, ſed quæ &c.

249. Gell. Quam &c.] li. 18. ca. 3. In oratione illa ſæua, criminoſáq; et uirulenta, qua Timarchum, de pudicitia, grauiter inſigniterq́; accuſauit.

251. Barbaros male Romam petere reges.] Roma, non Romam, in emendatis codicibus.

252. Cic. Graui &c.] Li. 2. epiſt. 11. fam. Graui teſte priuatus ſum amoris ſummi erga te mei patre &c.

Ead. Cic. Homines &c.] Li. 3. ep. 10. fam. Te aũt quib. mendacijs homines leuiſsimi onerarũt.

Ead. Idem, Ego nunc mihi &c.] Ibidem, hodie longe ſecus. Ego nunc mihi ceſſo, qui non humerum hunc onero pallio.

253. Plaut. Nam ille &c.] Milit. act. 2. Nam ille non potuit, quin ſermoni ſuo aliquem familiarium, participauerit.

Ead. Virg. Impleuitque mero pateram pin-

guisq; ferinæ] Sunt ex diuersis locis coniuncta hemistichia. Prius est in fine li.1. Aeneid. Impleuitq; mero pateram, quam Belus & omnes: Posterius, in medio fere eiusdem libri, Implentur ueteris Bacchi, pinguisq; ferinæ. Ideoq; recte utrumq; separatim adducitur infra pag. 290.

254. Cic. Plagis &c.] lib. 7. in Verr. Plagis confectum dico à lictoribus tuis ciuem Romanum, ante oculos tuos concidisse.

258. Aut pluris uenissent, ea quoq; decem tanto pluris] al. Aut eo pluris uenissent, uti ea quoq; decuplo tanto pluris.

259. Liuius XXVII. ait. Sed nequaquam tantum relictum est] XXXVIII. Sed nec tantum redactum est &c.

Ead. Plaut. in Epid. Fateor &c.] act. 3. Fateor, me omnium hominum esse Athenis Atticis minimi precij.

260. Teren. Tu quid de me fiat parui curas] al. Tu fortasse, quid me fiat, parui pendis.

263. Idem de Orat. Africano &c.] li. 2. Africano illi maiori coronam sibi in conuiuio ad caput accommodanti &c.

Ead. Cic. in Tusc. Quod uetat &c.] lib. 4. Quod uetat Chrisippus ad recentes quasi tumores animi, remedium ahibere. Quæ sequuntur in eodem exemplo, sunt ex lib. 5. Persarum à Xenophonte uictus exponitur: quos negat ad panẽ adhibere quicquã præter Nasturtiũ.

264. Teren. in Hecyr. Quin te &c.] act. 3. sc. 1. At sic, citius qui te expedias his ærumnis, reperias.

Ead. Nam me cum &c.] Corrupta lectio est, sensu à re ipsa abhorrente, nisi pro Pompeius, scribatur, Pompeium, addito signo suspensæ sententiæ. sequitur enim, Cōstituit ad urbē uocare.

Ead. Teren. Heaut. Et quanta &c.] Hecyr. act. 5. sc. 4.

265. Catul. Sæuáq; abhorrebas prisci præcepta Catonis] In Argonaut. Sæua quod horrebas prisci præcepta parentis. Neq; huic loco Catonis nomen competere potest, cum sit querela Ariadnes desertæ à Theseo.

Ead. Plaut. in Capt. Agedum aspice nos] act. 3. al. Agedum aspice ad me.

266. Quint. Auribus &c.] li. 1. ca. ult. Aluearibus accommodent curam.

267. Missam cum in eum] al. Demissam cum ad eum.

Ead. Cæsar. Omnibus &c.] Ciceronis est in Philip. 2.

269. Captus sum] al. Deceptus sum.

271. Terent. in Heaut. Téq; &c.] In Hecyr. act. 5. sc. 1.

272. Via quadam] al. Via sacra.

Ead. Idem Horat. Procumbit &c.] Virg. in li. 5. Aen. Sternitur exanimisq; tremens procumbit humi bos.

273. Ouidius: *Vipereos dentes etc.*] *In epist.* Hypsip.

Ead. Plinius: *Cum spectare &c.*] *Suetonius hæc in* Claudio.

274. Idem. de nat. deor. *Sepultus esse dicitur*] Lib.2. Sepultos esse dicit Lacedæmone. Loquitur enim de Tyndaridis.

276. *Annum quintum & sexagesimum decessit.*] *Quæ uersantur in manibus exemplaria* Plinij, excesit, habent, usitata loquendi forma.

Ead. *Profectus ad id tempus.*] *al.* Id temporis. Laur. Valla, Per id tempus.

278. Me quoq; &c.] *al.* Me quantum hic operis fiat pœnitet.

279. Liui. Nec me eorum &c.] Li.1. ab urb. Me haud pœnitet eorum sententiæ esse.

Ead. *Cauete fratrum pro fratris salute precantium uos misereatur.*] *Sic & Priscianus* feré. lib. 8. *At nunc emendaté legitur, Caue te fratrum pro fratris salute obsecrantium miser*eat. Est ad Cæsarem ficta exclamatio Tuberonis. Plaut. in Trinu. Præmonstro tibi, ut ita aliorum misereat, caue tui alius misereat.

Ead. *Cœperat non conueniri.*] *Quintiliani codices castigatius impreßi, Conuenire habent, non conueniri. Et in exemplo proximé sequenti, ex libro decimo, Ad summa, non summam.*

Ead. Neque me &c.] *aliâs*, Neque mei neque te tui

te tui intus puditum est factis, quae facis.

280. Abstineo.] al. Abstineto.

Ead. Liuius: Romano &c.] libro 8. ab urbe: Quanquam Romano bello fortuna eum abstinuit, Quod quidem non de Alexandro Magno, sed eius patruo, Alexandro Epiri rege, commemoratur.

Ead. Abstinet ira] Ora, non impressa solum pleraque, sed & manuscriptta quaedam habent. Lectio Linacri ad simplicem constructionem propius accedit.

281. Plaut. Abstine isti hanc tu manum] Trucul. act. 5. al. Abstine hoc mulier manum. ut sit ἔκλειψις praepositionis ab.

285. Desidiosus] al. Insidiosus.

Ead. Tere. Phor. Si hoc celetur patri &c.] act. 5. sc. 4. Quin si hoc celetur in metu, sin patefit in probro siem. Sic & Laurent. lib. 2. capite 16. Eleg.

283. In illos] Hîc &, In illis, legitur, ac frequentius quidem.

288. Chrisidis patrem] Chrisidem, rectè.

289. Commodi] al. Commodis.

Ead. Vuas] al. Vmbras, rectè.

290. Plinius: Nonne si inuideris &c.] lib. 6. epi. 17. Tanto magis ne inuideris, nam qui inuidet minor est.

Ead. Purpuream Tiriam] Purpuram affers Tiriam qua &c.

Ead. Male rem gerentib. patrijs etc.] al. Male rem gerentib. patribus, bonis interdici solet.

291. Cic. in Verr. Pater improbus &c.] li. 4. Prætor improbus, cui nemo intercedere posset.

292. Plaut. Mer. Decide collum &c.] act. 2. al. Decide mihi collum, si falsum ad te loquar.

Ead. Plaut. in Mostell. Scis solere illac ætate &c.] scen. ult. Scis solere illanc ætatem tali ludo ludere. In emendatis exemplaribus.

Ead. Obrutam] al. Obtritam.

294. Ouid. Per lucos etc.] li. 5. Metamorph. Perq; lacus altos & olentia sulphure fertur.

295. Quint. Doctores &c.] Sensum fortasse reddidit Linacer. Si modo est is locus qui libro 2. cap. 5. hodie legitur. Nunc scio id fieri apud Græcos per adiutores, quia non uidentur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi uelint.

Ead. Qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur.] al. Qui te &c. Sed duobus in locis Priscianus hoc exemplo Ciceronis constructionem uerbi, præstolor, cum Datiuo confirmat.

Ead. Idem. de nugis &c.] lib. 1. de Orat. De huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri.

296. Cato de re rust. Quin pecuniam satisfaceret] cap. 149. Donicum pecuniam satisfecerit.

Ead. Teren. Mea bona utantur] Adelph. act. 5. sc. 3. Mea quæ præter spem euenêre utantur.

Ead. Ausculta pauca] Priscianus in 18. Donatum, ex antiquorum codicum fide, hanc lectionem probare affirmat, licet uulgata, Paucis, habeat.

297. Ira recens] al. Caussa recens.

Ead. Fab. Nec Celso] lib. 8. cap. 3.

298. Rectorémq; nauis] al. Rectorémq; ratis, Ita legendum arbitror, aut expungendam coniunctionem.

299. In Heaut. Dum nos &c.] act. 2. sc. 3. Verum interea dum sermones cedimus, illæ sunt relictæ.

300. Virg. Quin etiam &c.] al. Cum iam etiam. lib. 1. Georg.

Ead. Columel. Quibus &c.] lib. 2. cap. 16. Si deficiatur omnibus agricola.

Ead. Templi] al. Culminis. lib. 2. Aen.

301. Idem M. Catoni: Incumbit etc.] Pro Murena. M. Catoni incumbenti ad eius perniciem.

Virgilius: Incumbere mari] li. 1. Aeneid. Incubuere mari. (stra.

302. Quod nostra.] Quod eos scire aut no-

Ead. Interesse in cædē] al. Interesse in cæde.

Teren. Hei mihi] al. Beasti. And. sc. 1.

304. Quæ opus erant] al. Quæ in rem opus erant.

306. In

306.In ea causa &c.] Locus integer est, qui ualde corrupte hic citatur. Videor mihi cum separatim de probitate eius & moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tantopere diligerem exposuissem, in ipsa caussa exponenda satis etiam de probitate dixisse, Sed tamen sepatim promitto, in meq; recipio, fore &c.

307 Plaut. Pseud. Ego &c.] act.1. Recte ego meam rem sapio. Atq; ita sané habent exemplaria castigata.

308. Virg. Ferrea quæ.] Farráq;, ne blando &c. recté. li.3. Georg. Adde Gell. li. 1. ca.22.

Ead. Quint. Poetæ ut pictores &c.] lib.10. cap.2. quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Poetarum eo loco nulla fit mentio.

309. Tere. Vt omnes &c.] Hecy. act.2. sc.1. aliâs. Vt omnes mulieres eadem æque studeant, nolintq; omnia.

310. Decedere.] alias, Discedere, Recté.

312. Plin. de satu. etc.] li.17. ca.24. At abunde de satu cultuq; arborum tractato.

313. Immundam segnitiem] al. immundæ segnitiæ.

315. Idem Hic dies attulit &c.] pro M. Marcell. Diuturni silentij &c. finem hodiernus dies attulit, idemq; initium, quæ uellem, quæq; sentirem meo pristino more dicendi.

317. Liui. Inter accipiendum etc.] li. 6. dec. 1. Inter accipiendas de ſuis commodis rogationes.

320. Creſcitq;.] al. Viuitq;. lib. 3. Georg.

322. Fortunam bello tentare.] al. Fortunam belli tentare.

AD LIBRVM V.

326. Ea dum egrotant &c.] al. eadem ægrotantium notitiæ ſubtrahere.

327. Terent. Olimq́;.] al. Diem, quia olim in hunc &c. Rectè. And. act. 1. ſc. 5.

328. Emtos obolo &c.] al. Piſciculos minutos ferre obolo in cœna ſeni. And. act. 2. ſc. 2.

Ead. Virg. Accipit in Teucros animum regina benignum.] lib. 1. Aen. Imprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentémq; benignam.

329. In radices.] al. In radice, & rectius fortaſſe.

Ead. Q. Curt. Igitur etc.] Videtur hoc exemplum petitum ex ca. 84. li. 3. Laur. Vallæ. Quod hodie emendate [Vt opinor] in lib. 5. Curtij, ſic legitur. Igitur arci Babiloniæ rex Agathone præſidere iuſſo &c. Eſt tamen ubi, In, loco uel uice ſignificat, ut in illo Senecæ. Sua illis in legem æterna uoluntas. Pompo. L. ſi alienam ff. ſolut. matr. Si alienam rem ſciens mulier in dotem dederit, reddenda eſt ei quaſi ſuã dediſſet. Paul. L. Si pater ff. de pact. dot. precium quanti res uænierit in dotem ſit.

Ead.

Ead. In antrum) al. in arcum, Recte. lib. 3. Aeneid.

330 Quint. Neq; Tiburcinabundum &c.] li. 1. ca. 11. Neq; enim Tiburchinabundum et lurchabundum iam in nobis quisquam ferat. Vbi, in nobis, pro inter nos non recte quis exposuerit.

332 Virg. Ille super Gangen super et Garamantas & Indos.] lib. 6. Aen. Regnata per arua Saturno quondam: Super & Garamanthas & Indos Proferet imperium. Initium horum uersum apud Linacrum non est in Virgilio.

333 Clam uiro.] al. clam uirum.

334 Procul Neapolim.] al. procul Neapoli.

Ead. Procul muros.] al. muro.

337 Tere. dum hæc mecum reputo.] Eun. act. 4. sc. 2. Dū hec puto. ἀφαίρεσιν esse admonent Commentarij antiqui, pro reputo.

240 Plaut Age &c.] Stich. act. 2. sc. 1. Agite licemini. Sic in recentioribus omnibus.

341 Virg. O si &c.] In libro primo Lucanus autor huius hemistichij nominatur, mutato, O, in, Prò, Quod ego facilius crediderim, Nam in Virgilio non legi.

342 Idem Attico. Officium &c.] lib. 6. ep. 5. Esse officium meum putaui, exercitum habere quamproxime hostem.

Ead. Accedere.] accedunt. Recté.

343 Cic. Philip. Sed &c.] al. Sed reliquum cursum

cursum uidete, quem quidem celeriter perstringam. Ph..2.

344. Cæli ad Cic. Sanequam &c.] li.8.ep.1. Sané quam literis C. Caßij & Deiotari sumus commoti.

345. Quint. Longe &c.] Ad hunc feré modum & à Laurent. libro 1. ca. 2. citatur hic locus Quintiliani, Quem ego quidem nusquam in eo auctore. obseruare potui, Sed haud dißimiles sunt illi. lib. 12. cap. ult. Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem Domitium Afrum. Et, li. 10. Eorum quos uiderim Domitius Afer & Iulius Africanus longé præstantißimi.

346. Quint: de Euripide &c.] Hæc longe secus nunc leguntur. In affectibus uero cum omnibus mirus, tum in ijs qui miseratione constant, facile præcipuus, Hunc et admiratus maximé est, ut sæpe testatur, & secutus, quanquam in opere diuerso, Menander.

349. Plau. in Bacch. Opúsne.] In Mil. act. 3.

Ead. Idem Sed ecca &c.] Eu: sc. 1. al. Sed ipsa egreditur.

351. Cic. Att. Vestrum etc.] li. 14. ep. 14. fam.

352. Senectus plerisq; &c.] al. Quæ plerisq; sic odiosa est, ut onus se AEtna grauius dicant sustinere. Et rectius.

335. Terent. ueh capiti tuo.] Plaut. Amph. & Curcul. act. 2.

Ead.

Ead. Idem. Hei misera] Eunuch. act.5.sc.1. Hem misera.

Ead. Terent. Proh Iupiter &c.] παράφρασις est loci, qui est in Eunuch. act. 5. sc. 1. Prò Iupiter, nunc est profectò interfici.

Ead. Cic. O te felicem &c.] Citatur à Plinio, in præfatione.

Ead. Cic. O nox &c.] Pro L. Flacco: O nox illa, quæ penè æternas urbi tenebras attulisti.

354. Vocant Tauroni] al. Vocat Tauron. Tauronis nomen in catalogo autorum ponitur ab eodem in 1.

362. Superbis composuit] Superbis, Aurea composuit Sponda.

Ead. Cic. Tantum profecto &c.] Inuect.1. in Catil. Tantum profeci tum, cum te à consulatu repuli. Et rectius fortasse.

364. Cic. Curioni: Qui &c.] li.2. epist.2. al. Qui cum suis laudibus, tum uerò te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante uideret quam &c.

Ead. Conuictus reticuisset postremo patefecit] alij rectius: Conuictus primo reticuisset, patefeci cætera.

365. Nonne satis est &c.] al. Nonnè tibi satis esse hoc uisum solidum est gaudium.

369. Orbem] al. Ortum, recte.

370. Violo] al. Violem, Cum Linacro est Diomedes & Charisius Sosip.

372. Cicer. de Orat. Quoniam &c.] de natu. deor. lib. 2.

373. Terent. Andri. Quis miser &c.] act. 4. scen. 2. Quis uideor? miser æque atq; ego.

Ead. Plaut. Aulular. Nunquam &c.] Stich. act. 2.

Ead. Liuius perinde &c.] lib. 5. dec. 1. Perinde atq; in urbe capta.

Ead. Idem, Perinde quasi &c.] Cicer. in Orat. pro Milone.

374. Ipsa re intelligetis.] Rectius, Ipsa re intellecturos. lib. 4. dec. 3.

376. Cicer. Bruto, Vt ab urbe &c.] Attico. lib. 7. epist. 14.

377. Vt sustinuit, imò &c.] Vt sustinuit? dij immortales, sustinuit? imò &c.

AD LIBRVM VI.

384. Ouid. Immoderata &c.] Versus isti sunt in epigrammate quodam, quod Virgilio tribuitur. Cuius initium est, Villula quæ &c. Vbi pro, sternere, stertere habet exemplar Aldinum, rectè fortasse.

386. Septingentorum milium.] in Aldino & multis alijs, dictio, passuum, est adiecta. libro 5. de bell. Gall.

387. Hoc tamen differt &c.] Al. Hoc tamen differunt, quod solicitius & intentius tui me, quàm mei excipiunt.

389. In terris.] Al. In terras.

399. Plaut. in Persa: Omnes &c.] In Sticho act. 2.

400. Exuberet arbos.] Al. Exuberet annus, lib. 2. Georg.

401. Habendas esse &c.] Al. Commodißimum esse quam laxißimas habenas habere amicitiæ, recte.

403. Qui cum &c.] Al. Qui societatem connubiumq; nouo populo peterent.

412. Montibus.] Al. Vrbibus.

413. Terent. Signa uideo &c.] And. actu 3. scen. 2. Al. Quæq; oportet signa ad salutem esse, omnia huic esse uideo, & rectius.

414. & 475. in Verrem. Ea die &c.] Al. Eo ipso die casu Messanam Verres uenit.

Ead. Liuius: Ab Lauinio &c.] lib. 8. ab urb. Venerant & ab Lanuuio Antióq; auxilia. Nec aliter Priscianus, tractans eandem constructionis formam. lib. 15.

Ead. Ludos Apollinares.] Et in hoc, & in alijs locis, per notas, hæc uerba, Lud. Apollinar. scripsisse ueteres constat, quod etiam in impressis quibusdam hodie obseruatum esse uidemus. Scimus autem aduerbium postridie cum genitiuo quoq; coniungi.

415. Non ut &c.] Al. Nam uel pinguißima uel macerrima humo iaciatur perit. lib. 2. cap. 9.

Ead.

Ead. Ouid. Sustinet &c.] Nisi fortasse alterius loci carmen est, quàm ego arbitror, præpositionem hîc non desiderabimus. Sic enim lib. 1. fastorum: Per totidem menses à funere coniugis uxor Sustinet in uidua tristia signa domo.

416. Potest.] Al. Opus est.

417. Quàm litatum est.] Al. Postquam &c.

419. Ex magno flumine.] Al. Magno de flumine, & fortasse rectius.

420. Cicer. ad Quintum frat.] Ad Atticum lib. 6. epist. 4.

Ead. Vereor ne &c.] Aldus & recentiores legunt. Vereor ne exercitum firmum habere non poßit, ut non desideretur negatiua. Sicut nec in sequenti quidem Ciceronis pro Sextio. In exemplaribus enim castigatis, constanter sic habetur, Cum illi soli essent præter furiosum illum Tribunum, duo Reipub. turbines, qui non modò præcipitanti patriæ non subuenirent, sed &c.

421. Nec Metellus &c.] Alij: Nec C. Popilius, nec Q. Metellus, clarißimi atque amplißimi uiri, uim tribunitiam sustinere potuerunt, nedum his temporibus, his moribus, his magistratibus, sine uestra sapientia ac iudiciorum, & cæt.

422. Ferrum.] Al. Flammam, libro quarto Aeneidos.

433. *Quid liqueat scire.*] Al. *Habere quod liqueat.*

Ead. Idem, *Data Lupercalibus &c.*] *Citatur à Quintil. lib. 9. cap. 3.*

440. *Integuntur.*] Al. *Vestiuntur.*

447. *Sunt leges.*] *Lucan. lib. 1. Vis erat, hinc leges &c.*

454. *Quintil. Vereor &c.*] *declam. 4. Non sustineo eosdem expetere conuictus ne quos porrexerim cibos uenena fiant.*

Ead. *Illum quem quæritis.*] Al. *Sed istum quem quæritis, ego sum, rectè.*

455. *An unum sit cœlum.*] Al. *Num unum cœlum esset. lib. 9. epist. ult.*

463. Idem, *Est specum &c.*] Al. *Est specus exesi structura pumicis asper, Non homini regio non adeunda feræ. libro 4. fasto. Appositionem hîc non Syllepsin uideas.*

Ead. Idem, *Pars per urbes dilapsi.*] *lib. 5. ab urb. Pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas.*

470. Procles & Calisthenes.] Al. Procles & Euristhenes. *Hæc enim sunt nomina filiorum Aristodemi apud Pausaniam in Laconica, ex quibus gemellis, animis diuersissimis, duæ familiæ regum sunt constitutæ.*

471. *Dircæum.*] Al. *Tirtæum, ut apud Horatium Pausaniam in Messenica, Plutarch. in Agide, Strabonem & Iustinum.*

473. *Nec hi ad pecora.*] *Hi, relatiuum, cuius gratia exemplum hoc adducitur, in exemplari Aldino & postea impreßis, desideratur.*

Ead. *Cimonis.*] Al. *Cononis, rectè.*

474. *Si est ut &c.*] *Sin est autem, ut nolit rectè consului meæ.*

478. Idem, *Ehodum &c.*] And. act. 3. scen. 5. *Ehodum bone uir, quid ais?*

479. *Nunccine &c.*] *Ita planè & Priscianus legit in 16. Sed nunc aliter. Eodem die istuc uerbum uerè in te accidit, Si rectè, nihil ad propositum facit hic locus.*

Ead. *In herba.*] Al. *In ulua.*

482. *Cuius ob oculos &c.*] Al. *Quem spectabant, cuius ob os Graij, ora obuertebant sua. Trochaicus est.*

492. *Plautus in Castell. Habet &c.*] *Codices Gellij lib. 1. cap. 7. hanc ferè lectionem habent. Quæ nunc in castigatißimis exemplaribus Plauti talis est. Sed etiam ne habet & nunc Caßina Gladium, habet sed duos. Quid duos? altero te occisurum ait, Altero uillicum hodie.*

493. *Liuius. Scipio cui Africano &c.*] *lib. 5. dec. 3. P. Cor. Scipio, cui post Africanus fuit cognomen, &: lib. 6. dec. 4. P. Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio Coss.*

Ead. *Cicer. Argentarius &c.*] *Confusi sunt diuersorum autorum loci. Cicer. pro Cæcin.*

Argentarius Sextus Clodius cui nomen Phormio. Et, Quintilia. libro 6. capite 2. Notum est quid Gliconi acciderit, cui Spuridion fuit cognomen.

495. Senem quidem &c.] Al. Senem quod omnes rideant adulterum, Latrent suburranæ canes, Nardo perunctum, quale non perfectius Meæ laborarunt manus.

496. In Timarchidi potestate.] Haud scio an mendose & perperam ita legatur in Cicerone. Quòd & Venetijs & Florentiæ & in Germania impressa, quæ uidi, exemplaria, Timarchidis habent. Licet Priscianus libro sexto datiuum Timarchidi Ciceronem hîc, ut Virgilium Oronti, Terentium Archonidi, pro genitiuo protulisse affirmet.

Ead. Equites daturos illius dies pœnas.] Similiter & hîc illius diei, pro, illius dies, suppositum, aut certè magno consensu usitatiorem hanc constructionem approbatam uidemus. Tametsi A. Gellius exemplis similibus & ueterum codicum autoritate, contra nitatur.

498. Hæc illæ &c.] Al. Hæccine erant itiones crebræ, scen. ult.

Ead. Item in Andria, Ego &c.] Eunuch. act. 2. scen. 1.

202. Ouid. Nunc &c.] in epist. Sapph. Nunc uellem facunda forem.

505. Qui dubitat de nomine. [Al. Qui dubitauit, ut nulla sit Enallage.

Ead. Si tales animos &c.] lib. 1. dec. 3. Si quem animum in alienæ sortis exemplo paulò ante habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna uestra habueritis, uicimus milites.

507. Fore uenturum.] Al. Forte Venturum.

Ead. Cicer. Spero &c.] Non ausim affirmare hæc esse ex libello de Amicitia, ita enim & à Laurentio citata uidemus. Illic uerò aliter: Sperare uideor Scipionis amicitiam & Lelij notam posteritati fore.

Ead. Forte deum.] Alij, & ut opinor, rectius. Forte deo &c. hoc sensu, Si quis forte ægrè feret Herculem deum fieri.

509. Nunquam æque etc.] Al. Nũquam æque (inquit) ac modo Paupertas mihi onus uisum est, & miserum & graue, Phorm. act. 1. scen. 2.

510. Tergendo.] Al. Terendo.

514. Etiam cœpto.] Al. Cœpto potius, In epistol. Helen.

Ead. Agrestium regnauit populorum.] Alij Agrestium regnator populorum. Sed & Seruius in libro 11. Aeneid. duobus locis annotauit in illo Horatij, Græcam figuram esse, pro, agrestibus populis.

515. Idem Surdis &c.] libro 14. cap. 1. Surdis etiam rerum sua cuiq; uenena.

 520. Pa-

520. *Pariunt &c.*] *libro 8. cap. 36. Pariunt XXX. die & plurimum quinos.*

524. *Ouid. Doctas &c.*] *in epist. Phyll. Atq; aliquis doctas iam nunc eat, inquit, Athenas.*

Ead. Nulla alia re confisus &c.] *Nulla alia confisus urbe, Laodiceam, quæ est in Syria, ad mare se contulit.*

530. *Multo celerrimus.*] *Al. Mulio celerrimus, & rectè quidem. Est autem initium epigrammatis cuiusdam, quod ad imitationem Catulliani de Phaselo compositum uidetur in Ventidium Bassum, mulionem primum, postea multis honoribus & triumpho clarum, de quo Gellius in 15.*

* *
*

Autorum

AVTORVM CATALOGVS QVORVM TESTIMONIIS ET EXEMPLIS VSVS EST LINACER.

Homerus
Ariſtophanes
Theocritus
Ennius
Lucilius
Plautus
Terentius
Virgilius
Horatius
Ouidius
Catullus
Lucanus
Lucretius
Martialis
Perſius
Iuuenalis
Tibullus
Propertius
Statius
Silius Italicus
Manilius
Valerius Flaccus
Plato
Ariſtoteles
Demoſthenes
Cicero
Iſocrates
Quintilianus
Pandectæ iuris
Cebes
Plutarchus
Xenophon
Lucianus
Saluſtius
Cæſar
Liuius
Thucidides
Cornelius Tacitus
Q. Curtius
Suetonius
Valer. Maximus

Cor. Nepos
Aemilius Probus
Iustinus
Florus
Seneca
Celsus
Varro
Cato
Columella
Palladius
Plinius uterqꝫ
Asco. Pedia.
Pomp. Mela.
Solinus
Gellius
Macrobius
Apuleius
Apollonius
Tripho
T. Probus
Donatus
Seruius
Acro
Porphirio
Non. Marcel.
Fest. Pomp.
Priscianus
Diomedes
Terentianus
Theodorus
L. Valla
Budæus
Pomponius
Grocinus

INDEX

INDEX IN THOMAE LINACRI BRITANNI GRAMMATICA IVXTA PAGINARVM SERIEM.

A

Abla-

Cardi-

Con-

Dam-

D

Deli-

Diffe

Diuer

Dupli-

Est

Hor=

Insi=

L

Lapsus

μετα=

Mit-

Neuter

O

Præ=

Pridie

Sæpe

S

T

turbato

Ver=

ANNO-

ANNOTATIONES IN LINACRVM PHIL. BECHII.

Fol.2. *Crastinus*] *Infra lib.2. fol.125.* Vall. *lib.2.cap.33.El.*

Nostras] *Infra fol.20.*

Prisc.] *lib.2.*

3. Diomedi] *lib.1.*

Prisciano] *lib.2*

Ego quod sciam] *Cicero tamen lib. 2. de inuentione agnomen usurpat, inquiens,* Non autem cum dicimus cognomen, quoq; & agnomen intelligatur oportet.

Affricano] Infr.lib.3.fol.145

Quibus diuitiæ] Infr.lib.3.& 4.

4. Item quid.] Infr.lib.3. fol.154.

Quodcunq;] Virg. 1. Aen. *Tu mihi quodcunq; hoc regni &c.*

Nominum uim] Prisc.lib.8.

Esse seruum] Prisc.lib.18.

Scire tamen] Infr.fol.31.42.45.Gell.lib.1.c.7.

Nisi te scire] Fab.lib.9.cap.3.

5. In diem] Infr.fol.82.Et Vall.lib.3.c.68.El.

Adiectiua] Prisc.lib.2.

Interrogatiua] Infr. fol. 7.Et Vall. lib. 2. cap. 3.El. Prisc.lib.17.

6. Syncategoremata] Infr.fol.31. Et lib.3.fol. 142. Et lib.4.fol.299.

Partitiua] Infr.fol.11.12.& lib.3.fol.142.
Ambigua] Infra libro 3. fol.161. Græci uocant ἐπαμφοτερίζοντα.
7. Interrogatiuũ] Inf.li.3.f.162. Et Prif.li.17
Quotenorum] Infr.lib.3.
Scio quid] Infr.eod.lib.fol.163.
8. Prouocabula] Infr.lib.2.fol.102. Et lib.3.f. 166.Et lib.6.fol.529.
Statua magna] Plin.lib.34.cap.7.
Quæ accidentis] Vall. lib.1.cap.5. El. Et lib.3. cap.5.El.
9. Euandrius] Sup.fol.6.Et infr.fol.16.
Locale] Vall.lib.4.cap.95.El.
10. Laurentius] lib.3.cap.5. & 14.El.
11. Verbo subijcit] Idq́; uel affirmatiué qđ dedicatiuũ, uel negatiué,qđ abdicatiuũ uocãt.
12. Continuam] .i. magnitudinem.
Discretam] id est,ad numeros.
Aliquis] Prisc. lib.17. Vall.lib.3.c.63.El. Et li. 2.c.25.Dial.Infr.lib.2.fol.124.
13. Quilibet &] Vall.lib.2.cap.5.Dial.
Ex his] Infr. lib.2.fol.118.119.120. Et lib.3.fol. 173.200.201. Et lib.5.fol.341.Prisc.lib.3.& Diomed.lib.1.
Superlatiua] Contrarium Valla sentire uidetur.lib.1.cap.14.El.
14. Vbi uerò] Prisc.lib.5.
16. Patrius &] Inf.lib.3.f.161. Vt P.Nigidio, teste Gell.li.13.c.24.

Pri-

Priſcis] Gell.lib.20.cap.5.
Octauum] Infr.lib.4.fol.241.
Vocatiuus] Infr.fol.21.
Et eſt paßiuorum] Infr.lib.4.fol. 256.257
17. Septimum] De quo Fab.lib.1.cap.8. Et Diomed.lib.1. Hunc tamen Priſcianus negat, ſed fruſtra. Eſt enim eadem uis eius apud Latinos, quæ Sexti apud Græcos. Sequitur Probus, Porphyrion, Donatus, Seruius, et omnes antiquorum ſcolæ, quorum certè autoritas ſuperat omnes Priſcianos.
Priſc.] lib.5.in fin.
Infiniti] Sup.fol.4.
Ορικῶς] .i.Finitiuè.
Τεχνικῶς] .i.materialiter. Infr.lib.6.fol.497.
Figuratè] Per Sylleptin numerorum. Infr. lib. 3.fol.150. Et lib.5.fol.354.
Alibi fortaſſe] ſcz. lib. 3. fol. 150. Et lib. 5. fol. 354. Et lib.6.fol.449.
Pronomen] Priſc. lib.12.
18. Quæq; ipſe] Infr.lib.3.fol.216.217.218.
19. Επιταγματικὸν] .i.ordinatum, appoſitū.
20. Reciprocum] De quo Vall. libro 2. cap.1. El. Et in libello proprio ad Tortellium Aretinum.
Gentilia] Vall.lib.2.cap.3.El.
21. Proſopopœiam] id eſt, Fictionem perſonarum. Infr.23

Interrogatiua] *Supra fol.11.& 12.*

23. *Verbum*] Prisc.lib.8.

Absolutum] Infr.fol.26.

Transitiuum] Infr.fol.27.

24. ὁλοενεργητικὰ] Id est, *quæ omnino actiuam significationem habent, & ipsorum quoque constructionem imitantur.*

25. *Curritur stadium*] Gell.lib.1.cap.1.

Diomedes] Libro 1.

Viuo uitam] Infr.lib.4.fol.230.

Priscianus] Libro octauo.

Αὐτοπαθητικὰ] Id est, *per se paßiua.*

Alius eorum] *Supra 24.*

26. *Commune*] Gell.lib.15.cap.73.

Paulo ante] fol.24.

Diomedes] Libro primo.

Αὐτοουδέτερα] Id est, *per se propriè neutra.*

Ἰδιοπαθῆ] Id est, *propriè paßiua.*

27. *Cap.22. legendum.*

Continuatiua] Infr. fol.29.

Dictum est] Folio præcedenti.

Aliqui] Prisc.lib.8.Diom.lib.1.

28. Idem Plin.] *Et lib.35.cap.10.*

29. γεγραφὼς ἔσομαι, *id est, scripsero.* ἐγνωκὼς ἔσομαι, *id est, Cognouero.* Θεάσεσθε ὃν τρόπον ὑμεῖς ἐστρατηγηκότες πάντα ἔσεσθε ὑπὲρ Φιλίππου. Id est, *Videte, quomodo uos exercitum omnino duxeritis pro Philippo, id est, illum defenderitis.*

Sed

Sed & diuerſorum] Vt infra docet de Enallage modorum.

30. Οτε ἀνεγνωκὼς ἔσομαι.i. Cum legero.

Παρακείμενον] Quaſi adiacẽs: quia ſemper incoatam actionem, nec dum tamen abſolutam denotat.

ἔγκλισιν] id eſt, Inclinationem.

Modus] Priſcianus libro 8.

31. Vt ſit uoluntas] Hæc definitio ex lib. 3. Apollonij deſumta eſt.

Adſignificata] Quod non pariat ſignificationẽ uerbi, ſed potius ſignificationi, quam habet uerbum, conſignificationem quandam affectus aut uoluntatis addat.

Gellius] Libro primo cap. 7. (249

Syncategoremata] Infr. li. 3. fol. 142. Et lib. 4. f.

Hypotheticon] Aliâs αὐθυπότακτος .i. quaſi ſeipſum ſubijciens ac ſubordinans, dicitur. Infr. fol. 34. 35.

32. Indicatiuus] Infr. lib. 5. fol. 337. & fol. 44. Priſc. lib. 8.

Permiſsiuus] Infr. fol. 44.

Futurum] Diomedes lib. 1.

Duplici uoce] Tam futuri quàm præſentis, teſte Priſc. lib. 8.

34. Priſc.] lib. 18.

Græci per ἄν] De hac particula multa habes apud Priſcianum, lectu digniſsima. Et poſt eum,

apud Bud. in commentarijs Græcæ linguæ.

Fore] Futura omnia Infiniti modi, excepto unico Fore circumscribuntur, de quo Vall. lib. 1. cap. 28. El. Et Gell lib. 1. cap. 7.

Soluuntur] Prisc. lib. 18.

Hypotheticos] De quo Budæus in commentarijs Græcæ linguæ.

45. Participium] Prisc. lib. 11.

47. Libro] Cap. 29.

More Græcorum] Qui habent participia præsentis temporis paßiua, ut τυπτόμενος, λεγόμενος &c.

In his uerbis] Linacri disputatio cum Valla de Participio præsenti paßiuo. Valla statuit præsens participium paſſ. sed cum Gerundio confundit. Linacer autem sex potiſſ. rationibus confirmat, Gerundia cũ part. præſ. paſſ. non debere commisceri, deim quatuor argumentis probat esse participium præſ. temporis paßiuum.

50. In summa] Hoc argumento ij utuntur, qui Gerundium uerbi modum faciunt, quos tamen egregié refutat Lancil. li. 6. c. 20.

51. Quod in ablatiuo] Infr. lib. 4. fol. 311.

54. περιπλομένων ἐνιαυτῶν] id est, Vertentibus annis, Odyſſ. α. Seruius tamen participium hoc, loco uerbalis positum annotat, id est, uolubilibus annis.

55. Fi-

55. Fiunt autem] Infr.lib.3.fol.188.
56. Communis generis] Vall.lib.1.cap.30.El.
Ex præteritis] Infr.li.2.fol.132.Et li.3.fol.190.
57. ἄν potentiali] Supra fol.36.37.
58. Ex futuro] Vall.lib.1.cap.36.El.
Prisciano] lib.11.
60. Et paßiué] Infr.lib.4.fol.316.
Recipit autem] Prisc.lib.8.& 18.
62. Vt sup.] fol.34.& infr.lib.4.fol.316.
69. Quem penes] Vall. lib.6.cap.54.El.
73. Virus equi] Prisc.lib.14.
74. Et ministerium] Prisc.li.5.Eras.li.1.c.156. de Verb.Copia.
75. Priscianus] De quo & Vall.lib.2.c.65.El.
Qua ratione] Id qua nam ratione asserã, non ui deo. Alter.n. à Cic.usurpatũ legitur, Inquit .n.pro Cæcin. Cum ferro inuadere in aliquẽ. Itẽ de inuen. Perspicere aliquã rẽ cũ consilio (et cura etc.
77. E et ex] Vall.li.5.c.19.El.
78. Pro.] Gell.lib.11.cap.3.& lib.2.cap.17.
79. Præ] Vall.lib.5.cap.18.El.
80. Alio loco] Infr.lib.5.fol.327.
Aduerbium] Prisc.lib.7.& 15.
Ad ubi] Vall.lib.2. cap. 4. El. Eras. lib.1. cap. 47.de Verb.cop.
81. Ad quo] Vall.lib.2.cap.43.El.
Vltro citrò] Vall.lib.2.cap.57.El.
Nudius tertius] Vall.lib.2. cap.32.El.

82. *Ad quandiu*] Vall.lib.2.ca.48.El.
Diu] Vall.lib.2.cap.35.El.
Iamdudum] Vall.lib.2.cap.54.El.
Iamolim] Vall.lib.2.cap.35.El.
In constructione] Lib.5.fol.336.
Ad quoties] Vall.lib.2.cap.50.El.
In diem] Vall.lib.3. cap.68.El.
83. *Nouißimè*] Gell.lib.10.cap.21. Vall.lib.2. cap.56.El.
Deniq;] Vall.lib.6.cap.21.El.
84. *Interrogandi*] Vall.lib.2.cap.46.El.
Quin] Gell.li.17.cap.13. Vall.lib.2.cap.83.El.
Ne pro non] Vall.lib.2.cap.17.El.
85. *Affirmatiuè*] Vall. lib.2.cap.51.El.
Esto] Vall.lib.2.cap.27.El.
Scilicet] Vall.lib.2.cap.60.El.
Et næ] Vall.lib.6. cap.29.El.
Ecastor] Gell.lib.11.cap.5.
86. *Exclusionis*] Vall.lib.6. cap.21.El.
Generatim, egregiè] Vall.lib.6.cap.20.El.
87. *Modicum*] Infr.lib.6.fol.519.
Tam & quam] Prisc.lib.3. Vall.li.1.cap.19.El.
Intendendi] Vall.li.1.cap.17.El. Item li.2. cap. 54.El.
88. *Penè, ferè.*] Vall.lib.2. cap.31. El. Prisc. lib.18. Eras.lib.1.cap. 64.de C.V.
Personalia] Prisc.lib.12.& 17.
89. ἰσοδύναμον] Aequiualens.

Lauren-

Laurentio] Lib.2. cap.36.El.
Ἀποστατικὸν] Id est, priuatiuum.
θεν] ut ῥίζοθεν, οὐρανόθεν, οἴκοθεν, θέοθεν etc.
Laurentio] Lib.2.cap.36.El.
Ἀποστατικὸν] Priuatiuum.Infr.lib.4.fol.312.Et lib.6.fol.517.
92. Cum & tum] Supra fol.81.
93. Διασαφήσεως] Id est, explanationis, supra fol.88.
Ast] Vall.lib.2.cap.15.El.
95. Ni] Vall.lib.2.cap.26.El.
Quum &] Vall.lib.2. cap. 17.El.
Ἀν δυνητικῷ] id est, Potentiali. Vrbanus libro 2.de aduerb.
99. Secundum] Suprà fol.72.
100. Egregiam uerò] Fab.lib.9.inst.orat. De huius uocis (uerò) significationibus Vallam consule lib.2.cap.25.El.
101. Et pronomen] Prisc.lib.15.
102. Vtinam illum] Infr.fol.109.
103. Quod ego] Suprà fol.96.
Διαβεβαιωτικῶς] Id est, affirmatiuè, ostensiuè.Vall.lib.2.cap.21.El.
104. κατ᾽ ἐναλλαγὴν πτώσεως] Id est, per immutationem casus.
105. Infandum] Seruius annotat hîc infandum pro aduerbio, uel interiectione dolentis poni, κατ᾽ ἐναλλαγὴν partium.

Vt alibi] lib.5.fol.336.
107. Non dißimili] Prisc.lib.3.Eras.lib.1.cap.51.de Verb. Cop.
Supra] Vall.li.2.c.53.El. (κῶς accipitur.
109. Σοφῶς] pro sapiens, ὀξικῶς uel τεχνι-
112. Appetens] Supra fol.55.infr.lib.3.fol.188. Prisc.lib.17.
Priscianus] lib.18. Et Vall.lib.3.cap.51. El.
Volo datum] Fab.lib.9.inst.orat.
113. Circiter] Vall.lib.2.cap.7.El.
Sint extra] Supra fol.80.
Post] Infr.lib.5.fol.369.
114. Secundi] Vall.lib.2.cap.46.El.
Super] Vall.lib.2.cap.53.El.
Prisc.] lib.18.
115. Σολοικοφανὲς] .i. Simile est solœcismo.
116. Statim, protinus] Vall.lib.2.cap.30.El.
117. Etiam] Vall.lib.2.cap.41.El.
Item quoq;] Vall.lib.2.cap.50.El.
Aliquid] Quod fit per ἀντονωμασίαν.
118. Veteres Gram.] Vt Prisc.li.17.Diom.li.1.
Accedit] Infr. li.3.fol.201.de comparatiuorum transitione copiosius agit.
Transitione] Infr.lib.3.fol.201.
121. Diuisiua] Sup.fol.10. Vall.li.1.cap.13.El.
125. Sicelides] pro Sicilienses.
Legationi] Supra fol.24.
128. Et actiuum] Supra fol.26.

Eclipsin

Eclipsin potius] Infr. lib. 6. fol. 397.
129. περιποιητικῶς] .i. Acquisitiuè.
Prisc.] Lib. 18.
περιφραστικῶς] .i. per circuitionem.
130. Transit. n.] περίφρασις nominis et uerbi.
Huc etiam] Vall. lib. 5. cap. 24. El.
Euidens] Supra fol. 56.
Laurentio] Lib. 1. cap. 30. El.
133. In Synecdoche] Infr. lib. 6. fol. 519.
Supra] fol. 63. & sequentibus.
136. Item copulatiua] Sup. fol. 92.
Disiunctiua] Sup. fol. 94.
Pro Electiuis] Infr. lib. 5. fol. 371.
137. In constructione] Infr. lib. 5.
Discretiua] Supra fol. 93.
Nam pro autem] Vall. lib. 2. cap. 55. El.
142. Nempe quæ loquitur] Sup. fol. 21.
Quam urbem] Lib. 1. Aeneid. Vall. lib. 3. cap. 22. 23. El.
143. Centum niuei] Virg. 1. Georg. Vall. lib. 3. cap. 4. El.
144. Adiectiuorum] Vt sunt ambigua, de quibus suprà fol. 6.
Syncategoremata] Sup. fol. 142.
Diximus] fol. 141.
ταυτοπροσωπικὴν] id est, Eandem personam repræsentantem.
ἢ ἀμετάβατον] id est, uel intransitiuam.

145. Si

145 *Si quando infinitum*] Apoll.lib.3.
Vt Chremetem] Amphibologia. Prisc.lib.18.
Gaza] lib.4.de thesi.
Affricano[Inf.lib.6.f.493.
146 *Spuridion*] Vall.lib.3.c.19.El.
Mox latius] Inf.f.154.
Sine nomine] Infr.fol.148.
Teneo quid erret] Terent. And.act.2.sc.3.
147 *Subsistentis*] Sup.fol.16.
Diximus] Sup.fol.144.
149 *Qui pronominibus*[Sup.fol.22.
Difficilis] δύσκολος teste Volaterrano. Fuit autem Herodiani pater.
Omnibus his] Sup.fol.147
Veráne te] Infr.lib.5.fol.374.
150 *Gaza*] lib.4.
Socrates] Infr.lib.5.fol.355.
151 *Mulciberis*] Syllepsis personarum, de qua Infr.lib.6.fol.446.
In prima] Supra.fol.147.
In quarta] Infr.fol.158.
Tertiæ uero.] Sup.147.
In carcere] Infra.lib.6.
Diffusius] lib.6.de enall.temporum.
153 *Quas fabulas*] Terent.And.act.4.sc.5.
Vt supra] fol.147.
154 *Quid animi*] Sup.fol.4.
157 *Frustra*] Qui sub syllepsi Euocationem comprehendunt.

158 Enallage] Infr.lib.6.fol.500.501.
Præterea quod] Infr.lib.4.fol.223.
Vall.lib.3.c.25.El.
Et dictionis] Sup.fol.147.
Cogitet oratorem] Sup.fol.151.
107 Quæ uero ambigua] Sup.fol.6. Græci uocant ἐπαμφοτερίζοντα.
162 Nullam fecit] Sup.fol.56.
164 Figurate] scz. per Enallagen modi, de quo lib.6.fol.502.
Nescio quis] Infr.lib.4.fol.256.
165 Absolutum] Sup.29.
Eiusmodi] Sup.fol.9.
166 Qui nobis] Sup.fol.29.
ἀμέσως] .i. Immediate, nullo casu inter posito, quem uerbum præcedens regat.
168 Vt qui] Vall.lib.2.c.28.El.
169 Est qui] Infr. lib. 6. fol.395. Eras.lib.1.c. 49.de C.Verb.
170 Priusquam ulla] Sup.fol.52.
Huius naturam] Vall.lib.3.c.63.El.
Quisquam] Sup.fol.124.
171 Non quicunq;] Sup.lib.2.fol.124.
172 Quotus] Sup.fol.8. Vall.lib.3.c.5.El.
173. Quintil.lib.2.c.2] Et lib.9.c. 4. Inst.orat.
Ex interrogatiuis] Vall.lib.1.c.13.El.Eras.lib. 1.c.47.de C.Verb.

174 Neq; sanè] Vallam intelligit. de quo lib. 1. c. 14. El.
176 Proximus] Vall. lib. 2. cap. 12. El.
177 Quod ad latinam] Supra fol. 10. 122. Infr. lib. 6. fol. 423. Vall. lib. 3. c. 14. El. Eras. lib. 1. c. 149. de Verb. C.
178 Supra centum] Infr. fol. 180. Vall. lib. 3. c. 16. El.
Similis dispositio] Infr. libro. 6. folio. 547. Vall. lib. 3. c. 16. El.
182 Nonagies] Bud. de asse lib. 4. Infr. libro 4. fol. 313. & 315
183 Mille] Gell. lib. 1. c. 16. Vall. lib. 3. c. 4. El. Eras. lib. 1. c. 149. de C. Ver.
Priscianus] lib. 7.
186 Ita cum in] Infr. lib. 6. fol. 466. Vall. lib. 3. c. 5. & 6. El.
Primo libro] fol. 10. & infr. lib. 2. fol. 121.
In Arius] Sup. fol. 11.
188 Ex participialibus] Sup. fol. 56.
190 Et ex ijs] Sup. fol. 132. Vall. lib. 1. c. 30, El.
194 Dandi casum] Prisc. lib. 17.
196 Ad hæc uerbalium] Prisc. libro. 18. Vall. lib. 6. & 26. El.
197 Gerundi modi] Supra folio 54. & lib. 4. fol. 315.
198 Vitatu] Infr. fol. 203.
199 Supra est dictum] lib. 3. fol. 190.

Suo

Suo tempore] *De quo &* Vall.*lib*.3.*c*.33.El.
200 *In quam*] *Infr*.*lib*.5.*fol*.371. & Vall.*lib*.1. *c*.17.El.
Per é *uel ex*] *Sup*.*lib*.3.*fol*.16.
201 *Laurentij*] *scz*.*Contra Raudensem*.
202 *Collationis*] Vall.*lib*.1.*c*.21.El.Eras.*lib*.1. *c*.153.de Ver.C.
Vt,*apostatico*] Pro ὥστε *priuatiuo*.*Sup*.*fol*.89. *infr*.*lib*.5.*fol*.352.
204 *Crine ruber*] *Infr*.*lib*.4.*fol*.243.*nonnunquam in accusatiuo*,*sed* Græco *more*,*et* Poëtis *duntaxat*.*ut* Nuda *genu*.Virg.*lib*.1.Aen.
206 *Si mihi modo*] Vall. *lib*.2,*c*.1. El.Prisc. *lib*.17.
Expers *tui*] *Sup*.*lib*.3.*fol*.195.
Fidißima *tui*] Virg.*lib*.121. Aen.
Ne *cui*.] *Sup*.*fol*.162.& 176.
Sup.*posui*] *Sup*.*folio* 204.
210.*Reciprocatio*] *de qua* Vall. *lib*. 3.*c*.20.El.
Vt *ego quæ*] Terent.Eunuch.*act*.1.*sc*.2.
211. *Prisc*] *lib*.17.
Quæ *enim*] *Infr*.*fol*.213.
213 *Valla*] *c*.8.*de reciprocis*.
214 *Laurentius*] *c*. 8.*de reciprocatione*,& *libro* 2.*cap*.*penult*.El.
215 *Vna spes*] Vall.*lib*.4.*c*.7.El.
Reprehensa] De *quibus Sup*.*fol*.18.
217 *Pragmatici*] .*i*.*scribæ*, *iuris administri*.

Cui

Cui non risere] Fab.lib.9.cap.3. Et Polit. cap. 89.in Miscell.hos uersus enarrat.

219. Epexegesi] .i. expositione, Hæc sunt ex Vall.lib.2.c.5.El.desumta.

Sunt autem] suprà fol.23.

220. Vt Priscianus] lib.8.

Curro] Infr.fol.229.

In libro] .sup.lib.1.fol.24.

221. Constructionem] suprà fol.219.

Hæ sunt quæ omni] Infr. fol.256.

Compositas] Infr. fol. 247.

Quæ uocant] Infr.fol.237. & 277.

Priscianus] Lib.18.

Idiomaton] Infr.fol.280.

222. Compositum seruant] Prisc.lib.8.

223. His generibus] Suprà fol.158.lib.3.

Εἰδικῶς] .i.formaliter. Quòd formale uel indicatiuo uel subiunctiuo iungitur. Sup.fol.103. Sed de uaria ratione resoluendi Infiniti per quod,Infr. lib. 5. fol. 371. Et lib.6.fol.426. agit.Item Eras.lib.1.cap.60.de V.cop.

224. Τελικῶς]Finaliter,absolutè,perfectiuè. Sup.lib.2.fol.138. Et lib.5.fol.375.

Fore,uel futurum esse] Vall.lib.1.cap.25.El.

225. Decet uerè] Per ἀρχαϊσμόν. Infr.lib.4. fol.283.

227. Videor] Vall.lib.3.cap.51.El.

228. Ex neutris] Sup.fol.26. Prisc.lib.8.

Quædam

Quædam Nominatiuo] De quibus & Valla lib. 3.cap.40.El.
229. Relatum est] Infr.lib.5.fol.389.
230. Επιβατικῶς] Transitiué.
Iam tertia] Infr.lib.6.fol.390.
231. Vocauimus hæc] fol.26.
233. Dedimus] scilicet, suprà fol.229.
Et stat] Vall.lib.5.cap.27.El.
238. Sed plané hæc] Infr.lib.6.fol.494.
In hellenismis] Infr.lib.6.fol.527.
239. Vt in proposito] Suprà lib.3.fol.160.
241. Transit] Vall. libro 3.capite 18. El. Et Prisc.lib.18.Fab.lib.8.cap.3.Vall.lib.1.cap. 2.Et Sup.lib.3. fol.147.
242. De quo in syllepsi] Infr.lib.6.
Animal] Infr.lib.5.fol.354.
243. Nonnunquam in] Sup.lib.3.& infr.lib.6.
244. Læuo suspensi] Sup.lib.2.fol.133.
Συλλέξασα] Id est, quæ collegerat.
Ξηράνασα] Id est, quæ siccarat.
Interest] Sup.fol.204.& 260.
Sicuti in neutris] Supra fol.229.
249. Laurentius] lib.3.cap.32.El.
Συγκατηγορηματικῶς] Id est, consignificatiué. Supra 142.& infr.fol.255.
256. Propter caussam] Infr.lib.6. fol.390.
259. Liui.XXII.] Lib.2.Deca.3.
Quibus addere] Supra lib.4.fol.258.

271. *Priuatim quoq;*] Prisc.lib.15.
274. *Priscianus*] lib.15
Omne præterea] Supra fol. 256.
275. *Plin.natur.hist.*] libro 2.capite 75. Et lib 4. capite 12.
277. Hunc sensum] Infr.lib. 6.fol.513.
Priscianus] libro 18.
278. *Gellius*] libro 17.cap.1.
285. *In epexegesi*] Supra folio 93. infra libro 3.fol.147.
289. *Salustius*] In Catilin.
302. *Interest*] Sup. lib. 3. fol. 206. Vall.lib.2. capite 1. El.
308. *Ego illi supersum*] Gell.lib. 1. cap.22.
Itémq; participia] Supra fol.55.
312. *Alibi*] Supra libro 6.
Audito regem] Supra fol.5.
316. *Ferundo*] Infr.lib. 6.fol. 411.
In figuris] Supra lib.6.fol.411.
318. *Rarius admittunt*] Sup.fol.60.Priscianus tamen lib.17. & 18. recte dici contendit, sed uetustum est, nec facilé imitandum.
320. *Nominandi*] Infr.lib.6.fol.499.
321. *Dictu affabilis*] Vall.lib.1.cap.31.El. effabilis legit.
324. *Spectant enim*] Supra fol.32.
326. *Prisciano*] Lib.14.
329. *Igitur rex*] Vall.lib.3.cap.84.El.

335. Pridie] Vall.lib.2.cap.10.& 33.El.
Tu pridie] Exempla hæc desumta sunt ex Valla lib.2.cap.43.El.Infr.lib.6.fol.414.
337. Fatendi] Supra fol.31.
338. Ne uerò] Vall.lib.2.cap.17.El.
339. Iurandi] Supra fol.36.
341. Multò] Vall.lib.1.cap.18.& 20. El.
342. Per & quàm] Vall. lib.1.cap.9.El.
347. Sit ita] Vall.lib.2.cap.55.El.
348. Demonstrandi] Vall.lib.2.cap.15.El.
349. Ellum] Infr. libro 6.
350. Figuram] Scilicet ἀντιπτῶσιν.
Nedum] Valla lib.2.cap.18.El.
352. Vt] Supra fol.89. & infra lib.6.fol.517.
Tantum] Vall.lib.2.cap.31.El.
Seruius] Super 12.lib.Aen.Virg.commentans.
353. Hei namq;] Vall.lib. 2.cap.11.El.
355. Consules] Supra fol.150.
356. Autem] Vall.lib.2.cap.24.& 25.El.
358. Disiunctiuæ] Sup. fol.94.Prisc.lib.16.
Quippe] Vall.lib.2.cap.27.El.
359. Claudus est] Suet. in Augusto.
Vt quoq;] Vall.lib.2.cap.28. Et libro 1. capite 17.19.El. Supra libro 3. Et libro 1. fol.89. Et 6.libro.
360. Nam] Vall.lib.2.cap. 55.El.
Etsi] Vall.lib.2.cap.21.& 41.El.
362. Cum] Vall.lib.2.cap. 22. El.

Si illum relinquo] Vall.lib.2.c.26.El.
367 Nisi] Vall.lib.2.c.19.El.
371 Laurentio] libro 2.c.20.Sup. fol.223. Item lib.6.fol.426.Eras. lib.1.c.60.de V.Copia.
375. Vt perfectiua] τελικόν. Vall.lib.2.c.37. Prisc.lib.16. Sup.lib.2.folio 138.Et libro 4. folio 224.
377 Quid εἰδικόν] Sup.lib.3.fol.223.Et lib.6. fol.426.Vall.lib.2.c.20.Eras.lib.1.c.60. de V.Copia.
Secundum in futuro] Sup.fol.29.
378 Dicam quod] Eras.libro 2.c.20.et libro 1. c.60.& 79.in Cop.
385 Laurentius] libro.1.& Vltimo.et libro.6. capite.40.El.
388 Tute scis] Sup.folio.71.
389 Apollonio] lib.4. de Syntaxi.
392 Animalium] Plin.lib.10.c.38.
394. Si nisi quæ] Ouid.in epistola Sappho.
Alibi] lib.3.de partitiuis adiectiuis.
395. Alibi] scz.lib.2.de Specierum Enallage.
Talis] Vall.lib.3.c.61.El.
Aliquis] Vall.lib.3.c.63.El.
Pro paßiuo] Sup.fol.128.
399 Pro me amantis] Teste Vall.lib.2.c.1.El.
401 Quintilianus] lib.9.c.2.
406 De quibus] Sup.lib.4.fol.237.
407 Me me incæpto] Vall.lib.2.c.14.El.

408 Eperotesi] .i. reiterata interrogatione.
409 Taciti]lib.19.
Ethopœijs].i.in personarum imitatione.
Quam primam]Sup.lib.3.fol.147.
Prisciano]lib.18.
410 Quod participium] Vall. lib.1.c.2.Dial. Fab.lib.8.c.3.
Aliud uerò participium] scz. Ens, in usu non est, pro illo tamen uti possumus, qui est, uel qui fuit. ut Homerus poëta.i.qui fuit poëta.
411 Tu soluendo]Sup.lib.4.fol.314.
Vt nuces]Vall.lib.4.c.28.El.
412 In quibus tamen] Supra lib. 5. & infra in Hellenismo.
413 Quintilianus]lib.1.c.9.
414 Pridie]Vall..lib.2.c.10.& 73.El.
Cuius alibi]scz.lib.5.de constructione aduerbio (rum.
Priscianus]lib.18.
416. Cum, comitantur.]Vall.lib.2.c.6.El.
419. Quintilianus]Et lib.9.c.2.
420 Budæus]In pandectis, et comment. Græcæ linguæ.
In hoc gener.] Vall.lib.3.c.128.El.
421 Laurentius]lib.3.c.23.El.Eras.lib.1.c.18. de V.Cop.
At abunde]Vall.lib.2.c.58.El.
Ἀντιδιαστρέφοντος].i.redditione ex aduerso quasi adducta.

424 Μακάρων νῆσοι] *Insula beatorum.*
Tu cum principem] Vall.lib.2.c.21.El.
426 *Quod quoq;*] Sup.fol.223. Item lib.5.folio 377.Vall.lib.2.c.20.El.Eras.lib. 1. cap.60. de Verb.Cop.
428 *Theodorus*] lib.4.
429 *Imperatiue*] Sup.n.lib.1.probauit Imperatiuum quoq; habere præteritum.
Si non] Infr.de Hellenismo.
430 *Aduersatiuæ*] Sup.fol.360.361.Vall.lib. 2.c.21.& 41.El.
431 *Quintiliano*] lib.9.c.3.
Vt alibi] lib.2.de specierum Enallage.
432 *Iam an*] Vall.lib.2.c.17.El.
434. *Donatus*] In sc.4.act 4.Andria.
Quintilianus] lib.9.c.2.
Quintilianus] lib.9.c.3.
438 *Troiugeni*] Diomed.lib.2.Sup.fol.435.
440 *Laurentius*] lib.3.c.26.El.
441 *Laurentij*] Eod.lib.& cap.
Alio loco] Infr.456.
442 *Dubitatiuæ*] Vall.lib.2.c.13.& 32.El.
443 *Tutior ac*] Sup.lib.4.fol.285.
444 *Fit hac*] Sup.435.
445 *Laurentius*] lib.3.c.25.El.
446 *In hoc genere*] Vall.lib.3.c.24.
447 *Hic illius*] Sup.lib.6.fol.435.
Priscianus] lib.17.

449 *Non Syllepsi.n.] Quia Syllepsis est id quod in una clausula commune ponitur, in alia mutatum aliquatenus desideratur Supra fol. 444. In Zeugmate uerò immutatum requiritur. Sup. fol. 436.*

451 *Laurentius] lib.3.c.84.El.*

454 *Laurentius] lib.3.c.26.El.*

455 *Quemneq;] Sup.fol.441.*

457 *Vt apostaticon] Sup.lib.5.fol.352. & lib. 1.fol.89.*

461 *Gaza] lib.4.*

469 *Pleonasmos] Fab.li.9.c.3.*

473 *Ipse quoq;] Cur à Græcis Epitagmaticon, à Donato subiectiuum dicatur, Sup.folio 19. exposuit.*

479 *Priscianus] lib.16.*

Epanalepsis] Fab lib.8.c.3.

481 *Hyperbaton] Fab.lib.1.c.9.Et lib.9.c.1.*

Anastrophen] Fab.lib.1.c.9.Et lib.8.c.6.

486 *Parenthesis] Fab.lib.8.c.6.*

INTERPRETATIO GRAECORVM IN CAPITE DE HELLENISMO, QVI EST ἑλληνισμός, ID EST, GRAECITAS.

514. Ego de hac non pugnabo tibi.

Desine laborum.

Neque damnes hominum tantam infelicitatem, id est, ne condemnes homines tantæ miseriæ.

Nemo est qui nõ condemnaturus sit seipsum maximi supplicij.

Regnum poßideo in te.

515. Cyri tempore, qui primus rex fuit Persarum.

Qui post Cambysen rex fuit Persarum.

Vt decere uideretur magnifica oratio, considerationem ipsius.

Turpe est pictoris quidem imagines pulcras animalium exprimere, liberos autem non imitari bonos parentes.

516. Hostibus se ueniam dare perhibentes, si omnia opulentia & pecunia uenalia esse statuerent.

Ego itaq;, inquit, ô Tigranes, si in patre tuo miraris omnia quæ cõsuluit aut quæ ægit, quod existimes per omnia eum peccasse, plane tibi suadeo ut hoc imiteris.

Ad Nicoclem. Etenim potiti pecunia copiosissima & rebus maximis, eò quòd non recte uterentur talibus occasionibus, fecerunt, ut multi controuersentur, utrum sit dignum eligere ex generibus uitæ, priuatorum in mediocri fortuna, an eorum qui imperium obtinēt.

517. Aristophanes. Si mihi quæsitum panem aliquem bene coctum, dederis deglutire.

Pascere uerò mihi illas dedit.

518. Est qui. Sunt quos. Est quando. Est ubi.

Postea duxi Megaclis filij Megaclis sororē.

Vt narrat Critolaus in tertio Epiroticorū. Vt Theotimus secundo Macedonicorum. Vt Aristides decimonono Italicorum.

519. Secundum.

Sed ut secundum morum ingenia bene nati esse uideantur.

Forma quidem bono sed more non itidem simili.

520. Vt ad plurimum. Vt ad multum.

521. Quid. secundum quid.

Calceolis autem quid utetur aliquis, dic mihi?

Quid utetur ô Athenienses isti?

522. Cum Antiochus multum hortaretur ut capesseret rempub.

Erat & multum Romanis grauis Triumuirorū magistratus.

Magnum et maiora sapere, id est, efferri animo.

Plurimum prodesse poßint.

Non mœnibus ampliſsimis & præclariſsimis cir cundatis, Sed rectiſſ. & frugaliſsime ſuam ciuitatem adminiſtrantibus.

Temporis igitur ſeu occaſionis, ô Athenienſes, in hoc ſunt Philippo negotia.

Aut progreſſus aliquis mihi uel potius uobis demonſtret, aut quod non uera hæc ego comme morem, aut quod primum decepti in poſterum illi fidem habeant.

523. Et poſtea confecto anno hoc, hecatombæon, Metagitnion boëdromion, hoc menſe uix poſt myſteria, decem naues ablegaſtis haben tem Charidemum inanes, & quinq; talenta ar genti.

Videte autem mihi ut & cætera ſimul ſitis aſsiſtentes, & ſeruatores reuera Dei.

Quo? Athenas. Vnde? Athenis. Vbi? Athenis.

524. Domi, Domum, Domo.

525. At nunquid ſortita bibiſti in litera.

Age iam. ritus enim eſt, has affuſiones affundam tibi accipiens.

Quin ergo narras, peragens, illum pruritum, quemnam?

Inficias it neq; uidiſſe me unquam.

Non aiunt affuiſſe, pro, aiunt non affuiſſe.

Non enim ego te aio deteriorem mortalem alium eſſe.

Si hoc fiat quod cupitis uos, nõ aio profuturum uobis

Quid ago? An quæ consectanea sunt ago?

526. Si quis enim est inter illos, is qui belli & certaminum peritus sit, hos quidem præ ambitione omnes repellere ipsum aiebat.

Percontaturus si oporteat mutantem mores, esse callidum, iniustum sanum nihil quicquam.

Bene sanè narrare mihi uidemini, præterquam unum solum metuo.

527. Isocrates, oratione sociali. Partim etenim Persarum potentiã uniuersi scimus tantam magnitudine factam, nõ propter illorum hominum prudentiam, sed quod studiosius alijs regnum colunt, partim uerò Dionysium Tyrannum, cum accepisset aliam quidem Siciliam, quæ euersa esset, suam autem patriã, quæ oppugnaretur, non modo illos præsentibus periculis liberauisse, sed maximam etiam Græcarum ciuitatum reddidisse.

Sed ito. ne me irrita, Incolumior ut reuertaris.

At parete & uos. nam parere melius.

528. Est pro licet.

Contra Midiam. Non modo autem ijs qui consulto iniuriæ & contumeliæ autores sunt, leges graues esse, uidere est, sed etiam in omnibus.

Isti tamen ipsi liberi apparentes inter Deos.

Proinde

Proinde non intelligis sensum Dei?

O turpißimum omnium hominum. proinde tacebas? cum Plutus sis.

529. Age iam tu prius teipsum, qui sis, edissere.

Alijs enim quibus præditi sumus nihil ab alijs animantibus differimus.

Misera ego, ob contumeliam qua contumelia afficior.

530. Et tibi, quod homo sis, in memoriam reuocas.

Demosthenes in oratione falsæ legationis. Siquidem enim omnia quæ promiserat uobis ex pace, euenissent, & tanta ignauia & futilitate fateremini uos esse plenos.

531. Sed inopia quidem capior, non sané uerborum, sed audaciæ & impudentiæ, & quod nolim ea dicere apud uos, quæ uobis iucundiss. esset audire, cum ego lamentarer & plorarem, & alia facerem ac dicerem multa, & indigna me, ut ego aio.

Antonius ueró urbe relicta & amicorum consuetudine, domicilium maritimum construxit sibi, iuxta Pharum in mare.

532. Pié mihi & iusté totam uitam transactam.

Vt ne totum quidem tempus, poßit obliuionem obducere rebus ab illis gestis.

Vere enim licet diuitibus uniuersis nobis esse.

Et mihi uolenti accidebat.

Apparet

Apparet quod de re aliquid audierit, incessu & festinatione.

Alij quidem Dij & homines galeati dormiebant per noctes.

532. Non oportet pernoctem dormire consiliarium hominem.

533. Istæ itaq;, inquit, flagellum quidem tenens uocatur pœna. Sed caput super genibus habens, tristicia. Sed capillos uellens, afflictio.

Decus, pudorem, iustitiam, temperantiam, his enim uniuersis putatur contineri &c.

534. Qualis autem Diana it per montem sagittis gaudens. Aut per Taygetum longiss. aut Erymanthum, Gaudens apris & uelocibus ceruis, cum hoc autem simul Nymphæ filiæ Iouis tonantis, Agricolæ ludunt. lætatur autem animo latona. Omnes autem supra illa caput habet ac frontem. facile autem conspicua est & nota, formosæ uerò uniuersæ sunt.

Sic illa inter famulas decore eminebat uirgo innuba.

535. Suauius ô pastor tuum carmen quam sonora illa à rupe demanat superne aqua.

FINIS.



De regula proportionum

Regula haec vulgo regula proportionum dicitur, vt ab imperitis regula de tri per Apocopen, quoniam ex tribus propositis numeris quartus ignotus investigatur, cur autem proportionum dicatur pauci sunt qui sciant, nec immerito, Non potest enim hoc explicari absque intimis Arithmeticae speculativae praeceptis. Dicitur ergo proportionum regula quem transmutatis proportionibus constituit. Proportio autem est duorum terminorum Sic enim Boethius lib: 2 cap. 40 de Arithmetica definit ad se invicem quaedam habitudo, et quasi quodammodo continentia vt duo ad quatuor 3 ad 9. etc. de qua Glareanus in fine huius tractatus paulo plura. Proportionalitas vero est collectio proportionum in vnumque redactio vt vnum ad duo, duo ad quatuor, quatuor ad octo, 8 ad 16. ac deinceps, in quibus est dupla proportionalitas, ex proportionibus duplis, In qua proportionalitate quoties vnus atque idem terminus ita duobus circum se terminis comparatur, vt ad vnum dux sit hoc est maior, ad alium comes hoc est minor. proportionalitas continua vocatur vt 1, 2, 4, 8, 16. Si vero alius ad vnum refertur terminus, alius ad alium proportionalitas separata dicitur vt 2 ad 1. 4 ad 2. quoties vero fit transitus ab vna proportione ad aliam continuata proportio appellatur, vt sicut sunt 8 ad 4 Ita 6 ad 3. Ergo sicut sunt 8 ad 6 Ita 4 ad 3. Tali proportione transmutata, haec regula constituta est proportionum: tres enim terminos habet notos, ex quibus quartus ignotus elicitur, Et sicut se habet primus terminus ad secundum ita tertius ad quartum. Ergo, quemadmodum quartus ad secundum, ita tertius ad primum, quod exemplo clarius euadit tali 30 vl: panni empte gl 240 quanti 6. vl. et venient gl 48 vt Arithmetica regulis investigatio docet vbi sicut primus ad secundum est in proportione octupla, ita tertius ad quartum. Et versa sicut 4 ad ~~tertium~~ secundum ita tertius ad primum est in proportione quintupla. Ab hac igitur proportionum transmutatione, regula proportionum vocatur, in qua per tres notos quartus ignotus et illis proportionabilis invenitur.



